BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
4 I
10

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-3-E.100

74
D
58

74.
D
41

Digitized by Google

Digitized by Google

JOHANNIS SAUBERTI F.
DE
SACRIFICIIS VETERUM
CONLECTANEA HISTORICO-PHILOLOGICA,
ET
MISCELLA CRITICA;
quibus accedit Ejuſdem
DE
SACERDOTIBUS
ET
SACRIS HEBRÆORUM PERSONIS
Commentarius ſingularis.
QVÆ
THOMAS CRENIUS
recenſuit, emendavit, & præfatione, notis, ac plenioribus indicibus auxit.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA



Bibliothecæ Coll. Rom. Soc. Jesu

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JORDANUM LUCHTMANS.
CIↃ IↃ C LXXXXIX.

BIBLIOTECA NAZIONALE C. VE
ROMA

Digitized by Google

THOMÆ CRENII

AD LECTOREM

PRÆFATIO.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

ו

יהי מקץ ימים ויבא קין מפרי
האדמה מנחה ליהוה ׃ והבל הביא
גם־הוא מבכרות צאנו ומחלבהן׃

Sic primus primo de ſacrificio in qvarti capitis comm: 3. & 4. primô librô, ſcriptor Moſes. Indicans in verbis מקץ ימים I. Tempus, qvod eſt, à vel in fine dierum, aliquantô tempore pòſt, poſt dies aliqvot, ut in p. 644. Concordantiar. explicat B. Noldius. Sic Gen. VIII. 6. ויהי מקץ ארבעים יום c.XVI. 3. מקץ עשר שנים c.XLI. 1. ויהי מקץ שׁנתים ימים: qvem circa locum videndus omnino B. noſter Glaſſius, lib. III. Philolog: Tract. I. Can. XXXVIII. extr. p. m. 487. (al. 152.) Confer Exod. XII. 41. Numer. XIII. 25. Deuter. IX. 11. XXXI. 10. Judic. XI. 39. 2. Samuel. XV. 7. 1. Reg. II. 39. XVII.

Digitized by Google

7. 2.Paral. VIII. 1. Jeſa. XXIII. 15. 17. Jerem. XIII. 6. XLII. 7. Ezech. XXIX. 13. Interpretes LXX. reddunt μεθ' ἡμέρας· Vulgatus cum Junio & Tremellio *poſt multos dies*, addentibus in notis: *Hebr. à fine dierum, i. e. δι' ἡμερῶν, ut loqvitur Marcus*, c. II. 1. Conſentit Piſcator, eôdem modô vertens, ſeqventiaqve adnotans: *Poſt dies multos: Hebr.* à fine dierum: *Sic infra c. XLI.* 1. à fine duorum annorum: *i. e. exactô bienniô. Sic Ezech. III.* 16. à fine ſeptem dierum: *i. e. exactis ſeptem diebus.* Belgica Verſio: **Ende 't geſchiedde ten eynde (eeniger) dagen.** Wolfg. Muſculus, p. 115. Comment. in h. l. *Videtur interpres illud in Hebræo* מקץ ימים: *id eſt*, à fine dierum, *intellexiſſe de tarditate, qvâ Cain uſus ſit in cultu Dei, non tempeſtivè, ſed tardè & cunctanter ad hunc cultum Deo præſtandum ſeſe conferens: ideoqve vertiſſe:* Factum eſt poſt multos dies, ut offerret Cain Deo. *Arbitrantur nonnulli ad hunc modum eſſe intelligendum, quòd dicat*, Cainum poſt finem dierum: *id eſt, poſt meſſem, obtuliſſe Deo de frugibus terræ jam maturis.. Alii exponunt, de tempore annuo, ſicut & illud 2.Sa-*
„muelis XIV. 7. de tonſura Abſalomis, qvi
„ מקץ ימים לימים *capillos capitis ſui tondere*

dere ſolebat. Mihi videtur hæc locutio מקץ ימים, à fine dierum *ſimpliciter poni in Scripturis, pro eo, qvod eſt, poſt conſummationem dierum, qvorumdam ſcilicet: certò deſtinatorum: ut de certo dierum termino intelligamus, ſicuti Daniel c. XII. 13. in ſorte ſua uſqve* לקץ הימים: *id eſt*, ad finem dierum *intellige determinatorum, ſtare jubetur: vel qvod ſimplicius eſt, ut idem ſit, qvod* poſt aliqvot dies, *ſicuti* 1 *Reg. XVII. 7. in hiſto-„ria Eliæ legitur*, ויהי מקץ ימים, id eſt, „*Et factum eſt poſt dies aliqvot (ſic vulga-„ta Latina habet) ſiccatus eſt torrens.* Chaldaica Verſio Onkelos, interprete Benedictô Ariâ Montanô: *Et factum eſt poſt aliqvot dies.* Vatablo verba, *in fine dierum*, ut vertit, Hebraiſmum ſapiunt in notis, explicanturqve per *poſt aliqvot annos. Dies*, pergit, *pro annis hôc locô ponuntur, ex ſententia Hebræorum. Legitur à fine dierum, ſed* מ *pro* ב *poſitum eſſe dicunt Hebræi.* Scilicet jamim apud Hebræos uſurpantur etiam pro anno, utpote omnibus anni diebus perfectè conſtante, vel qvòd in illo omnes tam longi, qvàm breves dies recurrunt, uti notat Aben-Ezra ad hunc locum. Confer Ezech. IV. 6. 1 Samuel. XXVII. 7. Placet hìc audire Joan. Mercerum, Regium qvon-

dam in Academia Pariſienſi litterarum Hebraicarum Profeſſorem eruditiſſimum & diligentiſſimum, cujus in p.m. 108. Commentarii in Geneſin, Genevæ à Beza editi in fol. M. D. XCVIII. hæc ſunt verba: Et factum eſt à fine, *ſeu termino* dierum, *id eſt*, *poſt aliqvot dies, poſt aliqvod tempus elapſum. Aben Ezra* ימים *pro anno exponit*, *annô exactô. Sic ſæpe ſumitur* ימים *pluraliter*; *quòd poſt dies certô numerô revolutos recurrat initium novi anni, redeunte annô & ſole ad idem punctum. Sic* מימים ימימה *de anno in annum, id eſt qvotannis & id genus. Sed malo ſimpliciter hìc exponere*, *poſt aliqvod temporis ſpatium*, *certum qvidem tunc*, *ſed nunc nobis incertum*, *forſan*, *poſtqvàm terra culta eſſet & fructus produxiſſet.* Aben Ezra ſic diſſerit: *Qvia operabatur Cain terram attulit Mincha ad locum*, *qvem fixerat ad orationem & non placent mihi verba dicentium qvod adduxerit ad patrem ſuum: & propterea*, *qvòd ſcriptum eſt è primogenitis gregis ſui eſt probatio*, *qvòd non adduxit Cain de primitiis.* Reſp. וישע *juxta* משקל *formam* קבל והקרוב אליו ויחר לקין *Et ſenſus*, *ſicut* שעו מני: *& conſentaneum eſt*, *qvòd ignis deſcenderit & accenderit mincham Habel non mincham Cain*: *& ſecundùm opinionem meam*

meam qvòd vocatur annus integer ימים *&*
ſic ſcriptum ימים תהיה גאולתו [*Levitic.*
XXV. 29.] *propterea, qvòd revertantur dies*
in longitudine, & brevitate, qvemadmodùm
fuerunt in principio; & ſic מימים ימימה [*Exod.*
XIII. 10. *Judic. XI.* 40. *XXI.* 19. 1 *Sam.*
I. 3. 11. 19.] *Et expoſitio* נשתים ימים /
dies pleni annorum: Et, ſi ſcriptum שנתים
[*ſine adjecto*] *conſentaneum eſt, qvòd non*
ſint pleni à die ad diem: & ſic uſqve חדש ימים
qvia revertatur menſis qvemadmodùm fuit.
Præterea dixi in expoſitione Danielis, qvòd
dies 1260, *ſint dies, non anni, propterea qvòd*
ſint cum numero. Hæc Aben Ezra: *Rabbini*, inqvit Magnus noſter Gerhardus in p. m. 131. Comment. h. l. *vocem* dierum *accipiunt pro anno, ut ſit ſenſus: exactis aliqvot annis.* Geneſ. XLI. 1. Levit. XXV. 29. *qvia per dierum revolutionem annus conſtituitur. Sed rectius propria ſignificatio retinetur, exactis aliqvot diebus, poſtqvàm ſcilicet Abel aliqvamdiu paſtoritiam vitam, Cain agriculturam exercuiſſet. Ita namqve à parentibus inſtituti erant, ut qvamprimùm ſacrificandi materia ſeſe offerret, debitum cultum Deo creatori præſtarent. Qvidam putant, deſcribi tempus veris, qvod ut finem præcedenti, ita initium ſeqventi anno*

præſtat, in qvod incidit feſtivitas paſchalis, in qva agnus ex Dei ordinatione immolandus, & die alterâ primitiæ frugum offerendæ. Hactenus Gerhardus. Adjiciamus expoſitionem B. noſtri Calovii: *Ebraicè*, inqvit in Comment. h. l. p. m. 510. in fine dierum, *id eſt*, exactis multis annis, *ut* Rabbini. Dies *enim pro* annis *non rarò ſumuntur, & finis dierum finis ætatis unius hominis, qvæ primis temporibus ſpatiô CXX. annorum definiebatur, intelligi poteſt.* Non contigiſſe cædem Abelis ante CXXIX. annum Adami colligit Sam. Mareſius ex hoc noſtro loco & Geneſ. IV. 25. qvòd tùm adhuc recens vulnus fuerit ex occiſione Abelis, cùm Evæ Seth natus eſt, in Refutatione Fabulæ Præ-Adatimiticæ, Qvæſt. III. §. 15. p. m. 187. edit. Gröningenſ. M. DC. LVI. in 12. B. Lyſerus finem anni tempus fuiſſe vernale Menſis אביב conjectat, qvô Paſcha poſtmodùm celebratum & primitiæ ſpicarum & agni oblati, eòqve tempore DEUM etiam in Paradiſo agnos veſtitûs cauſſâ mactâſſe, ſtatuit. *Qvæ ſententia*, auctore eôdem virô ſummô Dn. Caloviô, ibid. *procedit ex hac hypotheſi, qvòd mundus* vernô *tempore conditus ſit, eòqve finis anni & initium alterius in orbem tum redie-*

dierit. Qva de hypotheſi prolixè dictum eſſe recordor, in Faſcis noſtri II. p. 57. ſ. 286. ſ. 340. Veriſimile qvòd in ſtata qvadam annua ſolemnitate, qvam circa finem anni celebrabant, eô ferè tempore, qvô poſteà Judæi feſtum expiationis, Lev. XXIII. 27. Sic è D. Luthero (qvi tamen reddit in verſione ſua Germanica: es begab ſich aber nach etlichen tagen) Pelargus hìc, uti & Petr. Martyr; *Finem dierum*, inqvit in p. 18. b. Comment. in h. l. *hìc appellat ſtata tempora, qvibus ſolennitates & dies feſti celebrantur. Qvamvis AbenEzra putat annum ſignificari.* ימים *hôc ſenſu habetur Levit. XXV. 29. ubi agitur de domus redemptione, ſiqvidem illius fuit redimendæ limes annus, & optimè qvadrat, ut annus intelligatur, qvia anni ſpatiô dies videntur ſuam perfeciſſe brevitatis & longitudinis viciſſitudinem, & ad terminum redeunt & ſtatum, unde priùs cœperunt fluere, qvando incipiebatur anni computatio. Paſtores inde & Agricolæ poſt annum fructus ſui exercitii jam collegerunt, & qvibus poſſunt Domino ſua obferre ſacrificia.* Nec diſplicet Saliano ad A. M. 100. putanti: *exeunte primô ab Orbe condito ſeculô, ſecularia qvaſi ſacrificia ab Adamo ejuſqve filiis freqventata: DEO jam tum re-*

ligionem qvamdam in quinqvageſimum qvemqve annum, ſicut & in diem ſeptimum inſpirante: ſed & *ſingulis annis munus ſuum, ad locum certum, publicè divino cultui deſtinatum, attuliſſe, & annuâ ſolemnitate conveniſſe.* Auctore Dav. Pareô, Tom. I. Oper. p. m. 117. a. *Senſus eſt, poſt annos aliqvot. Sicut* (*Nehem.* XXXVI. (qvod magnum mendum eſt, pro XIII.) 6. *In fine dierum poſtulavi à Rege. Tempus indefinitè notatur.* II. Nominat perſonas obferentes Kainum & Abelem. קין Cl. Buxtorfio, Diſſert. I. de Lingvæ Hebr. Orig. & Antiqvit. p. m. 30. ſ. §. 39. qvaſi *acqviſititius* eſt, à קנה Kanah *acqvirere, acqviſitum poſſidere*, qvia Scriptura dicit: ותלד את קין ותאמר קניתי איש את־יהוה: *Et peperit* Kain *ſive* Kainum, *dixitqve*: Kaniti, *acqviſivi virum.* Geneſ. IV. 1. Ubi cùm nominis Kain Eva tradat etymologiam, non debuit Euſebius in XI. Præparat. Euangel. c. IV. eô vocabulô dicere invidiam ſignificari. Orta æqvivocatio eſt ex קנא æmulatus fuit, invidit, & קנא acqviſivit, poſſedit. Abel, qvi הבל Hebraicè cum adſpiratione ſcribitur, meritò id nomen invenit, non ſolùm qvia brevi evanuit; volebant qvippe parentes ipſius hôc fortè nomine propriæ ſibi ipſis mortalitatis memoriam

riam inſigere, nec in eo ſpem ponere factæ de ſemine promiſſionis, ſicut in Cain: ſed qvoniam optima juſtitiæ comparandæ, conſervandæ & augendæ ratio eſt, res omnes pro DEO vanas ducere, ipſum unum reſpicere; atqve tantô cor bonô implere, & vacuitatem, vanitatemqve, qvæ nobis è nihilo eſt, multoqve magis è peccato, nunqvàm de cogitatione deponere. *Cain reprobus à poſſeſſione denominatus eſt, Abel probus ac DEO probatus à vacuitate atqve vanitate, qvòd ſuæ vanitatis conſcius omnia referret in DEUM piâ mentis intentione*, ſicut loqvitur Ambroſius, lib. I. de Abel & Cain, c. I. B. Glaſſio noſtro, lib. IV. Philolog. Tract. III. Sect. II. Obſerv. IX. n. 2. p. m. 954: Habel *à rerum mundanarum vanitate & miſeria, in qvam poſt lapſum protoplaſti pervenerant*; ita nominatus fuit. Alii putant eum ita dictum à conlatione cum Kain facta. *Cùm Kain*, inqvit B. Brentius noſter, cujus interpretis nos nunqvàm pudebit, in Commentar. in Geneſ. p. m. 66. edit. Tübingenſ. M. D. LXXVI. in fol. *tamqvàm primogenitus, haberetur pro Meſſia ſeu CHRISTO, Abel, tamqvàm ſecundò genitus, habitus eſt pro homine abjecto, unde & nomen ei à vanitate imponitur. Abel enim*

ſigni-

ſignificat vanitatem, qvaſi qvi præ Kaino nihil inſigne, nihil memorabile ſit geſturus. Sed hîc nobis diſcendum eſt, longè alia eſſe judicia DEI, qvàm hominum. Adam enim & Eva educant Kainum primogenitum, tanqvàm futurum non tantùm orbis dominum, verùm etiam Servatorem humani generis, adeoqve tamqvàm ſemen illud Mulieris, qvod contriturum erat caput ſerpentis. Itaqve Kain fit Agricola. Hoc enim vitæ genus fuit ab initio honeſtiſſimum, & habitum eſt pro vera nobilitate: Virum bonum, inqvit Cato, cùm laudabant, ita laudabant: Bonum agricolam, bonumqve colonum, ampliſſimè laudari exiſtimabatur, qvi ita laudabatur. Et qvondam ex agricolis vocabantur Dictatores. Qvare cùm Kain adſvefactus eſt à parentibus ad agriculturam, adſvefecerunt eum ad ſummam nobilitatem, & ad dominationem totius terræ. Abelem autem, ſecundò genitum, rejecerunt ad curam ovium, qvippe cui nihil commune eſſe debeat cum nobilitate, & dominatione terræ. Sed longè alia ſunt judicia Dei, & alius eſt eventus, qvàm parentes ſperaverunt. Kain enim, qvem parentes præferebant Abelo, non fit CHRISTUS vivificator, ſed fit homicidia mortificator. Et qvamqvàm accipit

gu-

Digitized by Google

gubernationem terræ, tamen auctor eſt cum familia & poſteritate ſua, ut terra vaſtetur, & homines pereant Diluviô. Abel autem, qvem parentes poſthabebant, præfertur à Deo, & fit primogenitus in regno cælorum. Hæc in noſtri doctrinam ſcripta ſunt, ut accipiamus conſolationem in dejectione, & humilitate noſtra. Qvi enim in hoc mundo ſunt pauperes, egeni, abjecti & miſeri coram hominibus, exiſtimare ſolent, ſe etiam coram Deô abjectos & contemtos eſſe. Unde proverbium ortum eſt: Qvi in hoc ſeculo mendicat, neceſſe habet in altero oſtiatim panem petere. Wer hie bettet / der muß dort nach Brot gehen. *Sed DOMINUS DEUS noſter hunc habet morem, qvòd, qvem homines præferunt, eum Deus abjicit, & qvem homines abjiciunt, eum Deus colligit, & aliis præfert: Diſpergit ſuperbos mente cordis ſui. Deponit potentes de ſede, & exaltavit humiles. Luc. I. 51. Sic Deus prætulit Iſaacum Iſmaëli primogenito: ſic prætulit Jacocum Eſavo: ſic Davidem fratribus ſuis. Sic & Chriſtus ipſe fuit noviſſimus virorum: & tamen exaltatus eſt ſuper omnes cælos. Qvid ergo? nullusne dignitate & amplitudine in hoc mundo inſignis, reſpicitur à Deo? Certè reſpiciuntur etiam inſignes honore, ſed ita,*

ſi

ſi ſiant in ſe humiles & abjecti, ſi non efferant ſeſe ſuâ dignitate, ſi alios præ ſe non contemnant. Abraham fuit inſignis Patriarcha, ſed apud ſe videbatur ſibi abjectiſſimus: Loqvar ad Dominum meum, inqvit, Geneſ. XVIII. 27. cùm ſim cinis, & pulvis. David erat in regiam majeſtatem exaltatus, tamen coram ſeipſo nihil erat humilius. Vide II. Samuel. VII. 18. *Qvis ego ſum Domine, & qvæ eſt domus mea? Eſther electa eſt in reginam Perſarum, tamen de corona ſua regia dicit c. XIV.* 16. *Domine, tu ſcis neceſſitatem meam, qvòd abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, qvod eſt ſuper caput meum, &c.* Hæc Brentius. Loqvatur Joh. Calvinus: *Unde nomen Cain deductum ſit, & qvô reſpectu illi impoſitum, ſatis notum eſt. Dixit enim mater* קָנִיתִי *virum: ideoqve Cain appellat. De Abel non idem exprimitur. Qvòd putant qvidam contemptim ſic vocatum fuiſſe à matre, acſi foret ſupervacuus & propè inutilis, prorſus abſurdum eſt: tenebat enim memoriâ, qvorſum tenderet fœcunditas, nec illi exciderat benedictio iſta, Creſcite, &c. Rectius (meô judiciô) dicemus, qvum in primogenito teſtata eſſet Heva gaudium qvod repentè affulſerat, & Dei gratiam celebrâſſet, poſteâ*

in

Digitized by Google

in altero partu, in memoriam rediiſſe humani generis miſerias. Et certè nova Dei benedictio non vulgaris lætitiæ materia erat. Sed rurſum poſteros tot malis devotos, qvorum ipſa cauſſa erat, ſine acerbiſſimo dolore intueri non potuit: ejus ergo triſtitæ monumentum exſtare voluit in nomine ſecundi filii, & commune ſpeculum proponere, qvô totam progeniem humanæ vanitatis admoneret. Qvòd præpoſterum Hevæ judicium nonnulli taxant, qvia probum & ſanctum filium alterius neqvam & ſcelerati comparatione, velut rejectitium habuerit, non recipio. Habet enim Heva cur ſibi in primogenito gratuletur: nihil autem vitii eſt, qvòd in ſecundo memoriale ſibi & omnibus aliis ſtatuit propriæ vanitatis, ut ſe aſſiduâ malorum ſuorum reputatione exerceant. Audiamus & Petrum Martyrem. *De hoc ſecundo filio*, inqvit in p. 18. a. Comment. in Geneſ. *ſuſcepto non eſt ſolicita Scriptura, ut nominis etymon indicet, qvia illi ſatis eſt id priùs feciſſe, & ad noſtram eruditionem id ſufficit, ut qvandoqve videamus hoc factum fuiſſe: Tunc enim colligimus patres non caſu & fortuitò nomina impoſuiſſe, ſed fidei & pietatis incitamenta illa eſſe voluerunt. Habel ſignificat vanitatem, qvâ etymologiâ*

duo

duo parentes ejus reſpexerunt: Vel illum pium & Dei amantem futurum eſſe, unde illi rectè convenit, ut humano judicio & carnis ſenſui ejus inſtitutum vanum habeatur, atqve ipſe & ejus ſimiles in mundo nullius pretii & æſtimationis ſint, qvodqve, qvi tales ſunt, etiam ſuâ ipſius reputatione atqve ſententiâ nullius ſunt dignitatis atqve momenti, cùm ornentur admirandâ animi modeſtiâ & dejectione: ſunt enim humiles ſpiritu & abjecti in oculis ſuis. Et præviderunt fortè parentes illius divinô afflatu, iſtius juſti & pii filii ſui nullos futuros liberos, & ita qvoad proſapiam ampliandam aut familiam conſtituendam, illius procreationem vanam fore & caſſam. Wolfgang. Muſculus in p. 115. Comment. in Geneſ. ita ſcribit: *Qvòd autem ſecundum hunc filium ſuum vocavit* Habelem, *perſpicuum eſt ob id eſſe factum, qvòd exiſtimaret, nullum fore illius uſum ad id, quod primogenitum perfecturum credebat, videlicet ad conterendum caput ſerpentis.* Nam Habel *vanum ac ſuperfluum ſignificat. Haud clam me eſt qvoſdam* Habel *interpretari* luctum. *Verùm in eo errârunt, qvòd Hebræum contextum non inſpexerunt, in qvo non legitur* אבו, (lege אבל) *qvod* luctum: *ſed per* ה *ſine* א, הבל, *qvod*

qvod inane *ac* vanum *ſignificat. Igitur etiam ex eo, qvòd ſecundum filium* הבל, *id eſt*, vanum *vocavit, ſatis conſtat, qvare primogenitum vocârit Cainum.* Hæc Duſanus. Nimirum Eva memor Proteuangelii, dicens: *poſſedi virum Dominum*, ſperaverat jam ſibi natum Redemptorem θεάνθρωπον. Vide Iſidorum Clarium, & poſt alios è noſtris B. Chriſtoph. Helvicum in Deſiderio Matris Evæ, Gieſſæ, M.DC.XIII. in 4to. edito; B. D. Waltherum in Officina Biblic. Repoſitor. poſter. Thecâ I. Arculâ I. p. m. 681. ſ. §. 687. Piè & probabiliter. Neqve adparet, qvid obſtet. *Liberi parentum* κλῆσις *& ſupellex ſunt*, ait Cornel. à Lapide; ſed ſummum fidelium peculium Chriſtus. Ceterùm qvod Muſculus ait, qvosdam Habel interpretari *luctum*, verum eſt, dantqve hanc expoſitionem Auguſtinus in XV. de Civ. DEI. c. XVIII. Origenes, Tract. XXVI. in Matth. Theodoretus, Q. LI. in Geneſ. & Euſebius, cit. lib. Amplectitur eam Joſephus qvoqve, lib. I. Antiqvit. c. III. non VIII. ut vitiô typographicô legitur in Glaſſ. cit. loco. Putat autem Druſius, VI. Obſervat. c. XI. fieri poſſe, ut Joſephus eo in loco corruptus ſit; cùm apud Rufinum, veterem ejus interpretem non *luctus* ſcribatur, ut in Græco, ſed ita: *Abel verò*

ſecundus, *qvod ſignificat nihil hoc.* At Sigiſmundus Gelenius verba hæc Joſephi: Ἄβελος δὲ, ὁ δεύτερος, σημαίνει δὲ, πένθος τοῦτο, ita invenit in ſuis & reddidit: *Abel autem ſecundus*, *ea vox luctum ſignificat.* Luget autem, qvi vanitatem ſibi repræſentat. De multiplici rerum omnium vanitate agunt Hugo Victorinus, Bonaventura, Hugo Cardinalis, Carthuſianus, Arboreus ac Titelmannus in Commentar. in principium Eccleſiaſtæ. Multos etiam de mundi vanitate libros edidit Hiſpanicè Didacus Stella. Arabicæ verſionis auctor Pariſienſibus in Heptaplis, ſicut nomina Prophetarum, Patriarcharum, aliorumqve Veteris Teſtamenti virorum propria, vel ineptè, vel perplexè, vel pueriliter etiam exprimit, qvaſi nec litteras ſciret, nec nare, ita, judiciô Cl. Höttingeri, Diſſert. II. Analector. Hiſtorico-Theologicor. p. m. 87. Paronomaſiis præſertim imperitorum ſtudio habuit demulcere aures. Hinc Abelem & Cainum האבל וקאבל *Habel & Kabel*; Saulum & Goliathum טאלות וגאלות *Taluth*, (*longurionem* vox hæc propriè notat, qvæ Sauli alioqvin non malè tribuitur) *& Galuth*; Gogum & Magogum מאגוג ויאגוג *Magugh & Jagugh*; Aharonem & Core הרון וקארון *Harun & Karun*, pro qvo *Scalig.*

lig. in Chronico Samaritano, aliqvando notavit מרואן; Angelos illos, qvorum operâ lingvas fuiſſe confuſas Muhammedani volunt, הארות ומארות *Haruth & Maruth* adpellat. Ceterùm qvòd gemini fuerint Abel & Cain nonnulli putant Rabbini, nec *improbabile videtur* Calvino, *licèt non exprimat Moſes. Poſtqvàm enim dixit*, verba do ejus è Commentar. in Geneſ. p. m. 41. a. b. edit. Genev. M. D. LXXIII. in fol. *ex primo conceptu Hevam genuiſſe primogenitum: paulò poſt ſubjicit, alterum qvoqve peperiſſe. Ita duplicem partum commemorans, nonniſi de uno concubitu loqvitur. Qvi aliter ſentiunt, fruantur illi ſuô judiciô: mihi tamen videtur rationi conſentaneum, qvum replendus eſſet mundus incolis, non modò Cain & Abel unô conceptu fuiſſe genitos, ſed plurimos etiam poſteà, tam maſculos, qvàm feminas.* Hactenus Genevenſis ille Doctor. At B. noſter Salomo Geſnerus in p. m. 108. Commentar. in Geneſ. *Cainum & Abelem*, inqvit, *perinde ut Eſavum & Jacobum gemellos fuiſſe, ex eo colligit Calvinus, qvòd circa nativitatem Abelis ſcriptura non meminit conceptionis. Sed imbecillior hæc eſt conjectura ad perſvadendum id, qvod ſacræ literæ haud occultaturæ fuiſſent,*

ſent, ſi ita eſſet. Præſertim cùm Paullus Rom. IX. tam accuratè exponat eumdem diſparium fratrum conceptum. Diſſentit à Calvino qvoqve Muſculus, cujus verba hæc ſunt adductô locô: *In Hebræo eſt*: & adjecit ad pariendum fratrem ejus Habel. *Hinc nonnulli exiſtimant, duos hoſce filios Adæ Cainum & Habelem, fuiſſe gemellos. Arbitrantur enim illud ex eo innui, qvòd non dicit Moſes*: rurſus concepit Eva & peperit: *ſed*, & adjecit & peperit fratrem ejus Habelem. *Verùm iſta conjectura admodùm eſt infirma. Qvare non eſt, ut illi innitamur.* Addam & Magni Gerhardi noſtri hac de re ſententiam. *An Cain & Abel*, qværit in Comment. in h.l. p. m. 131. *fuerint gemelli? Affirm. Rabbini*: reſpondet ibid. *Ut & Calvinus, Piſcator, qvia circa nativitatem Abelis non fit mentio conceptionis. At Spiritui Sancto non eſt propoſitum, conceptus ſed partus recenſere, in verbo pariendi tacitè includitur conceptio. Veriſimilius igitur eos non fuiſſe unò partu editos.* 1. *Qvia Spiritus S. magis perſpicuè id expreſſiſſet.* 2. *Abelem Eva ideò vocavit vanitatem, qvia tempore inter Caini & Abelis nativitatem interjectô moleſtias in educanda ſobole & vitæ humanæ vanitatem magis erat experta.* 3. *Paullus diſpa-*

rem

rem gemellorum ſortem ad myſterium prædeſtinationis applicat Rom. IX. 10. ſed horum nullam facit mentionem. Ubi mirari ſubit, Piſcatorem pro hac ſententia adduci, de qvo ut Lector judicare poſſit, addo ejus verba è p. 30. Comm. in h. l. a. edit. Herbornenſ. M. DC. XLVI. in fol. *Nativitas Abelis narratur his verbis v.* 2. Et addidit parere (*id eſt, perrexit parere. Supple, ac peperit*) fratrem illius, Habelem. *Sunt qvi putent, hunc partum priori continenter ſucceſſiſſe, ita ut Cajin & Abel fuerint gemelli. qvam opinionem hauriunt ex eo, qvòd continenter de hoc partu narratur, nec reperitur qvòd Adam iterum cognoverit Evam, qvodqve illa iterum conceperit. Sed argumentum hoc infirmum videtur, qvia repetitio illa non fuit neceſſaria: qvum nullius alterius rei narratio intercedat: & per ſe facilè intelligatur, Evam tùm demùm peperiſſe Abelem, poſtqvàm eum ex marito concepiſſet. Verumtamen nihil eſt in illa opinione incommodi; qvamqvàm probabilius videtur, qvòd præter Cajinum primò illò partu pepererit fœmellam, qvæ ſuô tempore fieret Cajini uxor. Sicut & ipſa eôdem die condita fuit, qvô Adam, qvamqvàm poſt illum: ut illi adderetur uxor. Præterea conjicere licèt ex nomi-*

 ne

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

ne Habelis, illum non ſtatim cum Cajino natum: qvippe qvum nomen illud non lætitiam arguat: qvalis apparet ex verbis pronuntiatis de Cajino: ſed potiùs triſtitiam, ſignificat enim vanitatem. Qvare videtur illi impoſitum à matre triſti ex conſideratione ærumnarum, qvas poſt natum Cajinum in illo educando erat experta. Hactenus Piſcator. III. Actio ipſa latet in verbo ויבא, ut adduceret, adferret, obferret. Id enim ſignificatum radix בוא habet in Hiphil. Sic Nehem. VIII. 2. ויביא *& adduxit ſive attulit Eſra Sacerdos legem coram congregatione illa*, ubi eſt cum י converſivo plenè. At Ezech. XL. 3. eſt cum jod quieſcente in tzere: ויביא, *adduxit me illuc.* Noſtro in loco alibiqve ſæpius occurrit defectivè, cum tzere, ſine jod. Sic Geneſ. II. 19. *Formaverat DEUS è terra omnem beſtiam agri & omne volatile cæli*, ויבא *& adduxerat ad Adam.* c. VIII. 9. *Noah extendit manum ſuam & accepit columbam* ויבא *& introduxit eam in arcam.* Ezech. XL. 1. *In hac ipſa die fuit ſuper me manus Jehovæ*, ויבא *& adduxit me illuc.* De mandato DEI oblationes ordinantis, hìc diſertè, nihil commemoratur, qvin tamen inſtitutio divina præceſſerit, apud eos dubium non eſt, qvi

cul-

cultum DEI ab hominibus inventum nôrunt fruſtraneum, hoc ipſum teſtante Dominô, Eſa. XXIX. 13. Matth. XV. 9. Cùm hìc divinitùs probetur ſacrificium Abelis, qvem Chriſtus Matth. XXIII. 35. juſtum adpellat. Rectè autem Epiſtola ad Hebræos in XI. capite ex inductione multorum colligit, ſine fide DEO placere, impoſſibile eſſe, comm. 6. Qvare Abelem fide meliorem hoſtiam obtuliſſe qvàm Cainum neceſſe eſt. Non autem alia potuit ſancti filii eſſe fides, qvàm ſanctæ fuit matris, qvæ ut de ſe, ſuaqve dignitate deſperans, præeunte verbô Euangelicæ promiſſionis, in Meſſiam θεάνθρωπον fiduciam conlocat: ſic cum parente idem Abelem docuit; qvâ fide purificatus Abel, placuit DEO cum munere eadem à fide proficiſcente, & ſic ipſô qvoqve probatô. Fides autem non poteſt eſſe alia, qvàm in Meſſiam, in qvo omnibus ſperandum erat, Geneſ. XLIX. 10. Pſalm. II. ult. tamqvàm expiatore, ut cum Tertulliano dicam, peccatorum noſtrorum unico. Pſalm. LXIX. 6. Eſa. LIII. 4. ſ. per cujus etiam gratiam hic Abel cum ſanctis aliis jam olim fuit ſalvatus. Actuum XV. 11. Nunqvàm etiam aliud ſub cælo datum fuit nomen, in qvo ſalvari poſſet qviſqvam, niſi ſolum Jeſu Chriſti no-

men, Act. IV. 12. Inde hic DEI agnus mundi peccata tollens, Joh. I. 29. ab origine mundi occiſus eſt, Apocal. XIII. 8. Et ſanè neqviverunt ſacrificia Levitica hominum peccata tollere, Hebr. X. 4. niſi virtute ſui antitypi, Chriſti Jeſu in typis iſtis verâ fide adprehenſi. Ut ita ritum obſerendi hos duos, Abelem ſcil. & Cainum; à parentibus, hoſqve à DEO edoctos fuiſſe, in aperto ſit. *Qvoties Adam*, interprete Victorinô Strigeliô, in Oratione de Adamo, ſubjuncta Geneſi ſcholiis ab illo illuſtratæ, p. m. 330. ſ. edit. Lipſienſ. M. D. LXXIV. in 8r. *convocavit ſuam Eccleſiam, non tantùm ſacrificavit, ſed etiam recitavit initia creationis, lapſum hominum & promiſſionem, & ſacrificia hôc ferè ſenſu interpretatus eſt: Non caſu natum eſt genus humanum, nec fruſtra conditum, ſed ut eſſet aliqvod qvaſi theatrum, in qvo Deus innoteſceret, & cui Deus ſuam ſapientiam & bonitatem in omni æternitate communicaret. Ut autem agnoſcatur, patefecit ſe non ſolùm impreſſis in hæc mundi corpora veſtigiis, certiſſimô ordine cæleſtium motuum, temporum vicibus, legibus ac viribus naſcentium, perennitate fontium & fluminum, diſtinctione ſpecierum, diſtributione finium, ſed etiam in nos tranſfu-*

fudit, tamqvàm in imaginem ſuam radios ſummorum bonorum, ſapientiæ, juſtitiæ & libertatis, & addidit mandatum de certo opere, qvod eſſet teſtimonium obedientiæ. Huic mandato ſi obtemperâſſemus, ſine peccato & ſine morte vixiſſet genus humanum, & in mente fulſiſſet vera & firma agnitio Dei, & cor arſiſſet amore Dei. Sed Diabolus furens odiô Dei, & gaudens deſtructione operum divinorum, doctis dolis & facetis fabricis glaucomam nobis objecit, nè cogitaremus, qvantoperè reqvirat Deus, ne à ſuo verbo diſcedamus, & qvanta ingratitudo ſit, excutere Spiritum Sanctum gubernatorem mentis, voluntatis & cordis, & æternam cum Deo copulationem aſpernari. Qvare cùm omnia divinitus condita bona eſſent, peccatum non à Deo, ſed à Diaboli & hominis voluntate ortum eſt. Excuſſô autem Deô, qvi eſt fons vitæ, ſecuta eſt mors, & tyrannis Diaboli, qvi adverſus genus humanum hoſtiliter graſſatur, & omnibus calamitatibus miſeros homines opprimit. Sed qvia noluit Deus prorſus perire genus humanum, ideò poſt lapſum noſtrum rurſùs ex arcana ſua ſede prodiens, ſeſe patefecit, & immenſâ miſericordiâ lapſos recepit, ac promiſſionem nobis tradidit de venturo ſemine,

propter qvod velit placatus eſſe generi humano, nos exaudire & ſalvare, ac reddere nobis æternam vitam, lucem, ſapientiam & juſtitiam, deletô peccatô, abolitâ morte, ſublatis omnibus calamitatibus humanis. Promulgatâ igitur promiſſione, rurſus Eccleſia condita eſt, in qva ut propagari ad poſteros doctrina poſſit, ritus inſtituti ſunt, & publici congreſſus. In his vocem promiſſionis de ſemine, & reliqvam doctrinam, qvam recitamus, de Deo, de creatione rerum, de primo lapſu & pœnis ejus lapſus, de inſidiis Diaboli, de cauſſis mortis & omnium miſeriarum humanarum, de diſcrimine actionum bonarum & malarum, de futuro judicio univerſi generis humani, ſonare oportebit. Vult enim Deus exaudiri ſuam vocem in toto genere humano. Ideo publici & honeſti congreſſus erunt, & ſemper Eccleſia velut arx in arduo monte ſita conſpicietur, ut inde vox doctrinæ ad omnes gentes perferri poſſit. Horum congreſſuum vincula ſunt noſtra ſacrificia. Sunt & picturæ, qvæ nos de promiſſione commonefaciunt, & de ſacrificio, qvod pro nobis illud ſemen offeret, ad placandum Deum. Qvoties igitur videtis agnum cremari, & qvidem igne divinitus accenſô, ſubeat animum cogitatio de alio agno, ſcilicet

cet de venturo ſemine, cujus mortem hæ pecudes ſignificant. Sic enim Deus nobis ſit propitius, ſi credimus non hanc pecudem placare iram Dei, ſed propter illud ſemen nobis ignoſci, nos exaudiri & ſalvari. Placet autem invocatio noſtra, cùm ſemen illud agnoſcimus, & mores ita regimus, ne polluere conſcientiam velimus. Qvamqvàm enim in hac mortali vitâ hærent peccatum, mors & ceteræ calamitates: tamen inchoatur divinitus nova lux & vita in his, qvi fiduciâ venturi ſeminis ſe à Deo recipi credunt, & ad eum hâc fiduciâ confugiunt, ac ei obedire incipiunt. Veniet etiam illud ſemen, ut judicet mundum, & reddat vitam perpetuam iis, qvi promiſſionem fide & bonâ conſcientiâ amplexi ſunt, & puniat æternis ſuppliciis eos, qvi Deum aut promiſſionem ſuperbè contempſerunt, & furenter laxârunt frenos malis cupiditatibus. Et paucis interjectis pergit laudatus in p. 333. ſ. Strigelius: *Cùm igitur auditâ hâc doctrinâ Abel obtuliſſet in ſacrificio agnum, & Cain primitias frugum, reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus, ad Cain verò & ad munera ejus non reſpexit. Hanc partem hiſtoriæ enarrans Hieronymus inqvit: Unde ſcire poterat Cain, qvòd fratris ejus munera ſuſcepiſſet*

piſſet Deus, & ſua repudiâſſet, niſi illa interpretatio vera eſſet, qvam Theodotio poſuit: Et inflammavit Dominus ſuper Abel & ſuper ſacrificium ejus. Ignem autem ad ſacrificium devorandum ſolitum venire de cælo, & in dedicatione templi ſub Salomone legimus, & qvando Elias in monte Carmelo conſtruxit altare. Hinc ergo certamina inter fratres exſtiterunt, qvæ ut reprimeret Deus, hâc voce Cain appellavit: Si bonus fueris, eris acceptus, ſin autem malus, peccatum tuum qvieſcet donec reveletur. Sub te ſit appetitus tuus, & tu domineris ei. Hæc Victorinus Strigelius, qvi auctore Thomâ Gatakerô in Cinno, p. 21. *Codicem ſacrum maximâ parte commentariis haut prolixis, ſed nec infructuoſis tamen, ſtrictim inluſtravit.* Ad Pontificios hìc à nobis in alia abeuntes, diſputat non ſolùm in præſentis, qvem jam rogati de novo edimus, Tractatus prioris II. Capite, p. 21. Cl. Dn. Saubertus, verùm etiam noſtratium Theologorum alii, ut B. Gerhardus, libr. II. Confeſſ. Cathol. part. III. Artic. XXIII. c. VII. p.m. 1522. b. B. Joh. Henr. Urſinus in Miſcellan. Tract. V. n. IV. p. m. 272. ſ. 282. ſ. 291. ſ. ubi habes Synopſin totius doctrinæ de ſacrificiis. Summus noſter Calovius in Iſago-

goge ad S. Theologiam, Tract. I. c. III. §. II. p m. 52. ſ. B. Dn. D. Joh. Meiſnerus in Tractatu de Prophetiis, Sect. III. §. XX. p. m. 65. ſ. Dn. D. Georg. Mœbius in Hiſtoria Bileami, Diſp. V. Sect. VI. §. 16. p. 92. ſ. B. Waltherus in Officin. Biblic. Repoſitor. poſterior. Thec. I. §. 667. n. IX. p. 500. Sic Hugo Victorinus apud conſentientem Salianum: *Credimus, DEUM docuiſſe Adamum cultum divinum, quô ejus benevolentiam recuperaret, qvam per peccatum tranſgreſſionis amiſerat.* Sic Lyra & alii vetuſtiores, & inter recentiores Pontificios doctiſſimi. Rangolius in I. Regum c. I. v. 3. p. 39. diſertè: *Abelem & Cainum germanos fratres ab Adamo patre ſacrificandi ritum fuiſſe edoctos; Adamum autem à DEO.* Cornel. à Lap. *Docet S. Athanaſius, in illud:* omnia mihi tradita ſunt, &c. *Cain & Abel à patre Adamo didiciſſe religionem & ritum ſacrificandi: undè ſeqvitur, primò omnium Adamum ſacrificâſſe.* Sic Janſenius in Pentateuch. *ritum offerendi edocti fuerunt ab Adamo, &c.* Sic Aloyſius Novarinus, num. 365. ex Hugone Victor. additâ ratione: *Prima parentum cura eſſe debet, filios in Dei cultu informare:* & de Caino ex Lippomano: *exemplô patris obtuliſſe. Hic rurſus,*

ſus, inqvit Petr. Martyr in h.l. p. m. 18. b. *Adami commendatur ſtudium in libris educandis. Nam credendum eſt, ut qvemadmodùm illius doctrinâ de artificiis neceſſariis eruditi ſunt: ita & DEI cultum fuerint edocti. Nam & locum & tempus, ut videtur, habuerunt deputatum orationibus & ſacrificiis. Et qvidam ex Hebræis adfirmant, per Adami manum ſacrificia voluiſſe oblata, ut idem non ſolùm principis, tanqvàm ſenior, ſed ſacerdotis etiam munera obiret.* Loqvatur & Joannes Calvinus: *Duxerint ne*, inqvit in p.m. 42.43. Comment. in h.l. & qvidem in verba, ET FUIT ABEL PASTOR: *ambo uxores, & ſeparatam qviſqve domum habuerit, non refert Moſes. Maneat igitur hoc nobis incertum: qvamqvàm magis probabile eſt, Cain fuiſſe conjugatum priuſqvàm fratrem occideret: qvia paullò pòſt ſubjiciet Moſes, cognitâ uxore genuiſſe liberos, de conjugio nulla illic mentio. Genus vitæ ſanctum per ſe & laudabile uterqve ſeqvutus eſt. Terræ enim cultura à Deo mandata erat: paſcendi autem pecoris labor non minùs honeſtus qvàm utilis: tota deniqve vita ruſticana innoxia & ſimplex, & ad verum naturæ ordinem maximè accommodata. Hoc igitur primò habendum, qvòd ſe*

ambo

Digitized by Google

ambo exercuerint in laboribus Deo probatis, & ad communem vitæ humanæ uſum neceſſariis. Unde colligitur, probè fuiſſe à patre inſtitutos. Id meliùs confirmat ſacrificandi ritus, qvia teſtatur fuiſſe adſvefactos ad Dei cultum. Erat igitur vita Cain optimè in ſpeciem compoſita: utpote qvi pietatis officia erga Deum coleret, victumqve ſibi & ſuis qværeret honeſtô & juſtô labore: qvemadmodùm frugi & modeſtum patremfamiliâs decet. Porro memoriâ hîc repetere convenit qvod priùs diximus, primos homines ſic privatos fuiſſe divini amoris ſacramentô, qvum à vitæ arbore fuerunt prohibiti, ut ſpes illis ſalutis relicta fuerit, cujus in ſacrificiis teſſeras habebant. Sic enim tenendum eſt, non fuiſſe temere excogitatum ab illis ſacrificandi morem, ſed traditum divinitus. Nam qvum dignitatem ſacrificii Abel acceptam fidei referat Apoſtolus, Hebr. XI. 4. ſeqvitur, illum non abſqve Dei mandato obtuliſſe. Deinde ab initio mundi verum fuit, quibuſlibet victimis præſtare obedientiam, matremqve eſſe omnium virtutum. 1. Sam. XV. 22. Unde ſeqvitur, præceptum fuiſſe à Deo qvicqvid illi placuit. Tertiò, qvum Deus ſemper ſimilis fuerit ſui, non dicemus vnqvam fuiſſe ſimpliciter delectatum carnali & externô

cultu.

Digitized by Google

cultu. Grata autem habuit illa primi ſæculi ſacrificia. Seqvitur ergo ſpiritualiter illi fuiſſe oblata: hoc eſt, non inanibus ceremoniis luſiſſe ſanctos Patres, ſed aliqvid comprehendiſſe altius & magis reconditum: qvod abſqve verbo non poterant. Sola enim eſt interior veritas, qvæ in ſignis externis nativum & rationalem Dei cultum à craſſo & ſuperſtitioſo diſcernit. Et certè non aliter poterant ſincerè animum adjicere ad Deum colendum, qvàm de ejus benevolentia redditi certiores: qvia ex ſenſu fiduciaqve bonitatis ejus, voluntaria reverentia naſcitur: contrà verò qviſqvis illum ſibi infeſtum ſentit, metu ipſô & horrore ad fugiendum cogitur. Videmus ergo ut Deus arborem vitæ eripiens, in qva primùm dederat gratiæ ſuæ pignus, aliis tamen modis propitium ſe hominibus teſtetur ac declaret. Imò dum eos ſibi adoptat cultores, ſimul ad ſalutem invitat. Siqvis objiciat, ſua Gentibus qvoqve fuiſſe ſacrificia, qvibus nulla ſuberat pura & ſolida religio: ſolutio in promptu eſt, mentionem hìc de ſacrificiis fieri legitimis & Deo probatis, qvorum adulterina imitatio poſteà ad Gentes defluxit. Etſi autem hìc ponitur nomen מנחה, *qvod propriè munus ſignificat, & ideò ad oblatio-*

nes

nes qvaſlibet generaliter extenditur: colligere tamen licet, duas ob cauſſas ab initio Patribus datum fuiſſe ſacrificandi mandatum: nempe ut commune eſſet pietatis exercitium, dum ſe profitebantur Dei eſſe, ſuaqve omnia illi ferebant accepta: deinde ut commonefierent expiatione aliqvâ opus eſſe ad ſe Deo reconciliandos. Qvòd ex ſuis qviſqve facultatibus aliqvid offert, ſolennis eſt gratiarum actio: acſi teſtatum facerent ex re præſenti, Deo ſe debere qvidqvid habent. Sed pecudum mactatio, & effuſio ſangvinis aliqvid prætereà continet: ut mortem ſcilicet ante oculos habeant, & tamen concipiant propitiandi Dei fiduciam. De ſacrificiis Adæ nulla fit mentio. Hactenus ille, qvem his verbis ſeqvitur David Pareus in p. 117. b. Comment. in h. l. Tom. I. Oper. part. I. edit. opt. Francof. M. DC. XLVII. in fol. *Sed*, inqvit, *non leguntur fuiſſe præcepta patribus ſacrificia: & Ethnici ſua ſacrificia ipſi confinxerunt: videntur idem feciſſe patres.* Reſpond. *Tametſi inſtitutos fuiſſe à Deo hos ritus, expreſſè Moſes non dicat: tamen ex iis, qvæ dicit, certò id intelligitur, & aliunde conſtare poteſt. Dicit, Deo placuiſſe oblationem Abel. At non placet Deo* ἐθελοθρησκεία, *ſed obedientia mandato-*

rum, I. Samuel. XV. 22. Oblatio igitur Abel non fuit ἐθελοθρησκεία, *ſed obedientia mandati divini. Præterea Apoſtolus dicit, Hebr. XI. 4. Abel obtuliſſe per fidem. At fides non eſt ſine verbo Dei. Ergo obtulit, qvia Deus præceperat, & qvia confidebat, ſe & opus ſuum placere Deo; propter oblationem Meſſiæ futuram. Nihil verò etiam abſurdius fingi poſſit, qvàm Deum parentibus noſtris bona qvidem* βιωτικὰ *ſubminiſtrâſſe, de cultu autem ſuo & de æternis bonis acqvirendis nihil præcepiſſe. Non igitur eſt dubitandum, Deum Adamo accuratam ſacrificiorum rationem præſcripſiſſe, eorumqve ſignificata & uſum declarâſſe: & poſteris tradendam mandâſſe, qvæ in familiis ſanctorum patrum manſit uſqve ad Noam. Sed tandem in totius mundi degeneratione horribiliter fuit corrupta, penituſqve amiſſa, niſi qvantum in familia Noæ reſedit. Poſt diluvium in familia Noæ legitur inſtituta, & propagata ad Abrahamum, qvi biennio poſt obitum Noæ natus eſt, & in ſua familia Eccleſiam cum veris ſacrificiis ſervavit: Reliqva fex* (ita lego pro *ſex*) *hominum extra Eccleſiam peregrinos cultus & ſacrificia ſibi confinxit ſine verbo, ut ſolet mundus* κακοζηλίᾳ *qvâdam æmulari Eccleſiam. Promulgatâ demum lege Deus in populo ſuo ceremo-*

monias ſacrificiorum novis præceptis finxit; qvibus intra limites continentur, (fortè *continerentur*) *ne Ethnicorum more varios cultus & idola confingere præſumerent. Ceremonialis enim lex Moſi à DEO tradita nihil fuit aliud, niſi antiqvæ legis ceremonialis renovatiò & amplificatio, id qvod præceptum de Sabbathò ſeptimi diei etiam oſtendit. Kain igitur obtulit de frugibus terræ* mincha *ex præcepto, qvod Deus poſteà repetendo ſanxit Lev. II. Oblationes qvoqve primogenitorum & adipis ab Abel factas, DEUS iterum ſanxit, Exod. XIII. & XXIX. & Levit. III. Hinc* Papiſtarum *refutatur argutia pro ſuperſtitionibus tuendis. Sacrificia hæc, inqviunt, fuerunt cultus Dei; nec fuerunt à Deo mandata. Qvædam igitur non mandata à Deo ſunt cultus Dei: & bonâ intentione facta placent Deo.* Reſpondeo: Primùm *conſeqventia eſt vitioſa, minore negativâ in tertia figura.* Deinde *minor eſt falſa. Placuerunt Deo. Ergo ejus voluntate & mandatô fuerunt oblata. Niſi enim fuiſſent obedientia placuiſſent.* (lege: *fuiſſent mandata obedientia non placuiſſet*) *Abſqve mandato autem non fuiſſent obedientia. Et ideò Abel dicitur ſacrificâſſe ex fide qvæ non eſt ſine verbo & obedientia verbi.* Præ ceteris verò valde pro-

lixus eſt in enodenda qvæſtione, *an abſqve DEI mandato ex privata intentione ſacrificia obtulerint?* magnus noſter Gerhardus, in p. 132. Commentar. in Geneſ. qvi videatur. Ut falſa ſine dubio ſit eorum ſententia, qvi ob naturalem qvamdam religionem veteres ſacrificâſſe dicunt atqve ſacrificia juris naturæ faciunt. Recta è ratione, qvâ concludit homo, DEUM optimis, qvæ ei ſunt in peculio, colere ſe debere, ritum hunc originem traxiſſe, Simon autumat Epiſcopius. *Abel*, inqviens, lib. I. Inſtitut. Theol. c. VIII. ſect. III. *fide ſolâ, nullô præceptô divinô adductus, id eſt rationis rectæ ſolius inſtinctu, DEUM judicavit colendum eſſe, rebus, qvas habebat in peculio ſuo, optimis; id eſt, ſacrificiis de primogenitis pecudum ſuarum, & de earum adipe.* Qvaſi qvis aliqvid ex fide agere poſſit nullô præceptô divinô adductus? vel idem eſſet *ex fide* agere, & *ex recta ratione*, ſine præcepto ullo; vel ulla fides eſſet, qvæ non reſpiceret & præceptum, & promiſſum; aut Deus novos modos cultûs ſui inveniendi copiam indulſerit arbitrio creaturarum; vel tota hæc fuiſſet ratio ſacrificii *Abelis*, qvòd Deum colendum eſſe rebus, qvas in peculio ſuo optimas habuit, ſtatuerit? qvæ omnia planè ἀϑεόλογα.

Ipſi

Ipſi illi Simoni Epiſcopio non tantùm qvoqve perinde eſt, an ſacrificiorum, DEO mactandorum, ritus, ex naturæ lege ortum habuerit, an ex inſtitutione divina, ſed etiam aſſeritur ab eodem p. 32. Oper. Ritum iſtum ſacrificandi inductum fuiſſe ab ipſo mundi primordio, *ex ingenti qvodam Zelo atqve affectu, DEUM demerendi & honorandi*, iſtô ſingulari actu atqve officiô, qvô optima, cariſſima & pretioſiſſima qvæqve honori DEI impendebantur, atqve ita publicitùs demonſtrabatur, iſta omnia majori Jure DEO deberi, qvàm hominibus; qvorum uſui atqve eſui, atqve voluntati qvotidie ſerviebant: *DEUM autem ritum iſtum, etiamſi fortè optimus non videretur (neqve enim credibile eſt, DEUM ſangvine & cæde innocentium delectari, qvæ ratio fortè etiam ſufficit, ut credamus, ritum hunc ab ipſo DEO imperatum non fuiſſe) tamen qvia ex tam religioſo animo proveniebat, gratum habere voluiſſe*, & ut porro ſemper uſurparetur pro benignitate ſua permiſiſſe; adeoqve poſteà tandem etiam cariſſimo populo ſuo injunxiſſe ac præſcripſiſſe. Aliter certè, ut de ſacrificiorum origine judicemus, poſt Abelis & Caini ætatem, Diluvii hiſtoria facilè perſvadet. Geneſ.

neſ. VIII. 20. 21. E qva colligere in facili eſt, Sacrificiorum ritus, à DEO traditos, ad poſteros ſuos Noachum tranſmiſiſſe, manſiſſeqve aliqvamdiu in familiis Noachidarum incorruptam religionem, donec Idololatria ſuccederet in locum. Sed tunc qvoqve, qvando mutârunt τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν, uti Apoſtolus Rom. I. 23. loqvitur, manſerunt nihilominus ritus & ceremoniæ, à pio uſu ad impium tranſlatæ, magnum adverſus gentes teſtimonium, acceptæ veritatis, ſed per injuſtitiam detentæ, uti locô citatô docemur. Omnes certè gentes perſvaſiſſimum habebant, delictis hominum offendi vehementer & iraſci DEOS; ac ex hac ira ſeqvi ſolere magnas calamitates, qvà publicas, qvà privatas. Iram tamen hanc ſperabant averti poſſe qvibuſdam victimis. Qvare eadem ſacrificia dicebantur ἱλαστικὰ, ἁγνιστικὰ καὶ καθαρτικὰ, Latinè *placamina*, *februa*, *piamina*, qvibus ſcilicet placari Numen, reus ipſe purgari, peccatum piari & luſtrari credebatur. Atqve hæc omnia reliqviæ fuerunt ejus Noachi facti, qvod Hiſtoricus Sacer recenſuit. Ut omnino rectè judicent, qvi dicunt, *DEUM docuiſſe Adam cultum divinum*, *qvô*

qvô recuperaret ejus benevolentiam, qvam amiſerat per peccatum tranſgreſſionis, & ipſum docuiſſe filios ſuos, dare ſcilicet decimas & primitias. Qvæ ſunt verba Hugonis de S. Victore in Adnotat. Elucid. in Geneſ. ad h. l. Gilb. Genebrardus, lib. I. Chronogr. ad ann. CXXX. p. m. 9. edit. Pariſ. M.D.LXXXV. in fol. *Hebræos*, inqvit, *tradere, Adamum priùs bovem ſive juvencum ſacrificâſſe, illumqve ritum filios docuiſſe.* Dixerat antè paullò, p. 8. ex Hiſtoria Scholaſtica, & Gvil. Nangiaco, *Adamum in ſpiritu docuiſſe filios obferre DEO decimas & primitias & reliqvum DEI cultum. Cùm inde habuerit Abel, ut de grege ſuo agnum, Cain de ſuo agro terræ fruges obferret.* Vide B. Gottfridum Olearium in Diatribe Theologic. de Utroqve Teſtam. qvam inſeruimus Faſci noſtro II. Exercitationum Philologico-Hiſtoric. n. IV. §. XI. & XXX. p. 211. ſ. 221. ſ. B. Ægid. Strauch. Senariô X. Poſitionum Hiſtoricar. qvas eodem in Faſce n. II. habes, Poſit. II. p. 104. ſ. Celeberr. Joh. Owenum in θεολογȣμένων παντοδαπ. lib. II. c. I. §. IX. p. m. 127. ſ. edit. Bremenſ. M. DC. LXXXIV. in 4to. B. Joh. Conr. Dieteric. p. 206. a. Antiqvit. Biblicar. Concludam verbis Joannis Merceri: *Hebræi putant*, inquit

in Prælection. in Geneſ. p. m. 108. a. *ſacrificium Cain Deo diſplicuiſſe, qvòd imminuta offerret & viliora, non optima qvæqve, exemplô ſervi, aut coloni, qvi Domino tardiores fructus afferebat, cùm interim ipſe primarios comediſſet: ideo hôc locô non dicit de primitiis frugum, ut lex jubet, itaqve legem non obſervâſſe in ſuis ſacriciis offerendis. Sed lex nondum erat tradita. Veriſimile tamen eſt eos à patre edoctos fuiſſe, & patrem per revelationem accepiſſe à Deo ſacrificiorum rationem & ritum, etſi de Adami ſacrificiis nil legatur, ſed non dubitem eum ſacrificâſſe & filios docuiſſe. Veteres illi patres ſacrificia cum fide obtulerunt, ut ſuam gratitudinem Deo teſtarentur externô cultu, interim in unicum Chriſti ſacrificium ſuô tempore faciendum, qvô omnia peccata expiarentur animô & fide reſpicientes, itaqve externo cultui internus accedebat, & animi puritas ac fides, ſine qva Deo placere impoſſibile eſt. Hìc habes Eccleſiæ duplicis imaginem, Chriſti, qvæ fide & cultu ſpiritali ac internô Deo ſervit & eum colit, & hypocriticæ, qvæ externis tantùm ceremoniis perfunctoriè Deo placere, & eum ſibi conciliare ſtudet, ut hìc Cain, altera in Habel repræſentatur. Ceterùm etſi malignè ſacrifi-*

cia offerre potuerit Cain Domino, non tamen in eo cauſſam cur Deo diſplicerent fuiſſe puto, ſed qvòd fide careret, & animum malignum gereret, ubi, qvamtumvis integra & legitima obtuliſſet, Domino non placuiſſent. Et poſt pauca: *Habel attulit*, inqvit rurſus idem, *etiam ipſe in certum ſcil. locum, qvô conveniebant, cultum externum Domino exhibentes, & preces ſolennes DEO concipientes palam, de primogenitis gregis ſui, ovium ſuarum, ut lex poſteà juſſit.* Rectè, etſi enim de loco nihil expreſſè Moſes, certum tamen innuit, cùm dixit *oblationem ſuam* utrumqve adduxiſſe, vel venire feciſſe. Non dubium, qvin ad aram in loco aliqvo ſacro dedicatam. *Qvod locum attinet*, inqvit Muſculus in h. l. p. m. 116. *ubi ſacrificârunt Adam, Cain & Abel, ſcribit c. I. lib. I. Cabalæ, qvòd factum ſit ab Adamo altare in monte Moriæ, ſuper qvo ipſe, filii & poſteà Noë, & Abraham immolârint.* IV. Oblatio dicitur מנחה. Deducitur autem hoc ipſum nomen omnium optimè è radice מנח Arabibus adhuc uſitata, ſignificante *donavit, munere, donô adfecit.* Vide Höttingerum, lib. I. Smegmatis Orientalis, c. VII. p. m. 167. מ enim radicale hìc eſſe, & non ſervile, uti qvidam volunt, dedu-

centes à נוח *qvieſcere* , docet pluralis מנחות ter in ſacris occurrens, Num. XXIX. 39. ולמנחתיכם. Pſalm. XX. 4. cum adfixo, יזכר כל־מנחותיך, & Amos V. 22. ומנחתיכם. Proinde Minchah qvalecumqve ſignificat donum , ſeu oblationem qvamvis placantem; Livio, lib. VII. c. II. *placamen*, Plinio, libr. VIII. c. XLVII. princip. *placamentum* dictam, ſive ſit eccleſiaſtica vel ſacra, DEOqve ipſi obferatur rebus ex inanimis, ut farina , placentis , oleo , thure & aliis, qvæ, ratione thuris, gratum edebat odorem ; vide Levit. II. 1. ſ. VI. 14. ſ. Numer. XV. 4. Pſalm. XL. 7. XCVI. 8. ſive ſit profana , fiatqve homini , qvomodo donum Eſavo oblatum hôc vocatur nomine Geneſ. XXXII. 13. 18. 20. 21. XXXIII. 10. XLIII. 10. 14. 25. Judic. III. 15. 17. 18. 2. Sam. VIII. 2. 6. 2. Regum. XX. 12. 1. Chronic. XVIII. 2. 6. Hôc in loco noſtro ac ſeqvente comm. 4. prior , qvæ conſvetior qvoqve , obtinet ſignificatio. *Mincha* , inqvit dictô Mercerus locô, *propriè ſacrificium cibarium , qvod ex farina fiebat , cujus forma traditur Levit. II. & ferè omnibus ſacrificiis animantium addebatur unà cum libamine. Eſt tamen ſæpe nomen hoc generale ad omne ſacrificium , ut mox in Cain , imò & ad omne munus.*

Jo-

Johan. Piſcator, Commentar. h. l. p. 32. a. *Minhhah*, inqvit, *nomen generale, qvô ſignificatur qvodvis munus, qvod offertur honoris cauſſâ, etiam qvod offertur homini. Sic infra XXXII.* 14. *tribuitur muneri, qvod Jacob fratri Eſau honoris cauſſâ miſit. Interdum verò hoc nomen reſtringitur ad oblationem ſacram, conſtantem ex rebus inanimis, ut videre eſt Numer. XXIX. ubi Minhhah à ſacrificiis pecudum diſtingvitur. A verbo* נחה *nahhah, id eſt, duxit.* At de radice paullò diximus antè. Ne verò ducamus à נחה, Grammatici monent, obſtare rurſus pluralem מְנָחוֹת, cùm ita ſcheva ſub ſecunda radicis in hac nominum forma ſoleat dilatari. In ſcripturis tamen abſolutum plurale non legitur, ut adducta tria loca indicant. נחה autem de perſonarum deductionibus uſurpatur. Vide hac de voce rurſus B. noſtrum Jo. Conr. Dieteric. in Antiqvit. Biblic. p. 210. a. b. Chriſtoph. Crineſium Slaccowaldo-Bohemum, AltorfI Noricor. S. Theolog. Profeſſorem, Eccleſiæqve ejuſdem Miniſtrum, III. Gymnaſmatum Theologicor. §. 85. ſ. p. m. 49. ſ. edit. Norib. M. DC. XXVI. in 4to. Matthiam Martinium, col. 2054. Etymolog. Voce *Munus*, edit. Bremenſ. M. DC. XXIII. in fol. V. Materiam obla-

oblatam exprimit Moſes, qvod ad Cainum attinet, verbis מפרי האדמה, id eſt *de terræ fructu*. Nomen פרי *fructus*, (à radice פרה *fructum fecit, crevit*, in Hiphil הפרה *creſcere fecit*, à qvo אפרים *Ephraim*) generalius eſt; comprehendens ea, qvæ profert vel terra, vel arbores, vel animalia, vel homines, nam & fœtus filiiqve adpellantur *fructus ventris*. De עץ פרי עשה פרי למינו, *arbore fructifera faciente fructum juxta ſpeciem ſuam* legitur Geneſ. I. 11. Hìc componitur cum præfixo מ, qvod & in c. præcedentis III. commate fit ſecundo: מפרי עץ־הגן נאכל: *de fructu arborum horti veſcimur*; & comm. ſtatim. 3. ומפרי העץ אשר בתוך-הגן אמר אלוהים: *At de fructu arboris, qvæ eſt in medio horti dixit DEUS.* Sic Levit. XXVII. 30. *Omnes decimæ terræ*, ſive *de ſemine terræ*, ſive מפרי העץ *de fructu arborum Jehovæ ſunt*. Deuteron. I. 25. ויקחו בידם מפרי הארץ. *Et tulerunt in manu ſua è fructu terræ illius.* Ita ut perſpicuum ſit Cainum obtuliſſe fruges. Hebræi putant ipſum obtuliſſe linum, id qvod è nomine קרבן colligunt; cujus literæ ſunt קוף, ריש, בית, נון, qvarum vocum extremas ſi litteras ſumſeris, habebis פשתן, qvod Mercero in h. l. p. m. 108. b. non ab re curio-

rio-

rioſum nimis eſt, & argutum ac Cabalicum. *Hebræi dicunt*, inqvit in h. l. Petrus Martyr, p. m. 19. a. *Cainum obtuliſſe ſemen lini, & munera ejus DEO non fuiſſe accepta, qvòd eſſent fructus terræ, qvæ jam à Deo eſſet maledicta. Scribit præterea Joſephus primô Antiqvitatum librô hoc ideô contigiſſe, qvòd illi fructus terræ à Caino oblati Deo, erant nati induſtriâ avari hominis, non item hoſtiæ è gregibus, cùm illæ videantur ſponte oriri & naturæ ductu procreari. Sed neutra iſtarum rationum eſt efficax, ſiqvidem ad terram etiam pertinent animantia uti fruges, cùm inde & oriantur & nutriantur, & ad fructus gregum percipiendos induſtria magiſtrorum pecoris reqviratur. Qvare prima cauſſa hujus diverſitatis divina electio eſt, ſecunda, fides.* At ob fidem in Meſſiam DEUS elegit oblationem Abelis præ Caini, Hebr. XI. 4. qvippe cujus oculi fidem reſpiciunt, Jerem. V. 3. & ſine qva DEO placere neqvimus, Hebr. XI. 6. Hugo Grotius putat fuiſſe ſagmen, cujus antiqviſſimum apud omnes gentes uſum fuiſſe dicit in ſacris. Laudat Porphyrium in ſecundo de abſtinentia, apud qvem invenio: ἐ τούτων (nempe myrrhâ, caſiâ, thure, crocô) ἔθυον πρότερον ἀλλὰ χλόης. οἷον

εἴτινα

ἅπτινα τῆς γονίμου φύσεως χνοῦν ταῖς χερσὶν ἀράμενοι. Δένδρα μὲν γὰρ πρὸ ζώων ἀνέδωκεν ἡ γῆ· τῶν δένδρων ἢ πολὺ πρόσθεν τὴν ἐπέτειον γεννωμένην πόαν, ἧς δρεπόμενοι φύλλα καὶ ῥίζας καὶ τοὺς ὅλους τῆς φύσεως αὐτῶν βλαστοὺς κατέκαιον. Hinc ſenſim ad alia ſacrificatarum genera rerum perveniſſe & animalium immolationem: Herbas in ſacrificium oblatas ſagmina adpellabant Romani & verbenas. Plinius lib. XXII. c. II. extr. *Interim fortiùs augetur auctoritas: qvæ qvanta debeatur etiam ſurdis hoc eſt, ignobilibus herbis perhibebitur, Siqvidem auctores Imperii Romani conditoreſqve immenſum qviddam & hinc ſumpſêre; qvoniam non aliunde ſagmina in remediis publicis fuêre & in ſacris legationibuſqve verbenæ. Certè utrôqve nomine idem ſignificatur, hoc eſt, gramen ex arce cum ſua terra evulſum: ac ſemper & legati cùm ad hoſtes clarigatumqve mitterentur, id eſt, res raptas clarè repetitum, unus utiqve* Verbenarius *vocabatur*. Rami, virgæ, frondes ſacrarum arborum: herbæ ex puro loco decerptæ, qvibus aræ coronabantur, feſtis diebus, qvæqve adolebantur, dictæ verbenæ. Si cum clariſſimo Grotio, inqvit Chriſtian. Schotanus in p. m. 16. חזה, ſentiamus ſagmina fuiſſe antiqviſſimi uſus in ſacris, non putabimus tamen

men cum Porphyrio ante animalium ſacrificationem fuiſſe in uſu. Anne, ſi & Grotio adſentiamur de uſu terræ gignentium in ſacris anteqvàm animalia mactarentur, eidem adſentiri poterimus in eo, fuiſſe ante lactis & lanæ oblationem, qvam putat factam eſſe ab Abel? Fuiſſe herbas ante arbores longô tempore dicemus ne cum Porphyrio, qvare cùm nondum poſſent arborum fructus, oblatam fuiſſe herbam minutam ex agro? Si gratiora Deo, qvæ de herbis, ſi ſimpliciora ſacra, miror περιεργίαν in Abel, in Cain ſimplicitatem. Non obtulit Cain ſagmina id eſt folia, & ſcapos herbarum, obtulit enim מפרי האדמה. Ni fallor, diſtincta ſunt פרי & דשא ſive עשב. In c.I. comm. 11. 12. diſtinctè פרי arboribus, & ſolum ſemen herbis adſcriptum video. Et animadverto vocem eam de animalibus ac homine, nuſqvàm herbis prædicari. De herbis nuſqvàm ſed frugibus qvæ edule ſemen habent. Hebræi exiſtimantes Cain vilem obtuliſſe oblationem, dicunt ipſum obtuliſſe פִּשְׁתָּן *linum*: nemo ſomniavit de ſcapis & verbenis. Niſi inſignis prævaricator fuerit & illudere voluerit ipſi Deo, obtulit, qvod proferri lex & ratio ſvadebant. Hæc jubent offerri, qvod eſt hominum gratiſſimum, ut tu ipſe docui-

cuiſti, eóqve qvod eſui & uſui erat humano. Audio etiam qvæ dicis in ſeqventibus: *Cùm nihil Deo ſacrari ſoleat, niſi qvòd in uſu ſit hominum.* Cain certè prævaricatus non eſt in oblati genere, qvia iniqvum eſſe putabat, & rationem nullam eſſe, qvare ſuum non æqvè ac Abeli ſacrificium à Deo reciperetur. Inſignis hypocrita fuit, qvod genus hominum in externis non deficit. Qvid igitur obtulis? Fructum terræ. Eum uſitatiſſimè dici arbitror de frugibus. Nam fruges etiam ſub lege in ſacris. Hactenus Schotanus. Si Grotius dixiſſet, cum *Peri Haadamah*, i. e. *frugibus terræ* à Caino oblatas ſimul verbenas fuiſſe, rem qvidem Moſi tacitam, è priſcis tamen, qvarum non rudis erat Hugo, ceremoniis non incredibilem dixiſſet; cùm verbenarum incenſum non tam ipſum ſacrificium, qvàm ſacrificii, pro ſuffitu, fuerit adpendix. Horatius, lib. IV. Carmin. Od. XI. 6.

——— *Ara caſtis*
Vincta verbenis avet immolatô
Spargier agnô.

Ubi Acron: *Verbenæ ſunt omnes herbæ, frondeſqve feſtæ ad aras coronandas: dictæ qvaſi herbenæ.* Idem Flaccus, lib. I. Carmin. Od. XIX. 15.

Heic

Heic vivum mihi ceſpitem, heic
Verbenas pueri ponite, thuraqve
Bimi cum patera meri
Mactata veniet lenior hoſtia.

Ubi rurſus Acron: *Verbena eſt herba virens. Benè certè verbenas, ceſpitem, & tus reqvirit, qvia Venus non placatur ſangvine.* Terent. Andr. IV. III. 11. —— *Ex ara hinc ſume verbenas tibi Atqve eas ſubſterne* —— —— Ubi Donatus: *Verbenæ qvaſi herbenæ, redimicula ſunt ararum.* Et paullò pòſt: *Verbenæ ſunt omnes herbæ, frondeſqve feſtæ ad aras coronandas; vel omnes herbæ frondeſqve ex aliqvo loco puro decerptæ.* Virgil. Ecl. VIII. 65.

Verbenaſqve adole pingves, & maſcula
tura.

Et lib. XII. Æn. v. 120. —— *Verbenâ tempora vincti.* Ubi Servius: *Verbena*, inqvit, *propriè eſt herba ſacra, ros maximus, ut multi volunt, id eſt, λιβανωτὶς, Licutagonis ſumpta de loco ſacro Capitolii, qvâ coronabantur Feciales & Paterpatratus federa facturi, vel bella indicturi. Abuſivè tamen verbenas jam vocamus omnes frondes ſacratas, ut eſt laurus, oliva, vel myrtus. Terentius:* ex ara ſume hinc verbenas. *Nam myrtum fuiſſe Menander teſtatur, de qvo*

**** *Te-*

Terentius tranſtulit. Qvidam ſanè veris proximi herbas verbenas dicunt. Alii certa ligamenta verbenam volunt vocari. Hanc ſimplicitatem imitabantur poſteri. Nam qvoſdam apud Ethnicorum deaſtros nulla, niſi terreſtris & ſine ſangvine; litabilis (ut cum Lactantio dicam, è lib I. c. XXI. vel habilis ut qvidam ibi malunt) acceptaqve Hoſtia. In Delo antiqviſſima ſtetit ara Apollinis Γενέτορος *Genitoris*: hanc numquàm victimarum ſangvine imbutam ferunt. Diogenes Laërtius, in VIII. c. XIII. de Vitis Philoſoph. tradit, πυροὺς καὶ κριθὰς, καὶ τὰ πόπανα μόνα τίθεσθαι ἐπ' αὐτοῦ ἄνευ πυρὸς, ἱερεῖον δὲ μηδέν, *fruges & hordeum, ſolaſqve placentas ſine igne illi, nullum verè imponi animal.* Macrobius, lib. III. Saturn. c. VI. ex Cloatio Vero docet, ad aram illam hoſtiam cædi nullam, ſed qvòd tantùm ſolenni Deum prece venerantur; ideoqve Pythagoram produnt adorâſſe aram velut inviolatam. His adde Cl. Alexandrinum, Strom. lib. VII. p. 717. τὸν μὲν ἀρχαιότατον βωμὸν ἐν Δήλῳ ἁγνὸν εἶναι τεθρυλλήκασι. πρὸς ὃν δὴ μόνον καὶ Πυθαγόραν προσελθεῖν φασι, φόνῳ καὶ θανάτῳ μὴ μιανθέντα, *vetuſtiſſimam in Delo aram PURAM, eſſe jactitârunt; ad hanc ſolam ajunt acceſſiſſe Pythagoram, nullâ cæde & mor-*

te

te inqvinatam. Dan. Heinſius in hunc locum appoſitè Cyrillum, lib. IX. contra Julian. producit, ajentem, Deliacum illud altare, *Piorum Aram*, dictum, qvòd nullum in eo ſacrificaretur animal. Jamblichus, c. V. de Vita Pythag. ἀναίμακτον, *non cruentatam*, indigitari ſignificat. Philoſtratus, lib. I. de Vita Apollon. refert Pythagoræ ſacrificia eſſe, μὴ αἱμάττειν τοὺς βωμοὺς, *non cruentare aras*, ἀλλ᾽ ἡ μελιττοῦττα, καὶ ὁ λιβανωτὸς καὶ ὁ (lego οἱ) ἐφυμνῆσαι *verùm mellita placenta & thus, thuriſqve mantiſſa, hymnus, hæc ab illo ad Deos aſcendere.* Illius veſtigia preſſit Empedocles, qvi, Philoſtratô, l. c. & Euſtathiô in Odyſſ. p. 1454. auctoribus, in certamine Olympico eqvis vincens, bovem mentitus eſt, ex variis ſtructum aromatibus, eumqve ſpectatoribus diviſit, qvia ipſe animantium cæde abhorrebat. Theophraſtus in p. m. 34. Titul. de ſordida parcimonia, Character. Ethicor. edit. Lugdun. M. DC. XXXVIII. in 8t. θυλημάτων, ut Caſaubonus emendat, meminit, qvæ aliô nomine, ψαιστὰ dicuntur, hoc eſt fruges ἐψαισμέναι, ſive fractæ ſaxô, vel molitæ. Latinis *molæ*, vel *liba.* vide Grammaticos. His ſolis antiqviſſimi homines deos ſibi conciliabant, ut ait Ovidius in Faſtis, qvare

cùm poſterior ætas alia ſumtuoſiora ſacrificia uſurpare cœpiſſet, is honos antiqvitati habitus, ut non ſolùm adolendas victimarum partes farre conſpergerent, (de qvo ritu Poëtæ interpretes, Ovidius, XV. Metamorph. & Dionyſius Halycarnaſſ. lib. VII. aliiqve) ſed etiam poſt omnia, extremô locô tandem *θυλήματα* tanqvàm obſerumentum Deo gratiſſimum obferrent. Notat hunc ritum Porphyrius, Περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, lib. II. *τοῦ δ' ἀληλεσμένου βίου παρὰ τὸ πρόσθεν μακαρισθέντος ἀπήρξαντο τῆς ψαυθείσης τροφῆς πρῶτον εἰς πῦρ τοῖς θεοῖς. ὅθεν ἔτι καὶ νῦν πρὸς τῷ τέλει τῶν θυηλῶν, τοῖς ψαισθεῖσι θυλήμασι χρώμεθα.* Atqve hoc propriè *ἐπιθύειν* poſterior ætas dixit, ut docet idem auctor, qvia poſt alia ſacrificia fiebat. Sed & *θυλέεσθαι* verbum eſt, qvod ſignificat *θυλήματα* obferre. Porphyrius eôdem librô de pauperis Docimi oblatione loqvens, *ἐκ τῆς παρακειμένης πήρας τῶν ἀλφίτων ὀλίγας δράκας ἐθυλήσατο* Conſtat autem ex hiſtoria, pauperiorum ſacrificia non alia ferè qvàm iſta fuiſſe. Theophraſtus apud Stobæum, *τὸν δὲ μὴ οἰκοῦντα ἐν ἄστει, θύειν τὸν ὅρκον ἐπὶ τοῦ Διὸς τοῦ ἀγοραίου. τὴν δὲ θυσίαν τῶν ἐλαττόνων εἶναι θυλήμασι.* Divites verò cùm alia ſacrificabant, tum etiam locô *θυλημάτων* thura, & alia id genus libamina in buſtum aræ jaciebant. Athenienſes

deæ

deæ εἰρήνη *paci*, ἀναίμακτον ſacrâſſe victimam, ex Ariſtophane diſcamus, licet:

Οὐχ ἥδεται δήπουθεν εἰρήνη σφαγαῖς
οὐδ' αἱματοῦται βωμός.
Non certè pacem cæſa juvat victima,
Nec ara cruentatur.

In Pace, p. m. 664. edit. Lugdun. CIↃ IↃ C XXIV. in 12. adderem verſum, ſi exemplar ullum in Bibliotheca mea haberem, cui verſus additi. Pervenit ad me è Bibliotheca Dan. Heinſii exemplum qvoddam merè Græcum in 8t. M.D.XXXVIII. Venetiis editum non ſine manu ac notis laudati Heinſii, cui & Ariſtophanis Comœdiæ XI. è Græco in Latinum ad verbum tranſlatæ, Andreâ Divô Juſtinopolitanô interprete, Baſileæ, M.D.XLII. in 8t. evulgatæ, ſubjunctæ ſunt: ſed in priori nec paginas habes. Alii adducunt memoratum locum è p. 698. Tu vide & Scholiaſten ibid. Amo præ ceteris Nicodemi Friſchlini Ariſtophanem, qvippe qvem is non ſolùm repurgavit à mendis, ſed & imitatione Plauti atqve Terentii ita interpretatus eſt, ut ferè Carmen Carmini, numerus numero, pes pedi, modus modo, Latiniſmus Græciſmo reſpondeat. Prodiit Francofurti ad Mœnum CIↃ IↃ XCVII. in 8t. Qvæ in Studioſorum gratiam interſerere

placuit, his enim ſcribimus. Ceterùm iidem Athenienſes etiam ἐλέου βωμὸν, *Miſericordiæ Aram*, ſangvine habuerunt indelibatam, de qva Statius, lib. XII. Thebaid. v. 487.

Parca ſuperſtitio: non thurea flamma, nec altus
Accipitur ſangvis. lachrymis altaria ſudant.

Præclarè ibi Lactantius Grammaticus, *nullô ſacrificiô*, inqvit, *nec ſumptuoſis litationibus, ſed ſolis miſerorum lachrymis, pietate opulentum Numen placari conſvevit.* Græcos imitatus Numa Pompilius *Termino* animalia immolari noluit; Eum namqve ὡς ἐπίσκοπον καὶ φύλακα φιλίας καὶ εἰρήνης, ᾤετο δεῖν αἵματος καὶ φόνου καθαρὸν καὶ ἀμίαντον διαφυλάττειν. *tamqvàm inſpectorem & amicitiæ paciſqve cuſtodem, à ſangvine purum impollutumqve ſervandum exiſtimabat.* Plutarch. in Qvæſt. Rom. p.m. 267. C. & in Numa, p.m. 71. A. edit. Pariſ. Huc pertinet illud Dionyſii Halicarnaſſ. de Romanis, lib. II. Antiq. Rom. p. m. 134. edit. Lipſ. M. DC. XCI. θεοὺς τε γὰρ ἡγοῦνται τοὺς Τέρμονας, καὶ θύουσιν αὐτοῖς ἔτι, τῶν μὲν ἐμψύχων οὐδέν· οὐ γὰρ ὅσιον αἱμάττειν τοὺς λίθους· πελάνους δὲ Δήμητρος, καὶ ἄλλας τινὰς καρπῶν ἀπαρχάς. *nam & Terminos pro Diis habent, & adhuc illis non qvidem animalia, nefas enim lapides ſangvine inficere: ſed placentas ſa-*

ſacrificant Cereales & alias qvaſdam frugum primitias. Qvæ Plutarchi & Dionyſii loca Excellentiſſ. Dn. Ulricum Obrechtum liberaliter ſibi ſuggeſſiſſe non diffitetur ingenuitatis memor, litteriſqve homo multis præditus, Cl. Dn. Joach. Kühnius (qvem audio & doleo diem obiiſſe ſupremum) in p. 7. Animadverſionum in Julii Pollucis Onomaſticon. Cujus Pollucis locum è lib. I. c. I. Sect. XXIV. v. 35. Τὰ δὲ ἀρώματα καὶ θυμιάματα καλεῖται· Θουκυδίδης δ᾽ αὐτὰ εἴρηκεν ἁγνὰ θύματα, πρὸς τὰ αἱμάσσοντα καὶ σφαττόμενα ἀναπιθεὶς σμύρναν, λιβανωτόν; à Gvalthero Latinè redditum obſcurè frigidéqve: *Aromata verò ipſa & ſuffimenta vocantur. Sed Thucydides & Caſta ſacrificia nominavit, ad ſangvinolenta mactatáqve myrrham & thus imponens*; planiùs hunc in modum, qvâ fuit rerum Græcarum plurimâ atqve variâ ſcientiâ, interpretatus eſt, p. 1. *Aromata verò etiam ſuffimenta dicuntur, Thucydides autem illa nominavit* pura ſacrificia, *cruentantibus mactatiſqve myrrham, Thus opponens*; in ἐπιμέτροις, p. 134. addens de *puris ſacrificiis* inſignem è Dionyſ. Halicarnaſſ. locum, lib. I. Roman. Antiqvit. p. 24. edit. Rob. Stephani: Ubi tradit ante Herculis adventum in Italiam homines fuiſſe, Saturno im-

molatos. Ἡρακλέα δὲ (λέγουσι) παῦσαι τὸν νόμον τῆς θυσίας βουληθέντα, τόντε βωμὸν ἱδρύσασθαι τὸν ἐπὶ τῷ Σατουρνίῳ καὶ κατάρξασθαι θυμάτων ἁγνῶν, ἐπὶ καθαρῷ πυρὶ ἀζομένων. *Herculem verò (ajunt) ſacrificandi ritum aboliturum, & aram in colle Saturnio erexiſſe, & puris litâſſe ſacrificiis, purô igne adolitis.* Interpres Dionyſii ultima verba ita vertit, *auctoremqve fuiſſe* (Herculem) *ut ſanctæ hoſtiæ puris adolerentur ignibus.* Verùm, ἁγνὰ θύματα non ſunt *ſanctæ hoſtiæ*, id eſt animalia ſine labe, ἄμωμα, θύσιμα, ſed, ut ipſe Dionyſius, lib. VI. ſtatim ab initio elucidat, ἔμπυροι ἀπαρχαὶ, *primitiæ igne adolitæ*; puta *far toſtum* cum *pugillo ſalis*, ſeu *mola ſalſa* &c. At apud Patriarchas & in populo DEI nulla hujus ritus exſtat memoria. Abel ex oppoſito obtulit מבכרות צאנו *de primogenitis gregis ſui.* Radix בכר præcocitatem, maturitatem, primum qvodvis ſive tempore, ſive dignitate notat. Unde eſt 1. *Diluculâ ſurrexit, venit, abiit.* Et ſic convenit cum בקר litteris ejuſdem organi inter ſe permutatis. 2. *Primos fructus, primitias accepit, edidit.* Unde בכורים *primitiæ.* Singularis Arabibus בכור *præcox palma, fructus, omniſqve res alia citò ad maturitatem pertingens.* 3. *Primô partu marem genuit femina.* Hinc

בכור

בכור *primogenitus*, *primogenitum*. Geneſ. XXV. 13. *Becor Jiſchmaël.* XXXV. 25. *Becor Jacob.* XXXVI. 15. *Becor Eſau.* XXXVIII. 7. *Becor Jehudah.* XLVI. 8. *Becor Jacob Ruben.* Et cum ה demonſtrativo c. XLI. 51. *Habcor Menaſſeh.* c.XLIII. 33. *Sederunt coram illo habcor kibcorato.* c. XLVIII. 14. *Ki Menaſſeh habcor.* & v. 18. *Ki ſeh habcor.* In Plurali femininum eſt, ſignificatione, qvaſi eſſet ab hoc præcedente maſcul. Sic בכורות *primogenita*, Nehem. X. 36. cui & ו & ם. præfixa ſunt. Sic ובכרת *& primogenita*, Deut. XII. 6. 17. XIV. 23. & hìc מבכרת *de primogenitis*. בכר verò non tantùm *primipara*: ſed & *ſemelpara* Höttingero eſt, lib. I. Smegmatis Orientalis, c. VII. p. 128. qvæ unô tantùm partu mater facta, id qvod probè notandum in Controverſia Helvidiana. Fuerunt autem hæc primogenita צאנו zonó: *ovium*, *gregis ovium*, *caprarum*, *minutorum paſcualium utriuſqve ſpeciei*, ſemper enim illud nomen צאן zon collectivè ſumi, vimqve habere pluralem ubiqve, ut ut ſemper ſingulare, obſervat Buxtorfius. Neqve enim צאן unam ovem, aut unam capram ſignificat, ſed multas ubiqve collectas. Et ſecunda Radicalis *Aleph*, qvæ alibi ſolet moveri, hìc qvieſcit in *Cholem*.

Unde eſt, qvod *Lexicographi* referunt ad צון, qvaſi *Aleph* ſit locô *Vau*. Sed nihil erat neceſſe, cùm in vocibus ראש *caput*, & פארה *ramus*, *Aleph* Radicale medium pariter qvieſcat in puncto *Cholem*: itaqve apud *Arabes Elif* τῷ ضان *hamza* habet adſcriptum, qvâ notâ indicant illud *Elif* pertinere ad radicem. Notandum interim, alicubi pro *Hebræo* צאן ſcribi צנא, & אנה, ut *Chalcaicè* ענא. Sic Num. XXXII. 24. *Ædificate vobis civitates pro parvulis veſtris, & caulas* לצנאכם *pro ovibus veſtris*. Et Pſalm. VIII. 7. *Omnia poſuiſti ſub pedibus ejus*, צנה *oves*. Qvomodo ſi ſcribatur, Radix erit צנא, vel צנה, id eſt, *Arabicè* ضنا vel ضني. Qvod apud illos *ſoboleſcere*, *fœtificare*, & *fœcundum eſſe* ſignificat. Sic apud *Lexicographos*, ضناي المرلة *multâ prole fuit mulier*, ضنا المال *greges valde fœcundi fuerunt*, الضنو *prolis copia*. Auctore Höttingerô, lib. I. Smegm. c. VII. p. m. 188. deſcendit ab Arabico צאן Conjugat. qvartæ, *ovibus abundavit*, ſignificante. Hinc Arab. צאין *Lanigerum pecus* opponitur τῷ מאען *qvod piloſum eſt*. Rabbi David Kimchi in Lexico: הבהמה הדקה הכבשים והעזים יקראו צאן פעם כולל בלם *Pecus minutum, ut oves, & capræ, vo-*

vocantur qvandoqve צאן *univerſali nomine.* Et *Pomarius*, ותדע שצאן הוה שם כולל עזים וכבשים *Scito nomen* צאן *commune eſſe capris, & ovibus.* Et *Aqvinas*, הבהמה הדקה כמו כבש ועז יקרא בשם זה הכולל *Tenue pecus, ut ovis, & capra, vocatur hôc generali nomine.* Itaqve צאן *Hebræis* idem eſt, qvod μῆλον *Græcis.* Neqve aliter reddi debuit, cùm de capris uſurpatur: ut Geneſ. XXVII. 9. *I nunc* אל הצאן, πρὸς τὰ μῆλα, *& cape mihi indè* שני גדיי עזים טובים *duos hædos caprarum bonos.* Et Geneſ. XXXVIII. 17. *Mittam hædum caprarum*, מן הצאן, ἐκ τῶν μήλων. Et Levit. I. 10. *Et ſi ſit* מן הצאן, ἐκ τῶν μήλων, *oblatio ejus ex ovibus*, nempe *aut capris.* Et Jerem. L. 8. *Eſtote ut hirci*, לפני צאן, κατὰ πρόσωπον τῶν μήλων. Qvamvis צאן & capræ qvandoqve opponi minimè negandum. Sic 1. Samuel. XXV. 2. *Et ei erant* zon, id eſt, *oves, ter mille, & mille capræ.* Vide Celeberr. Bochartum, part. I. Hieroz. lib. II. c. XLII. col. 420. c. XLIII. col. 432. Ceterùm qvandò antè paullò zon, gregem & propriè qvidem minorum animalium dixi ovium & capellarum: diſcernere volui ab armentis, cùm & Latini gregem ab iis diſtingvant non raro. Ita Virgil. in IV. Georg. v. 286.

Hoc

Hoc ſatis armentis. Superat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges, hirtaſqve capellas.

Ubi *armenti* adpellatione manifeſtè Maro eqvos & boves, de iis exſeqvutus præcepta, comprehendit. Ovid. IV. Metam. Fab. XVII. v. 634.

Mille greges illi, totidémqve armenta per herbas
Errabant. ——

Inde & Flaccus *avium* dixit *gregem*, lib. I. Epiſt. III. v. 19. Aliqvando tamen & *gregis* vocabulum de armentis dicitur. Virgil. in Sileno, qvi eſt Ecl. VI. v. 55.

Aut aliqvam in magno ſeqvitur grege.

Ubi Servius: *Notandum*, inqvit, gregem *eum de bobus dixiſſe, cùm propriè* armenta *dicamus. Licet* grex *ſit qvorumlibet animalium congregatio. Sic Cicero in Philippicis:* Fudit Apothecas, cecìdit greges armentorum. Nec fruſtra addidit Poëta *magno*, ut ab ovino genere diſtingveret. Idem Grammaticus ad illud ejuſdem Maronis, VI. Æn. v. 38.

Nunc grege de intacto ſeptem mactare juvencos
Præſtiterit. ——

Gre-

Gregem, inqvit, *pro armento poſuit: nam de juvencis dicturus eſt, ſed hæc per Poëticam licentiam ſæpe confundit. Illô locô* (lib. VII. Æn. v. 538.) *propriè poſuit*:

Quinqve greges illi balantum, qvina redibant
Armenta. ——

Lucretius qvoqve de bovino genere, lib. II. v. 661. *Buceriæqve greges.* Ubi & *greges* in feminino genere dixiſſe videtur, Noniuſqve obſervat communis olim fuiſſe generis, in p. 99. b. edit. Pariſ. CIↃ IↃXXCIII. in 8t. & ex eo I. de Analogia Voſſius, c. XXXIV. p. m. 527. In lingva ſancta haut rarò אלפים (cujus ſingularis in S. Codice non habetur) i. e. *armenta* conjunguntur cum gregibus, ut Deut. VII. 13. XXVIII. 4. 18. 51. & Pſalm. VIII. 8. ubi vide Optimum Geierum noſtrum. Porro non tantùm de primogenitis ſui gregis Abel obtulit; ſed & ומחלבהן *de adipibus eorum.* LXX. ἀπὸ τῶν πρωτοτόκων τῶν προβάτων αὐτοῦ, καὶ ἀπὸ τῶν στεάτων αὐτῶν. Freculphus, lib. I. Chronic. c. VI. *De primogenitis agnorum & lac.* Joſephus, I. Antiqvitat. c. III. Ἄβελος δὲ γάλα καὶ τὰ πρωτότοκα τῶν βοσκημάτων ἐπήνεγκε. Perſvaſit aliqvis, qvi inter *chalab* & *chéleb* cum qvinqve punctis non diſtinxit, qvæ diſtinctè leguntur Deuter. XXXII. 14. prius *lac* ſignificat,

cat, poſterius *adipem*, *pingvedinem*. Unde electum & optimum cujuſqve rei,per tranſlationem, dicitur ita, ut David Kimchi inqvit; ſicut pingvedo, ſeu arvina eſt optima & lectiſſima pars carnis. Sanè adeps eſt veluti cogulatum lac; unde & ad fructus frugeſqve transfertur, qvæ ſunt lacteæ, medullatæ, ſucculentæ & pingves. Sic Geneſ. XLV. 18. *Comedite* את־חלב *pingvedinem hujus terræ*. Levitic. XVI. 25. ואת־חלב *Et adipem peccati* (i. e. oblationis pro peccato) *adolebit ſuper altare*. c. III. 17. *omnem* חלב *adipem & ſangvinem non comedetis*. Numer. XVIII. 12. *Omnem* חלב *pingvedinem olei*, *& omnem* חלב *pingvedinem vini & frumenti*, i. e. electum aut optimum oleum & vinum, *tibi dedi*. in v. 17. ejuſdem capitis legitur cum adfixo ואת־חלבם *& adipem earum adolebis*. Deuter. XXXII. 14. *Butyrum bovis & lac ovium*, עם חלב כרים *cum adipe agnorum*, *& arietes filios Baſan*, *& hircos*, *unà* עם חלב כליות חטה *cum adipe*, vel potiùs pingvedine, *granorum tritici*, i. e. cum electis & optimis granis tritici, *& ſangvinem uvæ bibiſti*. Sic Pſalm. CXLVII. 14. חלב *adipe*, ſive pingvedine, *triticorum ſaturabit te*, i. e. optimô criticô. Ubi bonâ metaphraſi Apollinarius,

rius, cujus vel ob egregium indicem commendo editionem Pariſinam anni M. D. LXXX. in 8t. licèt & non neſciam eamdem metaphraſin cum interpretatione Latina prodiiſſe è typographæo Hieron. Commelini CIↃ IↃ XCVI. πλῆσε ἢ παλέῃ σὲ βίῃ μυελοεν-κέος ἀκτῆς· Pſalm. LXXXI. 17. *Edere fecit eum* מחלב *de pingvedine* vel deliciis *tritici*, ſeu de electo & optimo tritico, qvod Plinius lib. XVIII. c. VIII. IX. X. *ſiliginem*, Columella, lib. II. c. VI. *robum* cenſet, *qvoniam & pondere & nitore præſtat.* Græcis στέαρ πυροῦ· Suidas exponit κάλλιστον σῖτον, *lectiſſimum frumentum.* Longè abit Apollinarius explicans ζωαρκέα πυρὸν, *vitale triticum.* Noſtro in textu eſt cum adfixo ומחלבהן & deeſt jod ſignum numeri pluralis: qvamqvàm & ſingulare eſſe poſſit. Nonnulli qvoqve agnoſcunt jod codices, & ſic ſine dubio eſt numeri pluralis, habetqve ſic Targum משמניהון *& de pingvibus earum.* Et ſic ejus ſingulare eſt חלב, inſtar מלך *rex* & עבד *ſervus*, qvæ ſunt Toarim, auctore Rabbi Davide Kimchiô in libro Radicum. Hinc alii *de pingvedine earum*, alii qvibus plurale eſſe placet, *de adipibus earum* exponunt, ſenſu eôdem. B. Glaſſius, lib. III. Philolog. Tract. I. Can. VI.

p. m.

p. m. 393. (al. 24.) explicat *de primogenitis gregis ſui pingviſſimis*, qvomodo & Buxtorf. in Epitome Radicum Hebraicar. ſub חלב. Sic non raro duorum ſubſtantivorum unum induit adjectivi vices. Geneſ. I. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, i. e. ad imaginem egregiè ſimilem. c. XIX. 24. *Pluit Jehovah ſulphur & ignem*, i. e. ignem ſulphureum. Confer eumdem Glaſſium ibid. can. XLII. p. m. 494. (al. 162.) B. Gejerum in Pſalm. XXV. 10. p. m. 413. part. I. & in Pſalm. LV. 16. p. m. 1111. ubi hunc noſtrum locum adducit. Adde Cl. Martini Brunneri Græcæ Lingvæ in Academia Upſalienſi Profeſſoris eruditas notas in Palæphatum de Incredibilibus, p. m. 110. ſ. 209. ſ. edit. Upſalienſ. M. DC. LXIII. in 8r. Hugo Grotius laborat hìc valde, ne animalem DEO videatur obtuliſſe hoſtiam Abel, *cùm animantibus veſci ante diluvium non fuerit permiſſum*, incertum per non exploratum probans, qvamqvàm certum qvid dicat Moſes. Sed ſit ita, laborabit tamen conſeqventia. Non enim de omnibus fas victimis veſci erat, holocauſtumqve fuiſſe ſacrificium Abelis plurimi non ab re adfirmant. Ceterùm ſi non obtulit animal, qvid qvæſo obtulit? *Dici poſſet*, in-

inqvit, *oblatam lanam & lac pingviſſimum*. Videt ibi duo ſibi incumbere probanda, primum eſt, qvòd lac & lana ſolita obferri, ſecundum, qvòd id Moſis verba ferant. Qvòd lac & lana ſolita ſint obferri antiqvitus, eumqve fuiſſe morem antiqviſſimum, multis ex hiſtoriis docere ſcribit Porphyrium. De lacte haberi apud Virgilium; de lana Sophoclem apud & Pauſaniam. Platonem etiam & Empedoclem teſtari, qvòd antiqviſſimi aras ſangvine animalium non madefecerint. *At eruditiſſime*, ſubjicit Chriſtianus Schotanus in p. m. 16 ſ. חלבו, edit. Franeqverenſ. M.DC.LX. in fol. *docendum de populo DEI, non agimus de gentibus. Negabis ne tu apud populos à cognitione DEI alieniſſimos multa in ſacrorum uſum admiſſa & oblata, de qvibus ſacra hiſtoria nihil novit & qvæ illicita & profana? Ipſe dicis non eſſe permiſſa, qvibus veſci non ſolent homines. Animalium immundorum, qvod diſcrimen Noë notum & notum Adam, ſi obtulit, eóqve ritus & legem ſacrificiorum novit, plurima, ſi non omnia obtulit vana gentilitas. Noſtine homines, qvi veſcantur lanâ? Putaſne Abel tam fuiſſe voracem, ut lanam ederit? Qvis præter te unqvàm dixit & arbitratus eſt Abel non obtuliſſe ani-*

mal ſed Lac & lanam ? Adeo igitur improbabiliter iſta dicuntur , ut nemo odorari potuerit. Qvomodo autem docebis, Moſis verba eam pati expoſitionem? Primogenita (*inqvit*) qvæ hìc dicuntur ex Hebræo בכרות liceat interpretari ea , qvæ eximiæ erant magnitudinis ac formæ. Sic בכר מות morbus maximè lethalis , בכורים ficus maximè fructiferæ, בכרה camelus velociſſimus. *Non inqviram in exempla , qvæ adducis, tantùm cauſſam mihi dari velim cur Moſes hiſtoriam ſcribens ſtylô ſimpliciſſimô, intelligi volens* טוב *&* תמים *aut* בריא *&* יְפוֹת מַרְאֶה *dixerit* בכור*? Si locô ejus, qvod legimus Geneſ. XLI. 2. ſcriptum eſſet* בכחת *anne id ipſum exponere noſtræ religionis eſſet ita ut nunc habetur ? Sed qvid facies de voce* חלבהן. Lac pingviſſimum ſic חלב vocatur. *Prodi è latebris ,* תְּנוּעוֹת *admitte. Qvid intelligis* חָלָב *an* חֵלֶב *?* חָלָב lac *plurali caret.* חֲלֵבֶן lac earum *diceretur , ut* חֶלְבְּנָה pingvedo earum. *Adducit varia loca, in qvibus LXX* τὸ חלב *tranſtulerunt per* γάλα. *In iis autem omnibus eſt* חָלָב*, in nullo* חֵלֶב *, de qvo qvæſitum. Silet , qvòd Deut. XXXII. 14. qvem locum etiam producit, diſtinctè legantur illa duo* חֶמְאַת בָּקָר וַחֲלֵב צֹאן עִם חֵלֶב כָּרִים *L X X.* γάλα προβάτων , μετὰ στέατος ἀρνῶν. *Ferendumne eſt , qvòd*

qvòd illudat lectoribus & imponat? Qvi à ſummo viro doceri cupimus deriſi dimittimur. Cùm ſibi diffideret, conſcius fraudis, omittit iſta: At Thalmudiſtæ, *inqvit*, omnino iſtis temporibus primis, anteqvàm carnibus homines veſcerentur holocauſta in uſu fuiſſe putant, unde nihil ad homines pervenire & per qvæ Deus rerum omnium vitæqve ac necis Dominus agnoſceretur. Itaqve & poſt legem ab alienigenis incircumciſis victimas ad *holocauſta tantùm accipiebant non ad ſacra alia per legem* inſtituta. *Si holocautomata ab hominibus primis oblata de pecoribus & mundis animantibus, juxta canonem à te poſitum, animantibus veſci ante diluvium permiſſum fuit. Nihil enim Deo ſacrari ſolet, qvod non ſit in uſu hominum. Holocautomata an ſola oblata non alia fuerint ſacrificia, ante legem à Moſe datam, nunc non diſputo. Qvòd à Gentibus ſola holocautomata admiſerint, hæc ratio non fuit, qvam tu putas; ac ſi reſpexerint ad prima tempora, cùm res ipſa fieri aliter voluerit. Nam gentes ad conſortium menſæ admitti non poterant.* Hactenus Schotanus. Accuratè qvoqve diſputant ad Grotium B. D. noſter Calovius in Adnotatis Anti-Grotianis hunc in locum, &

B. Joh. Henr. Urſinus in Miſcellaneis, lib. V. p. m. 256. ſ. ubi multis non ſolùm de ſacrificio Abelis agit & Caini: ſed & ſe inchoâſſe Annô M. DC. XXXVI. Tractatum de ſacrificiis Veteris Teſtamenti ante & poſt legem Ceremonialem; & Novi, tam cruento illo crucis ſingulari & unico qvàm incruentis ſpiritualibus publicis ac privatis: verùm defectum neceſſariis auctoribus Pontificiis, adverſus qvos iſta meditabatur, non ita abſolviſſe, ut in lucem prodere auderet, in p. 291. memorat. Promiſerat in præfatione Tractatus ſui primi ſcriptorum Academicorum de Imagine DEI in homine, nec negat in dedicatione Tractatus de Paſchate B. D. noſter Sebaſt. Schmidt, inſignis ac fidus ille DEI qvondam ſervus, ſe recepiſſe, pari curâ ac diligentiâ, qvâ de Imagine DEI, Circumciſione & Paſchate egerat, tractaturum ſe qvoqve de SACRIFICIIS, votis, Feſtis, matrimoniis ac repudiis; qvem tamen eumdem dicta in de Paſchate dedicatione poſteà ſcribere: *Me nunqvàm poſthàc præſtiturum eſſe, ingenuè fateor, & fateri cogor; cùm ætas jam premat, & vires creſcentibus annis decreſcant. Non pigritiæ culpa eſt, qvòd præſtita ſuperioribus annis non ſunt qvæ ex promiſſo propo-*

poſitoqve, præſtanda fuiſſent: ſed alia intervenerunt impedimenta aliunde, qvæ novit meliùs, qvi novit omnia; Theologis ac Philologis vehementer dolet, cùm palam ſit qvantum potuerit his à ſtudiis maximus ille, & poſt Chemnitium, incomparabilis ferè Theologus. Schola Sacrificiorum Patriarchalium ſacra, aureuſqve de Interpretatione Sacrar. Scripturarum maximè legitima Tractatus B. Wolfgangi Franzii uſqve adeò jamdudum omnium eruditorum meruerunt calculos, ut ſemel prodierint atqve iterum. Non ab re erit repetere verba è p. 51. laudati Tractatus ultimi, omnino præſens ad negotium facientia. *In Levitico*, inqvit, *generalis doctrina de ſacrificiis à Moſe traditur.* Primò primis ſeptem capitibus, *&* deinde capite decimô ſeptimô & viceſimô ſecundô. *Neqve ſolùm in his capitibus illud facit Scriptura, ſed & in* Exodo & Geneſi, *præterea* Numer. XVIII. & Deuteron. XII. XIV. & XV. *Qvin & aliqva ſcitu de ſacrificiis neceſſaria rejecit* in libros Paralipomenon. *Qvi ergo primum caput Levitici hôc pactô vult declarare, ut ex Scripturæ mente firmet ſuam & auditoris conſcientiam, illum ante omnia diligentiſſimè decuit inſpicere omnes ante & poſt Leviticum te-*

xtus, de ſacrificiis agentes. Utqve magis facilem præbeam manuductionem, primô, ſecundô, tertiô, qvartô, qvintô & dimidiô ſextô capite Levitici uſqve ad 8. verſum capitis ſexti *ſemel à Moſe abſolvitur doctrina de ſacrificiis:* à verſu 8. capitis ſexti denuò eadem inchoatur doctrina, & finitur in capitis ſeptimi ultimis verſiculis. *Ecce in VII. prioribus capitibus Levitici doctrina ſacrificiorum bis exponitur, ut jam monſtravi, ita tamen ut in poſteriori expoſitione aliqva exprimantur, qvæ in priore fuerant omiſſa, & ut in poſteriore omittantur, qvæ in priore fuerant tradita. Immò tandem* Levitici XVII. & in libris Paralipomenon *adjiciuntur qvædam, & niſi iſta conjunxeris, cum primo Levitici capite, iſtius primi capitis vix ſemiplenam intelligentiam aucupaberis.* Hæc δυνατὸς ille ἐν ταῖς γραφαῖς Theologus. Qvæ D. David Chytræus in p. m. 165. ſ. Enarrationis in Geneſ. IV. edit. Witeberg. M. D. LXVIII. B. D. Dorſcheus de Qvæſtione: An ſacrificia ante deſtructionem Templi Hieroſolymitani non niſi igne divinitus datô comburi potuerint? in calce ſyllabi Q. CCLXXI. part. I. Theologiæ Zachar. præfixi, Dn. Dilherrus, Tomô II. Diſputationum Philologic. n. IX. p.

m.

m. 199. ſ. B. Joh. Conr. Dietericus in Antiqvit. Bibl. p. m. 205. ſ. ipſiqve illi laudatus Joh. Friſchmuthus in pecul. diſſertatione, B. Geier in Proverb. XV. 8. p. m. 784. ſ. B. D. Joh. Micrælius lib. 1. Syntagmat. Hiſtor. Eccleſ. Sect. II. Q. XII. p. m. 62. ſ. edit. opt. Lipſienſ. M. DC. LXXIX. B. Joh. Chriſtian. Iſing. (Cl. Sauberto præſenti in Tractatu ſæpius adductus, nunqvàm tamen, qvod ſciam, cum elogio, cujus aliàs admodùm liberalis eſſe ſolet; cùm & Martin. Del-Rio c. XXIV. p. 557. *Hiſpanum doctiſſimum & penitus admirabilem* vocet; qvæ tamen admiranda in ipſo nondum deprehendere potui; reperiens in aliis qvoqve ea, qvæ tradit Delrio, nonnunqvamqve doctiora. At de Iſingio fortè non ſine cauſſa tacet: erat enim Iſingius iſte univerſæ doctrinæ cæleſtis rectiſſimè atqve dexterrimè intelligens meliorumqve partium Theologus nec favens ſingularibus qvibuſdam Helmeſtadianorum ac Regiomontanorum qvorumdam Theologorum ſententiis, qvibus Dn. Saubertus certis de cauſſis contrarius eſſe non poterat.) Diſp. XIII. in Pentateuchum Moyſis Q. LIX. p. m. 133. ſ. edit. Francof. M. DC. LXXXIII. in 4to; Outramus, Joh. Cloppenburg in Schola Sacrific. Patrum, Petr.

Martyr, Claſſ. IV. Locor. c. XII. p. m. 889. 994. ſ. & in Comment. in Geneſ. p. m. 19. Georg. Sohnius, Tomô III. Oper. p. m. 296. ſ. edit. Herbornenſ. M. DC. IX. in 8t. Joh. Henr. Alſtedius in Lexico Theolog. c. XI. Sect. IV. p. m. 309. ſ. edit. Hanovienſ. M. DC. XXXIV. in 12. Jo. Petr. Lotichius D. Medicus & Reipubl. Mœno-Francofurt. Phyſicus, lib. II. Commentarior. in Petronii Arbitri Satyricon, c. XV. p. m. 286. ſ. edit. Francof. M. DC. XXIX. in 4to; Cœl. Rhodiginus, lib. XII. Antiqvitat. c. I. p. m. 428. edit. opt. Baſileenſ. M. D. LXVI. in fol. Joh. Roſinus, III. Antiqvitat. Roman. capitib. extremis, Paul. Merula de Sacrificiis & Sacerdotibus Romanorum; Lugd. Batav. CIϽ IϽ C LXXXIV. in 4to; Natalis Comes, I. Mytholog. c. X. XI. XII. XIII. p. m. 21. ſ. edit. Hanovienſ. M. DC. XIX. in 8t. Ludov. Nonius in II. de Re Cibaria, c. I. p. 158. ſ. de Sacrificiis tradunt, legantur apud ipſos. Qvæ Jo. Gvilielmus Stuckius Tigurinus, Lilius Gregorius Gyraldus (qvem qvare ſemper per *i* jam laudandus Saubertus ſcribat, cùm in optimis ſe ſemper Gyraldus ſcribat libris per y, eqvidem ignoro) Ferrarienſis, atqve Gvil. Choulius Gallus hoc de argumento conſcripſerunt exami-

minat Dn. D. Joh. Saubertus, Hermanni Conringii gener, primùm in Helmſtadienſi Academia Orientalium Lingvarum, pòſt & SS. Theologiæ Profeſſor, ac deniqve in Academia Altdorfina Theologiæ Profeſſor Primarius, Paſtor, ac Diœceſeos Superintendens olim in egregio ſuo de Sacrificiis Veterum libro, Jenæ qvondam M. DC. LIX. in 8t. edito, qvô ſanè neſcio an ullus doctiùs, pleniùs, & accuratiùs tractârit hanc materiam. Qvare & jam diu citò diſtracta nulla illius editionis exempla promercalia in tabernis reperiri potuerunt. Qvi defectus cum avido doctiorum deſiderio incitavit virum integerrimum Dn. Jordanum Luchtmans, ut de ſecunda cogitaret editione, mecumqve ageret de ratione, qvâ melior ac ornatior hæc reddi poſſet, utqve nonnihil opis illam ad excolendam conferre vellem. Nolui honeſto ejus petito, licèt in aliis occupatiſſimus, deeſſe; legi & recenſui integrum librum, ſcriptorum adductorum locos evolvi, inſpexi, à mendis repurgavi, numeros malè additos innumerabiles correxi, omiſſa capita addidi & verſus, commataqve, notulas item cum concinno rerum indice. Addere dicti de Typographi ſententia debui qvoqve laudati Sauberti ſingularem de Sacerdotibus & ſa-

cris Ebræorum perſonis Commentarium non indoctum Altdorfi annô M. DC. XCIV. in 4to ab omni cultu reverentiæ digniſſimo Theologo Dn. D. Joanne Fabricio editum, Saubertiqve Selectorum Scripturæ Sacræ dictorum ſolidæ & accuratæ explicationi ſubjunctum. Ut mihi neceſſe fuerit, egregios B. Hülſemanni & D. Georgii Calixti de Sacrificiis, qvos ſubnectere Sauberto deſtinaveram atqve receperam, omittere Tractatus, ne liber excreſceret nimis. Fortè tamen, dabitur illos propediem tecum, Mi Lector, occaſio communicandi. In præſenti qvid præſtiterim, qvantaſqve devoraverim moleſtias, utramqve patere poteſt editionem conferenti. Vale Lector amice, conatibuſqve fave, qvos ſi TIBI probari ſenſerim, plura, brevi forſan, huc facientia congerere & publicare denuo non pigebit. Scribebam Lugduni ad Rhenum a. d. VI. Non. Octobr. CIↃ IↃ C LXXXXVIII.

MUSA-

MUSARUM DIIS TUTELARIBUS,
VIRIS MAGNIFICIS,
NOBILISSIMIS PERSTRENUIS
AC PRUDENTISSIMIS

DNO BURCKHARDO LOEFFEL-
HOLTZIO, A KOLBERG,
PRÆTORI,

DNO CHRISTOPHORO
DERRERO,
II VIRIS:

DNO LEONHARDO GRUND-
HERRO, IIIVIRO ECCLES. ET
SCHOLAR. EPHORO,

DNO JODOCO CHRISTOPHORO
KRESSIO, A KRESSENSTEIN, IN DUR-
RENMUNGENAU, VII VIRO,

DNO GEORGIO SIGISMUNDO
FUHRERO, AB HAIMENDORF,

DNO SEBALDO WELSERO,
SCHOLARCHIS:

INLUSTRIS REIP. NORIM-
BERGENSIS SENATORIBUS;

DOMINIS MEIS GRATIOSIS,
MECÆNATIBUS SANCTE
ADORANDIS.

Cùm

Cùm nihil VESTRIS *altaribus dignum eſſe, niſi quod ampliſſimum, & magnitudine ſuâ oculos hominum rapiat ac extendat, ſatis equidem perſpectum habeam, date quæſo,* DII PATRII, *ut exiguô hôc ceſpite* VESTRO GENIO *civis ego* VESTER *litare queam: gentiliumque Jovem ſpectate, cui, optimo maximo, tantum abeſt, ut pauperum poma, boum auratorum vicem oblata, minùs fuerint ad palatum, ut etiam* Μηλιχίȣ *cognomine indeſit gaviſus. Jam nunc illud Plinii in mentem* VESTRAM *revoco*: Et diis lacte ruſtici multæque gentes ſupplicant; & molâ tantùm ſalſâ litant, qui non habent thura: nec ulli fuit vitio deos colere, quôquo modô poſſet; *præf. ad Veſp.*

En VOBIS *primitias ſtudiorum meorum philologicorum, lance utcumque ſaturâ: quæ cùm ſacrarum rerum memoriam renovent, earumque non pauca monumenta, è ſitu & ſqualore antiquitatum eruta, quaſi, per compendia expandant, cui eas potiùs quàm* SACRO VESTRO NUMINI *obferrem?* VOS *ſummus Ille orbis arbiter in rempublicam de cœlo demiſit, ne patriæ meæ deeſſent* circumſpectiſſimi & prudentiſſimi AUGUSI (*Svet. in Tib. c.* XXI.) *qui (ut in hoc palmam tene-*

tis

tis, & proin toti mundo eſtis admirationi) viros litteratorum proceres benevolâ manu laribuſque ſplendidiſſimis faventer acceptarent, neque philologiam, h. e. ſcientiam ſolidam, ad paucos redire permitterent. Semper doctorum apud VOS *abundantia, quorum ſcilicet* VOS *olim cultores, nunc patroni eſtis: idque fidem facit, ſi in præteritum mentem & cogitationes remittamus. Omittam jam viros in quovis eruditionis genere ſtupendos è* VESTRO *auguſto ordine: Prætereo magna nomina, quorum buſta & cineres ipſa Norimberga ſervat: Tantùm ubi in inluſtrem* VESTRAM *Palæcomen oculos atque animum intendo (neqve etiam jam ullum præſentium attingam) Dii boni! quot quantasque ſtatuas eorum in Muſarum larariis cernimus, quorum philologia* VESTRO *calori vitam debuit; queisque hodiedum longè latéque, ubi litterarum amor, aræ fumant. Emergunt heic critici ſubactiſſimi, philologique incomparabiles*, PHILIPPUS CAROLI, ANDREAS DINNERUS, DANIEL SCHWENTERUS, *ὁ πάνυ* CUNRADUS RITTERSHUSIUS, CHRISTOPHORUS CRINESIUS, MICHAEL PICCARTUS, NICOLAUS TAURELLUS, MICHAEL VIRDUNGUS,

GUS, C. A. RUPERTUS, CASPAR HOFMANNUS, *& ille heu nuper* חמ״ב THEODORICUS HACKSPAHN, *ac alii; quorum laudes præſtat reticere, quàm pauca de iis dicere. Non jam evolvam favorem, quô B. Parentem meum cumulatiſſimè mactâſtis: Quando non ſolùm eum toti miniſterio (quô non eminentius in Eccleſia faſtigium) in illuſtri Norimberga præficere dignati eſtis, ejusque favillas & rogum thure ac merô perfudiſtis, h. e. fata ipſius piô luctu, & (quod gloriari liceat) lachrymis ipſis proſecuti eſtis; ſed etiam quòd ejusdem quantulacumque merita tot in nos beneficiis compenſare hactenus non ceſſatis.*

Porrò ad VESTRAM *aram,* DII PATRII, *primitias has facio, ne canes & muſcæ accedere audeant; quod olim Romæ ad Maximam Herculis in foro boario contigit, ubi hodie D. Mariæ in Coſmedin, aut (ſi verum nomen ejusque originem indagamus) τῶν ἀκουσμάτων, fanum exſtructum comperimus. Ut, inquam, invidorum ac zoilorum fæx ſcabras manus ab iis abſtineat. Mirum, quantum me adverſus eorum inſultus reficiant illa exactiſſimi Lipſii ad Janum Bernartium, quæ mihi dicta puto:* Quod injicis, *ait*, de invidis quibuſdam homuncioni-

cionibus, per Deum hanc curam pone. Quò virtus perveniet, ſi ſiſtitur ad has remoras? ut gloria illi comes, ſic invidia: ſed hanc adeò non curat, ut vix cernat. Minuti, qui non ſe attollunt, nolunt etiam alios: & factis cùm obſtare non poſſunt; conantur lingvis, & ſpargunt verborum levia iſta tela. Atque id eminus, ut Parthi fugientes. Nam cominus non ſe componunt, ne rectis oculis ſplendorem noſtrum intueantur. Mi Bernarti, quis noſtrô ævô (ad vetera non te mittam) paulùm modò altior detractiunculas has non ſenſit? Cujacium vide, me vide. Ille ab improba, ego ruſticâ etiam manu vapulamus: quid vapulamus? ſicut in ſomnio, non ſentimus, niſi imagine & opinione. Nemo nos tangit, niſi ipſi volumus; & fregit hæc omnia tela, qui contemſit. Indue hoc robur, & inprimis ab iis cave qui inſuſurrant, & ſpecie benevolentiæ nocent; *cent. III. ad Belg. epiſt. IX.*

Non jactabo immenſam materiæ hujus utilitatem, ne vino generoſo hederam ineptè adpendere videar: Interim prodeat & pro me loquatur ſagaciſſimus Boxhornius, cujus verba utinam aureis litteris libelli hujus frontiſpicio inſcribere poſſem! Ita autem alicubi

cubi ille: Mihi autem ita viſum ſemper fuit in ſacris gentium, & illâ veterum ſapientia, quæ quamquàm fabuloſis aucta, prima tamen omnium eſt & cordata, optimè ingenia diſcentium occupari Quid enim in litterarum noſtrarum cultu prius ſit, quàm quod primi mortalium docuêre, quod omnes ævi ſapientes amplexi inter paganos; quod omnium ſcientiam, quod totius naturæ arcana, quod præcepta ſapientiæ & civilis & privatæ, quod rerum incunabula & origines primas rimatur: Quod ſcire voluerunt veteres Chriſtiani, ne cauſſam ignorarent, cur tot cruces, tot ſupplicia paterentur; quod exercuit tot ingenia eruditorum; ſine cujus cognitione paſſim in ſcribtis antiquorum turpiter cæcutimus; *or. de fabb. poët.*

Quod ſi verò quis ulterius manum injiceret atque oggaanniret illud Rambam:
ספ"ים רבים חברו עובדי כו"ם בעבודתה היאך עיקר עבודתה ומה מעשיה ומשפטיה: צונו חק"ברת שלא לקרות באותן הספרים כלל ולא נהרהר בה ולא בדבר מדבריה ואפילו להסתכל בדמות הצורה אסור ש"נ אל תפנו אל האלילים׃ ובענין הזה נאמר ופן תדרוש לאלהיהם לאמר איכה יעברו שלא תשאל אל דרך עבודתה היאך היא אעפ"שאין אתה עובדה שדבר זה גורם להפנות אחריה ולעשות כמו

כמו שהן עושין שנ' ואעשה כן גם אני *i.e.* Multos libros compoſuerunt idololatræ de cultu ſuo, quod ſit fundamentum illius, quæ opera, & qui ritus. Ceterùm præcepit nobis DEUS benedictus, ne quicquam legeremus in libris iſtis; neque meditaremur in ea (*idololatria*) aut ulla re, quæ huc pertineat. Quin etiam conſiderare formam imaginis vetitum eſt, quando dicitur: NE DEFIGAS OCULOS TUOS IN IDOLA. *Atque ideò dictum eſt*, NE FORTE INQVIRAS IN DEOS EORUM, DICENDO: QVOMODO COLUERUNT? Ne roges de ratione colendi eos, etiamſi iis non ſervias; quia hoc te impellit, ut convertaris ad eos, ac facias quemadmodùm illi faciunt: Quò reſpiciunt verba: ET FACIAM SIC QQ. EGO: *lib.* עבודת כוכבים *ve* de cultu ſtellarum, *c.* II. §. 3. *Et in Sanhedrin, c. II.* §. 1. *excluduntur à vita futura, qui legunt libros* החיצונים extraneos, *quod exponitur in Gemara* מינים atheos *ſeu* hæreticos. *Præterquàm quòd talem ablegamus ad Dionyſium Voſſium in h. l. qui acutiſſimò digitô, quò verba hæc reſtringenda ſint, ſufficienter oſtendit: Etiam illud non ſimpliciter intelligendum, manifeſtum eſt ex alio libro impreſſo Pragæ in* 8vo. *A. C.*

****** 1610.

1610, *cujus auctor Rabbi Schem Tobh bar Joſeph ben Palkira (qui differt à R. Schem Tobh Lugdunenſi, ſeptem vel octo opuſculis litterariis claro, & alio Schem Tobh Schprot, ſcholiaſtâ Aben Eſræ) Inſcribtus ille* אגרת הויכוח Iggereth Havvikkuach, *continet diſputationem inter Philoſophiam & Theologiam, evincitque illas inter ſe non pugnare, ac proinde non prohibitum eſſe philoſophorum libros legere & addiſcere. Idem etiam* דעות הפילוסופים ſententias philoſophorum, *ſeu compilationem librorum Ariſtotelis ex Arabico vertit.*

Agite, DII PATRII, *acceptate primitias has eô animô, quô Muſas complectimini, eaſque umbone* VESTRO *adverſus malevolorum tela clementer protegite. Si quid eas præcociores delicatæ aures exſtimarent, ac eo nomine in foro differrent, ſpectate ætatem meam adhuc viridem, quâ talia adgreſſus ſum, qualia (præfiſcinè dixerim) ne centeſimus aliorum: Addo & in auguſtiſſimo litterarum genere, quas hodie vix unus atque alter proſequi audet. Maturioribus annis maturiora & decoctiora, ſimul ac* MAGNITUDINIBUS VESTRIS *digniora, plenô ore, propenſâ manu, animoſô ſpiritu promitto: ita ſtudia mea adjuvet* DEVS קק״ק

Idem

Idem & VOS, MAGNI PATRIÆ PROCERES, *Reip. & optimarum artium bono diu ſervet, conſiliiſque* VESTRIS, *queis pro ſalute patriæ invigilatis, ſancto ſapientiæ ſpiritu clementer adſit! Dab. Jenæ è Muſeo VI. Eidûs VII bris,* ∞ IↃ C *LIX.*

VV MAGNIFICENTT.

AC STRENUITT.

devotiſſimus

Civis ac Cliens

JOHANNES SAUBERTUS,

FILIVS.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google

LECTORI AMICO
JOHANNES SAUBERTUS, F.
S. D.

LAceſſivêre usque adeò animum, Amice Lector, tanquàm Alexandrinæ deliciæ, veneranda ſanctæ Philologiæ, & aurô laurôque dignæ Critices myſteria (in quibus ego jam ab ungviculis initiatus, quædam hinc tibi largior) quorum velut Ambroſia dulciſſima, ita utilitas, pol! infinita. Earum fana qui ingreſſus ad adyta ipſa feriò devolvitur, tandemque epoptes evadit; gloriam ſuam jam à mortalitate adſeruit, & olim inter magna nomina nunquàm tacebitur. Non hîc caſſas glandes, nuces, aut curculiunculos minutos extollo, in quibus qui operosè ſunt occupati, magnâ ſtudiorum, ingenii ac temporis jacturâ anthericum metunt, manentes fungi putidi, & inutilium Grammatiſtarum adpellatione vix digni; de quibus egregiè Henrichmannus: *O ſtolidi & ignavi homines, adhuc modicum lumen eſt in vobis, qui cùm nullos unquàm poëtas aut oratores legiſtis, inter Grammaticos tamen connumerari diſcupitis, non ſecus certè quàm equinum ſtercus, quod dum in aquis cum pomis fluctuaret, dixiſſe fertur:* NOS POMA NATAMUS. *Qui dum fratris Alexandri verſiculos didicerint, ſe Priſciani totum volumen comediſſe glorientur; ut ſarctor, qui caprinum ſtercus ante Pharmacopolæ officinam repertum, pro pillulis devoràſſe dicitur;* in epiſt. ad Caſp. Humelium. Ecquid enim delphino

Digitized by Google



phino & bovi commune? Quid vocabularius ad criticum? Quid pædagogulus ad philologum?

Itaque, ut ſagaciùs, Lector, inter hos & iſtos diſtingvere diſcas: Philologiam (ſolam illam, quæ famam noſtram perire non ſinit) non quidem *Organicam* indigitare nos puta (ſic quippe dividitur) i. e. quæ imperat inſtrumentalibus diſciplinis, Grammaticæ, Rhethoricæ &c. ſed veram illam, videlicet *Realem*, quæ circa omnes diſciplinas reales verſatur. Definitur aliàs *facultas judicandi* πᾶν τὸ ἐπιστητόν. Scitum de hac acutiſſimi HeinsI dicterium: *Quemadmodùm*, inquit, *populus una eſt civitas, ex multis militibus unus fit exercitus; ita ex diſciplinis omnibus conjunctim una eruditio*; in Ariſtarcho. Requiritur igitur in Philologo ſive Critico *omnis eruditio*, velut Sextus Philoſophus dicebat, teſte Voſſiô de Arte Grammat. lib. I. c. IV. Vel ſecundùm Juvenalem, ſat. VII.

Ut legat hiſtorias, auctores noverit omnes
Tanqvàm ungves digitosque ſuos.

Vel, ut ediſſerit vir ſummæ eruditionis Ludovicus Vives: *Quid Grammaticus profitetur? Non ſolùm litterarum & vocum peritiam; quamqvàm nec hoc omninò parùm: Sed intelligentiam verborum & ſermonis totius, cognitionem antiquitatis, hiſtoriarum, carminum; denique vett. omnium ſcribtorum interpretationem. Quid poteſt hôc majus vel amplius in ſtudiis dici? Qua de cauſſa illis permiſſum eſt de ſcribtoribus cujusque generis judicium*, &c. lib. II. de cauſ. corrupt. artium. Et Cicero: *In Grammaticis poëtarum pertractatio, hiſtoriarum cognitio, verborum interpretatio* &c. lib. I. de orat.

De porcino homine, & impuriſſimo philoſopho,

****** ; Epicuro,

Epicuro, refert Apollodorus in I. de vita ejus apud Laërtium, lib. X. ἐλθεῖν αὐτὸν ἐπὶ φιλοσοφίαν καταγνόντα τῶν σοφιστῶν καὶ γραμματιστῶν, ἐπειδὴ μὴ ἐδυνήθησαν ἑρμηνεῦσαι αὐτῷ τὰ περὶ τοῦ παρ' Ἡσιόδῳ χάους. Similis ferè hodie facies rerum. Calcatur ſancta philologia, & ipſius crepidæ, quique veſtigia earum lambunt, conſpuuntur: nihilque minus perpenditur, quàm id ipſum, quid Grammatici munera, quid Critici? Et ex hac potiſſimum cauſſa, quòd philologiæ myſtæ exeſſe jubeant ſacris ſuis Philoſophiam, ſcientiarum ornamentum & incrementum. Inde lancinantur ac Bibliothecis novellorum ſtudioſorum à præceptoribus ineptis, mangonibus perniciosiſſimis, exſcinduntur philologica doctiſſimorum quorumcumque ſcripta: Inde ingeniis, in quorum fertilitate & cultura non exigua ſpes, tantum tramitem philoſophorum percurrere, & ne unicô quidem pede in limites philologicos, vel ſubſecivis horis, egredi præcipitur: Inde tanta ridiculorum philoſophaſtrorum (Magna nomina non peto, quorum eruditionem manu veneror) turba; qui, ſi voces *quidditatis*, *individualitatis*, *haecceitatis*, & neſcio quæ terminorum monſtra, aut quas bullatas nugas, eructare nôrunt, ſummis incedunt ungvibus, aliosque præ ſe pithœcias exiſtimant & ſpinturnicias. In bardos iſtos buccones ita invehitur Clariſſ. Gveintzius: *Quantum quantum verò edecumatâ evehatur laude* (critica ſive philologia) *nonnunquàm tamen hanc acutis naribus & caperatâ fronte condemnantes exſtitêre: Quamvis hos ſuperciliosos cerebrum potiùs in calcaneo, quam in capite poſitum habere non dubitamus. Ecquid ſciunt, vel fando modò audiunt omnem eruditionis adoream in monumentis*

mentis antiquitatis eſſe? Quô conceſſô cur adhuc optimè emendatis, illuſtratis, cenſitis quàm accuratiſſimè eorum livor obſtrepit, & nihilô minus maliloquentia eorum ceſſat? Cur adhuc ejus cultores & φιλομαθεῖς vitilitigant, præpoſterôque ſuô titivilitii obtentu inceſſunt? Sanè, ſi hoc impunè? nec ſartum tectum limpidiorum doctrinarum quid conſervabitur. Meritò igitur viri CLmi BARTHIUS, WEITZIUS, DILHERRUS, SCHEURL, BOXHORNIUS, *amuleta ſua litteralia in fanis Minervæ, amovendi invidiæ livori ſuſpenderunt, & quisque eorum ſuo in loco eam encomiis condecoravit*; præf. in comm. Crit. Proinde audiamus Voſſium: *Quid tandem de tàm utili ac neceſſario ſtudio fieret, ſi ſic omnes ſaperemus, ſolique imparatiores illud tractent, peritiores detrectent? Itaque per me licet puerilia hæc rudimenta dicant, dum in confeſſo maneat, ſine illis virilem ſapientiam nos conſequi non poſſe*; in Art. Gramm. præf. *Cenſendum*, inquit etiam S. Gregorius, *inſulſos & imperitos illos ſic adſici*, qvi vellent *omnes ſui ſimiles eſſe, ut in communi illo grege laterent, & inſcitiæ reprehenſionem effugerent*. Inſuper tamen neſcio quid aliud tangere videtur B. Calixtus תנ"צבה: *Vetus eſt, ait, illa inter Philologos & Philoſophos æmulatio; & ne quidem hodie, quando, Dei benignitate utrôque ſtudiô reſtauratô & florente, utrique operam dare promtum eſt, finem habere videtur. Iſti alteros per ludibrium & contemtum Grammaticos vocant; Hi verò iſtos Realiſtas, Summularios, Formularios, denique barbaros & barbariei patronos. Perperam & pravô more fit ab ambobus, quum potiùs operas jungere deberent, & quisque pro ſua virili veritati ſuppetias ferre, & Eccleſiæ laboranti ſuccurrere*; in adpar. Theol. pag. 48. Recordetur

itaque maleſvadus ſeculi noſtri genius barbariei iſtius ſcholaſticorum ævi, fœdiſſimorumque in fidei articulis labſuum, qui ex philologiæ inſcitia, Eraſmi & Capnionis tempore, toti mundo incidêre, & ex eo ſapere diſcat. De iſtis iterum Calixtus: *Id magnô ſuô, neque minore Eccleſiæ, malò experti ſunt doctores, quos ſcholaſticos vulgò dicimus* &c. *Illi, quum realium diſciplinarum adprimè eſſent periti, quòd bonas litteras & lingvas ignorarent, ſæpe miſerè, nonnunquàm inſulsè hallucinati ſunt*; l. c. p. 47. Itaque Iſraël Clauderus malè ominatur: *Philologia*, inquit, *qui eſt Mercurialis ſeculi genius, rarum admodùm amatorem invenit; huc que ferè res hodie deducta, ut Grammatici nomen objiciatur pro convitio. Indignum ſanè facinus; & quod poſteritatem, ſi quæ futura eſt, tanti ſibi ſceleris conſciam exſpectet, eò meliores litteras deveniſſe vilitatis, ut mercenariâ tantumnon operâ colantur. Fidem quoque meam pignori dare auſim, Muſas Chariteſque contemtum iſtum egregiè aliquando ulturas* &c. in Procœm. ad philologema de Sale.

Age ergo, retundamus nos virulenta iſthæc tela, *Philologorum ſymbolum arcanum eſſe, mittendam Philoſophiam, & ne per transennam quidem adſpiciendam*; & offucias has exſibilemus, ſimul ac toti litterato orbi blennorum iſtorum ruditatem ac dementiam in conſpectum ponamus; quam facilè quivis manibus palpabit, qui aures vacivas commodabit Fabio, qui, *Grammaticam*, ſcribit, *nec ut poëtas intelligat, ſiderum rationem ignorare, nec citra muſicen perfectam eſſe; nec eloquentiam, nec univerſam adeò Philoſophiam neſcire poſſe: ſed omnes eidem poëtas legendos, omne ſcribtorum genus excutiendum*; lib. I. c. IV. Prodeat ipſa

&

& nugigerulis iſtis os occilet: *Officium meum*, ait, *olim fuerat doctè ſcribere, legereque nunc etiam illud acceſſit, ut meum ſit eruditè intelligere, PROBAREQUE:* apud Martianum Capellam, lib. II. de nubt. Philologiæ. Aurelius Opilius, Grammaticus, non ſolùm Rhetoricam & Grammaticam, ſed & philoſophiam docuiſſe, diſertè perhibetur à Tranquillo, c. VI. de Inluſtr. Gramm. Non omittenda hîc verba elimatiſſima Theophili Coleri: *Pertinent ad Philologum cognitio dicendi, artium; cognitio Lingvarum, univerſæ philoſophiæ; hiſtoriarum & ſummorum ſummarum facultatum capitum cognitio;* diſſ. de philologia §. 6. quod §§. ſeqq. latiſſimè probat.

Partim ex hoc radices egit ſpiſſa pectorum caligo, judiciique ſubtilitas Arcadicorum pecorum non diſſimilis, *ignorans quid diſtent æra lupinis;* Quid diſcriminis inter Grammaticum & Grammatìſtam, adeoque conferens

Fulicas cygnis, & aëdona parra,
Caſtaneis corylos æquans, viburna cupreſſis.

Quô vel ſolô convitiô tenerrima ingenia, quæ facilè olim in ſublime Philologiæ, i. e. ſolidæ eruditionis faſtigium divinitas indolis eveheret, ſponte abſterrentur viam hanc ingredi: Sed quando aliò dilabuntur, vel aliquando poſt feſtum reſipiſcunt, ſimul ac ingemiſcunt, cùm vident ſe non litare ampliùs diis ſemitalibus, faventiæque larium vialium; ac omnem aditum præcluſum, eò deveniendi, quò inluſtres PHILOLOGI, h. e. etiam inimicorum judiciô, viri in omni eruditionis genere incomparabiles, Eraſmus Rotterod. Lutherus, Gyraldus, Vallæ, Camerarii, Scaligeri, Douzæ, Junii, Popmæ, Pu-

 teani,

teani, Lipſius, Del-Rio, Caſaubonus, Buxtorfii, Rycquius, Rittershuſius, Gruterus, Heinſius, Voſſius, Salmaſius, Seldenus, Piccartus, Boxhornius, & innumeri alii, quorum ſavillas hodie totus orbis exoſculatur, & divina ſcribta in emblematum cenſu habenda inficias ire nequit; interim eorum orbitam anxiô pede premere & ipſe contemnit, & juventuti totô impetu vetat, & tantùm non frenis ac catenâ prohibet: Vel bonæ ſpei decoquunt, oleum ſtudiis impendendum inter vinum ac epulas dividunt, in Venerem putres evadunt, talentumque ſuum, à cæleſti Domino ſibi commiſſum, terrâ defodiunt, qui olim rationem poſcet, & his etiam, quorum culpâ & inſtinctu innocui juvenes aliò ſunt devoluti, digna rependet præmia.

Hæc certè ſola cauſſa, cur vix unus hodie aut alter Philologus reſtet, nullô fermè niſu, ut alii in magna Criticorum nomina excreſcant, & ulteriùs caput auguſtum exſerant. SvetonI temporibus *pretia Grammaticorum tanta, mercedeſque tàm magnæ; ut conſtet* LUTATIUM DAPHNIDEM, *quem* LENAEUS MELISUS *per cavillationem nominis πανὸς ἄγημα dicit, ducentis millibus numûm Quincto Catulo emtum, ac brevi manumiſſum:* LUCIUM APPULEJUM *ab Eſicio Calvino, equite Romano prædivite, quadringenis annuis conductum multos edocuiſſe.* Vide c. III. de inluſtr. Gramm. Jam verò

Quis gremio Enceladi doctique Palæmonis adfert,
Quantum Grammaticus meruit labor?

ait Juvenalis, ſat. VII. Fertilitatem Philologorum prioribus ævis & usque ferè hucoſtendiſſe videntur fata. nec ultra fortè eſſe ſinent. Neque id quidem ſatis quod

quòd de cælo non ampliùs delabantur divina pectora, quoniam alimenta ipſis & locum denegat genius mundi: Verùm & qui ſuperſunt Philologi, juſtô DEI judiciô, & contemtus iſtius vindictâ, ſubripiuntur terris, & in cælum recipiuntur properiter & magnô numerô; quorum trigam ex ipſis proceribus nobis ilicò & unô quaſi ictu nuper occavit inclementia fatorum, viros ſupra humanas laudes poſitos, ſine encomio ſummos, ſine epitheto clariſſimos, GASPAREM BARTHIUM, GEORGIUM PHILIPPUM HARSTORFERUM, THEODORICUM HACKSPAHNIUM. Ah! exuat mundus ferreum pectus, & ſapere audeat, ac crebrò penſiúsque æſtimet illud Baſilii Magni: Ἐπεὶ δὲ καὶ πράξεις σπουδαῖαι τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν, ἢ μνήμης ἀκολουθίᾳ πρὸς ἡμᾶς διασώζονται, ἢ ποιητῶν, ἢ συγγραφέων φυλαττόμεναι λόγοις, μηδὲ τῆς ἐντεῦθεν ὠφελείας ἀπολειπώμεθα; orat. XIII. Jamque incipiat viros magnos tanti, quantum merentur, facere, juventæque calcar addere eorum veſtigia manibus pedibusque legendi; ne deſint olim homines piperati pectoris, qui munera ſubeant poſteritati (ſi quæ futura eſt) ad ſolidam eruditionem præeundi: Neve aliquando pigmæi imponantur coloſſis, aſinique myſteria portent.

Interim nos blennis iſtis convitiatoribus veteres avias de pulmone revellamus, & inſimul Muſarum amantibus, tibique, ſtudioſe Lector, oſtendamus, quinam GRAMMATICUS, qui item GRAMMATISTA? Hos quippe totô cælô differe, velut ex ſeqq. videre erit; ita inſuper confirmat Svetonius de Inluſtr. Gramm. c. IV. Hic itaque erat magiſter litte-

litterarius, ſeu ludi magiſter & titulô *Profeſſoris* penitus arcebatur, ceu manifeſtum eſt ex l. 1. §. 6. ff. de extraord. cognit. Qui tamen Grammatico omninò tribuitur init. l. d ff. eod. ubi vocantur *Præceptores ſtudiorum liberalium*; & §. 1. expreſſè *Profeſſores*. Add. l. 6. C. de profeſſ. & med. l. un. C. de Stud lib. urb. Rom. & Conſt. l. un C. de profeſſ. qui in urb. Conſt. &c. Sic apud Svetonium, Orbilius Orb. F. nuncupatur *Grammaticus Profeſſor*, c. IX. primum omnium ſe cognominâſſe PHILOLOGUM Eratoſthenem *multiplicis variaque doctrinæ* hominem, quem ſecutus ſit Attejus, teſtatur Idem, c. X. Sanè integram fuiſſe Philologorum ſive Grammaticorum apud Græcos ſectam, ex Porphyrio facilè eluceſcit, qui ubi Philoſophorum ſectas recenſuiſſet, tandem ad Philologos deſcendit; ubi in ſpecie nominatur Clodius quidam: Τῶν τε φιλολόγων συχνοὶ, καὶ Κλώδιος ὁ Νεαπολίτης. lib. 1. περὶ ἀποχῆς, §. 3. Eoſdem etiam primùm habuiſſe CRITICOS vox hæc ipſa indicat: Nec obſcurus eſt *vir bonus & prudens*, Ariſtarchus, Homerici poëmatis cenſor, cujus meminit Horat. in art. poët. Quamvis ante hos noti ſint Ebræorum Maſoretæ & Sopherim, quos LXX. vertunt *γραμματικοὺς*, *γραμματεῖς* & *γραμματεισαγωγεῖς*. Vide Buxtorf. in Tiber. Glaſſium Philol. S. 1. tract. 1. Oſtermann. in pentade obſerv. quæ ad Græc. litteratur. ſpectant. Poſteà & ad Romanos devenêre, quod ex Jure Civili hinc inde patet. Apud quos nobiles ſunt Varro, Siſenna, Santra, & alii, quos ferè memorat Tranquillus, libellô ſuô de Inluſt. Gramm. Inſcribtio Romæ in via Janiculenſi extra portam S. Pancratii.

C. MIN-

C. MINDIO. C. L. AGATHOCLEO.
GRAMMATICO

Ibid. in via Nomentana:

M. POMPILI. M. L. FORTUNATO
GRAMM. VIX. AN. LXXIX. M. IIIO

Ibid. in ædibus Julii Porcarii ad Minervam:

DECIMIÆ. L. L.
LIBERALE
TI. CLAUDIUS
AUGUSTI. LIB.
PHILOLOGUS
LIBERALIS UXORI
IN. HONOREM

Alia:

JUN. LYN.
REG. SACR.
P. VITULLIUS
PHILOLOGUS
VI. VIR. AUG.
INFERIO

Bergomi in æde D. Agathæ:

PUDENS. M. LEPIDI. L. GRAMMATICUS.
PROCURATOR. ERAM. LEPIDÆ. MORESQ.
REGEBAM.
DUM VIXI. MANSIT. CÆSARIS. ILLA. NURUS.
ATTEJUS. PHILOLOGUS. DISCIPULUS.

Apud hos diſtingvebatur iterum inter *Grammaticos Græcos*, puta qui Græcam profitebantur lingvam, & *Latinos*. l. un. C. de profeſſ. qui in urb. Conſt. Ex illorum numero fuit Cornelius quidam Alexander, *quem propter antiquitatis notitiam Polyhiſtorem multi, quidam hiſtoriam vocabant*, ut refert Svetonius de in-
luſtr.

luſtr. Gramm. c. XX. Inſcribtio Romæ ſub ſtatuâ viri ſedentis:

M. METTIUS
EPAPHRODITUS
GRAMMATICUS. GRÆCUS
M. METTIUS. GERMANUS. FEC.

Cordubæ:

D. M. S.
DOMITIUS. ISQVILINUS
MAGISTER. GRAMM. GRÆCUS.
ANNOR. CI
H. S. E. S. T. T. LEVIS

Comi in æde S. Fidelis Martyris

P. ATILII
P. F. OVF
SEPTICIANI
GRAMMATICI. LATINI
CUI. ORDO. COMENS
ORNAMENTA
DECUR. DECREVIT

Vide magni Grüteri opus Atlanticum, f. 652. 653. Ex his inſuper honorum cumulos Grammaticis exhibitos, haut difficulter videre eſt: Et in Cordubenſi illa notari debet epitheton *Magiſtri*, de quo, ut & titulo *Profeſſoris* Grammaticis olim competentibus, conſuli poſſunt Svetonius, l. c. capp. XXIII. XXIV. Goldaſtus not. ad Hieroclis facetias, Wouwerius in polymath. c. IV. Vocati ſunt etiam *Scholaſtici* & *Scholaſtici viri*, teſte Auguſtinô, lib. VI. Confeſſ. & in paſſ. S. Valent. Epiſc. Interam. Inprimis Rhetores, ac apud Græcos multò ante *λογογράφοι καὶ ῥήτορες*: Poſteà & advocati ſive JCti apud Latinos. Gloſſ. Iſidori:

dori: *Juraticus*, *ſcholaſticus*, *legisperitus*, Tandem aucupati ſunt id nomen philoſophiæ doctores, qui & *Magiſtri* adpellati. Unde illa nomina: *Theologia ſcholaſtica*, *philoſophia ſcholaſtica*, *Doctores ſcholaſtici*. Inde Petrus Comeſtor hiſtoriæ ſcholaſticæ auctor κατ' ἐξοχὴν *Magiſter* vocatur, veluti *Magiſter ſententiarum* Petrus Lombardus. Confer Georg. Erhardi Symbolas in Petron. Rabbinis Grammaticus dicitur מדקדק admodùm nervoſè & pereleganter à דקדוק ſubtilitas, ſubtilis conſideratio. inquiſitio, diſputatio, diſſertatio; quod eſt à דקדק conſiderare, diſquirere, excutere, diſcutere minutim ac ſubtiliter, accuratè diſſerere, diſputare, accuratè explicare, obſervare: & hoc derivatur à דק tenue, minutum. Evolve Lexic. Rabbin. BuxtorfI voc. דקק. Hinc Elias Levita, Grammaticus Rabbinorum vocatur *Elias Hammedakdek*. Junius דקדוק explicat *Grammaticam*, *quaſi ſubtilem diſcuſſionem ſermonis*, *& accuratam acutamque ejus per legitima præcepta explicationem*; ad 1. Cor. VI. 11. Dicti porrò ſunt Philologi ſive Grammatici *Litterati*, quod tantum à *Litteratore* differebat, quantum à Grammatiſta Grammaticus, abſolutè doctus à mediocriter erudito, ut ſplendidè docet Svetonius, c. IV. & ex eo Muretus in Catull. Carm. XIV. Orbilius apud eumdem hoc etiam exemplis confirmat: *Nam apud majores*, ait, *cùm familia alicujus venalis produceretur*, *non temere quem* LITTERATUM *in titulo*, *ſed* LITTERATOREM *inſcribi ſolitum eſſe*; *quaſi non perfectum litteris*, *ſed imbutum*. Id tamen diſcriminis non adeò ſtrictè aut perpetuò obſervabatur, ut notat Idem, l. c. Unde Interpres Laërtii illud encomion Timonis φιλογράμματος non

malè

malè vertit: *Litterator inluſtris*, lib. IX. Barthius philologum rotundè ac ſcitè in hunc modum deſcribit: *Qui ex omni antiqvitate circa Poëtam, Rhetorem, Grammaticum, Philoſophum, Philologum, Hiſtoricum, JCtum, Theologum, Medicum verſatur.* Plureshiſce deducere paginas jam ſuperſedeo; reſervaturus reliqua ad integrum *de philologia, ejuſque uſu*, aliumque quem *Vindicias Critices* nominare libet, tractatum; modò ſereniori aurâ Muſis meis fata adſpirent. Interim audiat mundus ſapiens ac prudens contra Philologorum ſcopticos & κειληνομάστιγας, pectoriſque imis penetralibus clavô trabali adfigat illud è tripode dictum viri Clariſſ. Philippi Caroli, præf. diſſ. de Criticis: NISI STABUNT CRITICI, NON STABIT RES LITTERARIA!

Præcerptis talibus, prout neceſſitas poſcere videbatur, ad ipſam operis mei materiam me converto. De SACRIFICIIS quaſdam ἀπαρχὰς ad Vertumni Janique fana ac ſtatuas heic facio, quas CONLECTANEORUM nomine inſignivi, non quòd alios, qui antehàc eamdem materiam pertractârunt, compilaverim, aut è Stuckio, Gyraldo & aliis pleraque harpagatus, pro linteo puriſſimo varium centonem obſeram: Cùm meô quidem ſtudiô nullus talium auctorum curioſè mihi viſus fuerit, quando, quicquid hîc publicum judicium facio, ante quadriennium à me conſcribebatur. Verbis opus non eſt: Senties id, Lector candide, & quicumque acetum in pectore habes. Neque verò id me fugit, priùs quàm cœptum tale adgrederer, Stuckium in opere iſto multorum foliorum non ſolùm turpiter ſæpiùs labſum, ſed & parùm egiſſe; cùm quià ἀτάκτως in-

cedit

cedit & faſtidioſè luxuriatur, tum quia cumpluria è Choulio auctore libri Gallicani *de la religion des anciens Romains*, & Gyraldi ſynt. XVII, quod tantùm agit de ſacrificiis, eum fœdiſſimô furtô diripuiſſe poſteà deprehendi, & aliquot locis in præſenti opuſculo manifeſtum facio. Itaque ſingulorum (addendus hìc Gerhardus Johannes Voſſius de Idololatria) aut, ubi latiùs quid emenſi ſunt, ſedulam mentionem facio, aut, ubi humani quid egêre, & extra viam quandoque ſeceſſerunt, maculas abſtergo.

Neque etiam pauci Græcorum vetuſtiſſimorum ſcribtorum hiſtoriam SACRIFICIORUM libris integris recenſuêre, (quamvis eorum vix unum aut alterum nanciſci potuerim, ceteris, ut credo, vetuſtate & deſidiâ hominum rudium oppreſſis, ut ita vel tineas paverint, vel facti fuerint piperis breves cuculli:) Quos inter Apollonius Tyaneus, Melanthes, Androtius, Philochorus, Lampricus, Proclus, Theognis, Lucianus &c. Exſtat & Philonis *de victimis* libeilus: Et PorphyrI diſcurſus περὶ ἀποχῆς quid quæſo aliud continent; quàm de variis mactationibus & hoſtiis relationem? Ebræorum immolationes non animus erat, niſi primoribus labris attingere, ne liber in volumen excreſceret. Pertinerent tamen huc è Talmud ſive libri Miſchnajoth Judæorum primâ parte lib. III. דמאי, VI. תרומות, VII. & VIII. מעשרות & מעשר שני, lib. XI. בכורים II. ſecunda pars integra, quæ eſt מועד i. e. *feſtorum*, *ſolemnitatum*. III. è tertia parte lib. V. נדרים & lib. VI. נזיר IV. è quarta parte lib. IX. עבודהזרה. V. quinta pars tota, quæ eſt קדשים *ſanctitatum*, & agit de ſacrificiis. VI. Pars ſexta & ultima, quæ tota eſt טהרות *de purifica-*

tionibus. Porrò in rem hanc facerent alii Codd. qui non exſtant in Talmud. v. g. מעמדות, qui etiam Germanicè editus Veronæ, ספר ספרא aliàs כהנים תורת dicitur. תורת האדם cujus auctor R. Moſes bar Nachman; עכ״ום cujus auctor Rambam; קרבן אהרן cujus auctor R. Aharon ben Chajim; עולת יצחק, item עולת שבת, & עולת תמיד cujus auctor R. Moſ. Albilda; הגדת פסח liber Ebræo-Germanicus in quem commentatus fuit Don Iſaac Abarbanel, quod זבח פסח inſcribſit; תוקוח הדיינים cujus auctor R. Moſes Piſante: יד החזקה quod quatuor habet partes, & duo commentaria; alterum dicitur כסף משנה, alterum מגיד משנה: commentatus & in quoſdam ejus libros R. Levi Ben Chabhibh; item R. Abraham filius David. Inprimis etiam שחיטות ובדיקות duo parvi libelli: necnon מזבח הזהב cabaliſticus liber *de ſuffitu ſacro*, quem compoſuit R. Schlomo Ben Mordechai;' quamvis alius ejuſdem nominis exſtet Rabbi Schem Tobh, continens varias quæſtiones Philoſophicas & Theologicas. De precibus vide quos ipſo in tract. citaverim, c. XIII. extr. Et adde סדר תפלות כמנהג קהלות בני רומא, nec non alium סדור תפלות כמנהג הספרדים; denique אבודרהם qui eſt liber ritualis, & commentarius ſuper precationes Judæorum. Ceterùm citatur & Auguſtini *de Sacrificiis ad Marcellinum* ſcribtum: Et Tryphonis, qui Origenis fuit diſcipulus, & tertiô poſt Chriſtum ſeculô vixit, *de Qualitate ſacrificiorum:* Itémque Leandri Epiſcopi Hiſpalenſis (ad quem S. Gregorius commentariorum in Jobum volumina edidit) *de Sacrificiorum laude:* Necnon Richardi, monachi ordinis Canonicorum regularium S. Auguſtini, cujus ævum incidit in Cunradi III. Imperium, *de*

ſa-

ſacrificio Abrahæ. Recentior autem, ut diximus, voluminis *de Sacrificiis* ſatis boni ponderis, nec exiguæ quantitatis, auctor eſt Guilhelmus * Stuckius. Ejus coævi erant Lilius Gregorius Gyraldus, cujus itidem ſynt. XVII. merè eſt ejuſdem materiæ; atque Guilhelmus de Choul, inluſtris vir ut cetera, ita inprimis egregiô illô opere *de religione veterum Romanorum.* Secuti ſunt hos Petrus Molinæus †, qui aliquot ſaltim pagellas, quas *de altaribus & ſacrificiis* inſcribſit, reliquit: Inde Franzius & Cloppenburgius, uterque librum in publicum produxit, cujus titulus: *Schola Sacrificiorum patrum.* Ultimus tandem, ſed ubi accuratam eruditionem & amuſſitatum judicium ſpectes, primus eſt Gerhardus Joh. Voſſius, cujus libri quatuor *de Idololatria* circumferuntur. In prioribus, quando id agit vir ſummus, ut unum gentilitati Deum, aut, ſi plures, tamen pauciſſimos multijugorum nominum adpellationibus, cerimoniarúmque varietate eſſe cultos, oſtendat, multa eum de ſacrificiis immiſcere omninò opus erat: Poſteriores verò tantùm plantarum atque anima-

 lium:

* *Auctor Antiqvitatum Convivialium*, inqvit Joannes Lorinus Jeſuita in Levit VI. 14. p. m. 153. edit. Lugdun. Gall. CIↃ IↃCXIX. b. *atqve ſacrorum, ſacrificiorumqve Gentilium non nominandus in Catholicis; qvi materiam libationis apud Hebraeos aqvam fuiſſe perperam adſerit; atqve libri Numerorum teſtimoniô confirmat.* Ac ſi multùm referret à Jeſuitis nominari, non uno è loco ob ſcelera & flagitia ejectis.

† *Vide infra c. XV. extr. p.* 310. 311.

lium naturalium hiſtoriam expandunt ; unde eos *Noctes Leidenſes* inſcribere ſe primum animum induxiſſe, in præfamine horum fatetur.

Perluſtra itaque, Lector, ſingulos hos, & ſincerè judica, num ex lacubus & compilatoribus quicquam conraſerim ; num potiùs ex ipſis fontibus & antiquitatis medullâ mea hauriens multa dicam, quæ non dicta ſint priùs ? Seriò me tibi inſuſurrare puta byſſinum illud Rabbinorum dicterium: אל תסתכל בקנקן אלא במה שיש בו כי יש קנקן חדש מלא ישן : h. e. *Ne reſpicias cantharum, ſed potiùs id quod in eo continetur : Nam quandoque eſt cantharus novus, repletus vinô veteri.* Picturarum, quas in 4. tabellis capp. V, IX, XVII, & XVIII adfixi; aliquas Choulio, unam Boxhornio, unam Grütero lubens fateor ; ſed & unam atque alteram venatus mihi vindico. Numos omnes antehàc nunquàm in publico viſos debeo Viro magno JOH. ANDREAE BOSIO, verè incredibili infinitorum auctorum abyſſo, omniſque doctrinæ oraculo: Qui certè Criticus perfectiſſimus, ſi vivit ac valet, Philologiæ majeſtatem in venerandam ſedem ſuam reducere, futuriſque ævis viros magnanimos prudentes ac ſolidè eruditos efformare, ac metuendam barbariem excutere poterit ; meriturus æternam poſterorum gratiam, apud quos, quotquot ſunt futuri, famam perennem jam ædepol pleniſſimè meruit.

Judica, inquam, Amice Lector ; ſed ſincerè : Nec enim Lælium nec Perſium recuſo judices. Momorum cenſuræ (quorum hodie adverſus Philologiam tanta furit turba, quanta inſectorum multifariorum æſtivô tempore adverſus arborum fructus, herbas utiliſſi-

liſſimas floreſque cùm nitidiſſimos, tum ob ſuccuum ſalubritatem pretioſiſſimos) ſi candidus es, ne crede; ne aures quidem vacivas commoda:

Nec, ſi quid turbida Roma
Elevet, accedas; examenve improbum in illâ
Caſtiges, trutinâ.

Sicubi aliquando aberrâſſe tibi videbor; humanitati id tribues, in hoc facilè proclivi. Zoilorum fremitus, qui fœtum meum in ipſâ herbâ petere non erubuêre, jamdudum exſibilavi: Idem & tu, ſi reviviſcant, facito. Quamdiu enim erit mundus, tamdiu erit quoque Democritus, qui rideat: At verò ſæpe quem Mopſus ridet, hunc Diogenes admiratur. Benè vale, Lector! & ſacris meis FAVETO LINGVA; ut me Divinæ gloriæ & quantillo bono publico litâſſe gaudeam: Si quis verò malè ominati quicquàm iis inſonaverit, tu id in pectore conditum habe: *Iniquiſſimi ſcriptorum judices, qui nihil ipſi ſciunt vel ſcribſère!*

Ad Eximium Dn.

JOHANNEM SAUBERTUM,

Philologiæ ac SS. Theol. Cultorem maximè ſtrenuum,

Theologi de Eccleſia Chriſti, cumprimis in incluta Noriberga, longè meritiſſimi Filium æmulum,

Tractatum elaboratiſſimum de SACRIFICIIS publici juris facientem.

Orbis in hocce videns jam nunc TE doctior, inquit:
SAUBERTUS *noſtras hem redivivus adeſt!*

Singulari affectui teſtando ſcribebam

JOH. ERNESTUS GERHARDUS,
SS. Th. D. & P.P.

SAU-

SAUBERTE, Aonidum decus immortale ſororum,

Euſebies corclum, Theiſophiæque decus!

Caſtalius puerum ſacris te proluit undis,

Ori Mercurius dulcia verba dedit.

Græcia te primis etiam nutrivit ab annis,

Ne ſolis Latii perfruerêre bonis

Te modò delectat cognoſcere ſacrificiorum

Antiquos ritus & genera & ſpecies.

Ut ſol tellurem Phœbæâ lampade luſtrans

Obſcuras pulſâ nocte fugat tenebras,

Nec non orta fretis Aurora rubeſcit, & Indum

Si quis Serrhanô murice tingat ebur:

Haud ſecus illuſtras radiis abſtruſa decenter,

Reſtituiſque ſuis quælibet apta locis.

Concedunt aliis magnas quæ ſingula laudes,

Unum te decorant omnia juncta ſimul.

SAUBERTO.

Magni Theologi, Norici Doctoris & Ductoris, lampadis ſalvificæ inſtar, vitæ & morum integritate, micantis & radiantis, filio magnæ ſpei, eruditô ſcriptô ſacrificiorum arcana delineanti προσευφημῶν applaudit

GVERNERUS ROLFINCK,

Phil. & Medic. D. Profeſſ. Publicus.

Dum

Dum de delubris tibi tam lubet eſſe diſerto,
Et veterum abſtruſos ritus, Sauberte, recludis,
Ingenii ſpecimen præclari illuſtre relinquis.
Auſonii ſupereſt antiqua ſcientia Roſtri,
In qua ſi ſimili priſcos tentare Quirites
Audebis ſtudiô, patriæ telluris ocellus
Ecce clues, dignus, qui tandem civica pandat
Jura, forum librâ rixoſum & penſitet æquâ.

Eruditiſſimo Dn. Autori, Amico dilectiſſimo f.

JOH. FRISCHMUTH/

Sacr. Lingg. P.

CAPUT

CAPUT I.

E*Rronea Gentilium aliquorum de ſacrificiis opinio: Saniores aliorum de iisdem ſententiæ S. Scributuræ non contrariæ. Auctor diſtichorum Catonis quisnam? De iis judicium. Propoſitum Auctoris.* Sacrificii *etymon.* Sacrum & Sanctum *quid? differunt: Aliquando conveniunt. (Servii nævus)* Sacra via: Sacravienſes. Sacri *homonymia. Perſi varia lectio explicatur.* ἱερῦ *homonymia:* ὁσιῶ ἱερὰ: *Agrippæ diſtinctio rejecta.* Facere *vox ſolemnis pro ſacrificare: explicatur quomodo: cum illa conveniunt* ἔρδειν *ac* ῥέζειν. *conveniunt item* ποιεῖν & δρᾷν. Sacrificii *homonymia: Synonymia:* זבח & קרבן *differunt. Vocis* Opfer *origo. Sacrificii definitio. Exploditur ea, quam habet Agrippa. Sacrificii variæ deſcribtiones. Ejusdem accurata diviſio. Notatur Petrus Valla.* Bona verba dicere *quid? Sacra vota.* Omen *quid? Variæ ſacrificiorum ſpecies recenſitæ. Agrippæ di-*

diviſio inepta : ut & Lud. Cœlli ; ac Suidæ. Cœlianus locus emendatur. Sacrificii Judaici aliquot variorum diviſiones.

IN enormem Gentilium θρησκείαν, & immanes poparum victimationes, quas vix auricula tenuis, caſta, humana, admittat: facile, cui pectus ſapit, exſpuet: tantum abeſt, ut calculum ſuperſtitioſorum iſtorum encomiis addat, quibus ſpiſſam caliginem ſuam extollere ſatagunt, aut Ethnicorum blennorum affaniis in ſacrificali ſuffitu deprædicando ſubſcribat. Ita ne eos injuriâ vadarer, aut falſò arguerem? Age, prodeant Viri, quorum inluſtria nomina magni facias; at ſi anilia deliramenta & fabuloſas religionis offucias intuearis, Bœotum in craſſo jurares aëre natos. Mantuanus ille primas tenebit â Romanis Poëtæ nomine κατ' ἐξοχὴν inſignitus, qui lib. 1. Georg. v. 338.

Inprimis venerare Deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri lætus operatus in herbis.

Ad quæ Servius Scholiaſta commentatur: *Poſt hæc cognita, da præcipuè operam ſacrificiis, quibus tempeſtates & pluviæ poſſint repelli &c. Et benè ait inprimis* i. e. *præcipuè & ante omnia.* Idem Floram deam eloqui ſomniat Ovidius, lib. V. Faſtor. v. 299. ſ.

Sæpe deos aliquis peccando fecit iniquos:
Et pro delictis hoſtia blanda fuit.
Sæpe Jovem vidi, cùm jam ſua mittere vellet
Fulmina, thure datô ſuſtinuiſſe manum.

At

At ſi negligimur; magnis injuria pœnis,
Solvitur, & juſtum præterit ira modum &c.

Horatius, lib. III. od. XXIII. v. 1. ſ.

Cælo ſupinas ſi tuleris manus
Naſcente lunâ, ruſtica Phidile;
Si thure placâris, & hornâ
Fruge Lareis, avidaque porcâ:
Nec peſtilentem ſentiet Africum
Fœcunda vitis, nec ſterilem ſeges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero, grave tempus, anno.

Tibullus lib. I. eleg. 1. v. 11. (al. 17.)

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florida ſerta lapis:
Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante Deo &c.

Ignoſci his fortè poſſet, ut poëtis, queis nihil adeò novi eſt, fumum aliquando vendere: Sed quis plures, ne dicam omnes, tàm vecordes περιβωμίους crederet, niſi Varro civium ſuorum proverbium: *DI facientes adjuvant*, laudaret, 1. Rei Ruſt. c. I. Egregiè ſcil. philoſophatus eſt Heraclitus, Philoſophus cætera non incelebris, quando creberrimam iſtam & execrandam ſæpe mactationem, *Medicamentum* nuncupare ſolebat, quoniam præpotentis pharmaci vice à morbis animam expurgaret, in hac generatione concretis.

Quantò oculatiùs & acutiùs acutiſſimus Peripateticorum oculus cernit, qui οὐκ εἰκὸς, ait, τοὺς θεοὺς χαίρειν ταῖς δαπάναις τῶν θυομένων, ἀλλὰ ταῖς εὐσεβείαις τῶν θυόντων. lib. II. Rhet. Quod ſapientiſſimus quoque Annæus confirmat lib. I. de Benefic. c. VI. *Sicut*

nec in victimis, licet optima ſint, aurôque præfulgeant, Deorum eſt honos, ſed piâ ac rectâ voluntate venerantium. Itaque boni etiam farre ac fitillâ religioſi ſunt, mali rurſus non effugiunt impietatem, quamvis aras ſanguine multô cruentaverint. Et alibi: *Quomodo ſint Dii colendi, ſolet præcipi: Accendere aliquem lucernam Sabbatis prohibeamus; quoniam nec lumine Dii egent, & ne homines quidem delectantur fuligine. Vetemus ſalutationibus matutinis fungi, & foribus adſidere templorum: humana ambitio iſtis officiis capitur. Deum colit, qui novit. Vetemus lintea & ſtrigiles Jovi ferre, & ſpeculum tenere Junoni: Non quærit miniſtros Deus; quidni? ipſe humano generi miniſtrat, ubique & omnibus præſto eſt. Audiat licet, quemadmodùm ſe gerere in ſacrificiis debeat, quàm procul reſilire à moleſtiis ac ſuperſtitionibus: nunquàm ſatis profectum erit, niſi, qualem debeat, Deum mente conceperit, omnia habentem, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem &c.* Et paulò poſt: *Primus eſt Deorum cultus, Deos credere, deinde reddere illis Majeſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine qua nulla majeſtas eſt. Scire illos eſſe, qui præſident mundo, qui univerſa vi ſuâ temperant, qui humani generis tutelam gerunt &c. Vis Deos propitiare? bonus eſto. Satis illos coluit, quiſquis imitatus eſt.* Epiſt. XCV. Idem, *Quid enim intelligis fatum? Exiſtimo neceſſitatem rerum actionumque quam nulla vis rumpat. Hanc, ſi ſacrificiis & capite niveæ agnæ exorari judicas, divina non noſti.* Quæſt. Nat. II. c. XXXVI. 1. Plinius, ſtrenuus cœteroquin victimator, de hymnis & precibus ἱερομιῶν: *Animadverto etiam Deos ipſos, non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocentiâ & ſanctitate lætari, gratioremque exiſtimari, qui delubris eorum puram ca-*

ſtam-

ſtamque mentem, quàm qui meditatum carmen intulerit. in Paneg. c. III. 5. * Varro quoque mentis tandem ſuæ compos reſipuit, ſi fidem habere velimus Arnobio, quando Gentes ita ſuô jugulat gladiô: *Quid ergo (dixerit quiſpiam) ſacrificia cenſetis nulla eſſe omninò facienda? Ut vobis non noſtrâ, ſed Varronis veſtri ſententiâ reſpondeamus: Nulla. Quid ita? quia (inquit) dii veri neque deſiderant ea, neque depoſcunt, ex ære autem facti, teſtâ, gypſô, vel marmore, multò minus hæc curant.* lib. VII. adverſ. Gentes in princip. Vide Geverhardum Elmenhorſt. in not. Ita Meliſſa: οὐ τιμᾶται θεὸς ὑπ' ἀνθρώπου φαύλου, οὐδὲ θεραπεύεται δαπάναις, οὔτε τραγῳδίαις τῶν ἀλισκομένων: Ἀλλ' ἀγαθῇ προαιρέσει τῶν καλῶν ἔργων καὶ δικαίων. lib. I. Orat. LV. Audiamus & Poëtas ſaniores; inter quos accuratus morum Cenſor, ſeveruſque vitiorum caſtigator Perſius, Sat. II. v. ult.

Dicite, Pontifices, in ſacro quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine pupæ.
Quin damus id ſuperis, de magnâ quod dare lance
Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago:
Compoſitum jus, faſque animi, ſanctoſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto;
Hæc cedò, ut admoveam templis & farre litabo.

Lucretius, lib. V. de rerum Natura, v. 1197.

Nec pietas ulla 'ſt velatum ſæpe videri,
Vertier ad lapidem, atque omneis accedere ad aras;

* *Vide hunc in locum omnino Baudium argumentum hoc mirè inluſtrantem, &, quem fortè præ oculis habuit, Iſ. Caſaubon. in Perſii loc. mox. citand. p. m. 225. ſ. edit. Londin. 1647. in 8t.*

Nec procumbere humi proſtratum; & pandere palmas
Ante Deûm delubra, nec aras ſangvine multô
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota:
Sed magè pacatâ poſſe omnia mente tueri.

Poëta ille, qui diſticha conſcribſit, & ſub Catonis nomine vulgò circumfertur; in Codd. tamen & Glöff. aliquando citatur nomine TullI ad fidem converſi, ſed non auſi ſe Chriſtianum fateri: aliquando Octaviani; aliquando Joh. Clothomii: à Baptiſta Pio ineptiſſimè Auſonio attribuuntur. Scribtum certè, Boxhornl * judicio Quæſt. Rom. XIV. genuinum hominis Chriſtiani, vel ad minimum ſemichriſtiani, idque, fœdiſſimis tautologiis pleniſſimum, meritoque ut hodie extat, ad infima ferè barbarorum ſubſellia detrudendum; in cujus ſententiis præliminaribus mera confuſio, merum chaos, nihil magnificum, nihil erectum: Niſi fortè verum ſit illud, olim unô libellô diſticha illa fuiſſe comprehenſa, cujus Sulpicia meminerit: *Quos inter priſci ſententia dia Catonis*; quem poſtmodùm ita inſaniis ſuis ac inanitatibus (veluti aliis quoque libris evenit) rudes ac ſtolidi homines lancinârint, tantum ei βόρβορον βαρβαρικὸν, ut hodie conſpicitur, adlinendo. Quoniam autem auctor ille Ethnicô Catonis nomine ſe obvelavit, audiamus & illum lib. IV. diſt. XV.

Quum ſis ipſe nocens, moritur cur victima pro te?
Stultitia eſt morte alterius ſperare ſalutem.

Et

* *Legitur adducti Boxhornii Diſſertatio de Diſtichis, quæ Catonis nomine circumferuntur, in optima Catonis Diſtichor. editione Lugdun. Batav.* CIↃ IↃ C XXXV. *in 8t. p. m.* 161. *ſ.*

Et diſt. XXXIX.

Thure deum placa: Vitulum ſine creſcat aratro;
Ne credas placare deum cùm cæde litatur.

Ubi Boxhornius legit: *Tute Deum placa* &c. l.c. Neque Ebræi tàm denſæ barbæ aut adeò luſcitioſi fuêre, ut non eadem docerent. Vide Philon. lib. de Vict.

Dignæ voces vel Chriſtianô homine, & quas è ſacri meditullio fontis hauſtas jurares. Attende, quæ à Propheta θεολαμπεῖ immorigerus Iſraëlitarum Rex audire coactus fuit: *Numquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potiùs, ut obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia, quàm victimæ, & auſcultare magis, quàm obferre adipem arietum.* 1. Sam. XV. 22. Pluribus idem locis adſeritur. v. g. Eccleſ. IV. 17. *Cuſtodi pedem tuum, quando ibis ad domum Dei, & propinquas ad audiendum; quod præſtat ſtultorum ſacrificio, quia neſciunt ipſi ſe facere malum.* Oſeæ VI. 6. *Miſericordiam volui, & non ſacrificium; & ſcientiam Dei, præ adſcenſionibus.* Pſal. LX. 31. 32. *Laudabo nomen Dei in cantico, & magnificabo eum in confeſſione: Et acceptius erit Domino, quàm bos vitulus cornificans & ungvificans.* Matt. IX. 13. ἔλεον θέλω, καὶ οὐ θυσίαν: quod repetitur Matth. XII. 7. Ebr. XI. 4. *Abel per fidem ſacrificium majoris pretii obtuliſſe* perhibetur *quàm Cain.* Adde his Pſal. L. v. 8. & ſeqq. * Pſal. LI. v. 18. 19.

Neque verò animus eſt Ethnicorum ſacra pipulo hîc differre, ſed duobus potiùs pedibus eorum delubra intrare, ac quicquid de Gentilibus *Immolationibus*

A 4

* *In quem locum vide omninò B. Geierum, part.* I. *p.* 1006. *edit. Dreſd.* M. DC. LXV. *in 4to.*

nibus antiquitas promit, non lævô ſaltim oculô, verùm attentiùs cum Philologorum filiis perluſtrare: apud quos facilè veniam impetrabimus, ſi quando occaſione invitati, in φιλολογίας viridario longiuſculè aliquantum exſpatiantes, varios hinc inde flores conlegerimus, & lumecta ac ſcandulacas runcando, topiariam, quantum in nobis eſt, fecerimus.

Subſiſtendum in limine ad Nomen SACRIFICII, ortum ſuum fatens τῷ *Sacrificare*, quod eſt ſacrum facere; ita ut Sacrificium ſit ſacrum factum. Iſid. Etym. VI. c. XIX. *Sacrum* eſt omne, quod Deorum habetur; vel, quod publicâ autoritate Deo ritè conſecratum eſt; ut ſacri luci, templa, ornamenta, & omnia, quæ publicô civitatis inſtitutô, aut permiſſu Principis, Deo, ſive in agro, ſive in civitate, dedicata fuerunt: (unde *conſecrare*, *obſecrare*, *reſecrare*, & ſimilia. Cœl. Rhod. A. L. lib. XII. c. XI. XII.) Differt â *Sancto*, quod hoc ſit id, quod ab injuria hominum defenſum atque munitum eſt, dictum â Sagminibus; quæ erant herbæ, quas legati populi Romani ferre ſolebant, ne quis eos violaret; ſicut legati Græcorum ferebant ea, quæ vocantur κηρύκεια; vel â ſanciendo, quoniam capitis pœna in eos, qui contra deliquiſſent, conſtituta erat. §. 8. & 10. Inſt. de R. Div. l. 6. §. 3. l. 8. & 9. ff. eod. in Auth. ut nul. fabric. Orat. dom. coll. 5. & in Auth. de Eccleſia. §. ſi quis autem voluerit & §. Si quis ædificationem. col. 9. Ulpianus ad edict. 68. Voſſius, lib. V. c. VI. ſect. I. Inſtitut. Orator. Alciatus parerg. II. c. IV. Aggenus comm. in Jul. Front. Gebhard. Crep. III. c. XXVII. Frigidiuſculè igitur, ut aliquando ſolet in

in Etymis, Servius: *Sancire propriè eſt ſanctum aliquid* i. e. *conſecratum facere fuſô ſangvine hoſtiæ, & dictum ſanctum quaſi ſangvine conſecratum* ad lib. XII. Aen. v. 200. Sed *ſacrum* & *ſanctum* aliquando indifferenter ſumuntur, argumento l. 2. ff. Ne quid in loco Sacro fiat. Joh. Maria Catanæus ſchol. ad Plin. ep. X. lib. I. Mancinellus in ſat. III. Juvenal. Quô etiam ſenſu viam quandam apud Romanos *Sacram* dictam autumo, in qua vendebantur poma, flabella, teſſeræ, tali; & incolas ejus *Sacravienſes*: niſi ab eo potiùs derivâris, quòd rectà in capitolium, Diis dedicatum locum, deduxerit. Interdum *Sacrum* ponitur pro templo. Paulus JCtus: *Sunt*, inquit, *ſacrilegi, qui publica Sacra compilârint; at qui privata ſacra vel ædiculas tentaverint, ampliùs, quàm fures*. Perſius ſat. II. v. 69. *Dicite Pontifices, in Sacro quid facit aurum?* Quidam Codd. legunt *in ſacris*, & fortè ipſa donaria Diis oblata, aut vaſa, quorum in ſacrificiis uſus, indigitant. Vide Foquelinum, præf. in ſatt. PerſI. Græca, quoque vox ἱεροὶ teſte Ammoniô de ſimilibus & diff. voc. τοὺς περιβόλους τῶν ναῶν, καὶ τὰ σφάγια, καὶ τὰ ὁσῖα τῶν ἀνθρώπων, ὡς Ὑπερείδης ἐν τῷ κατ᾽ Ἀρχιστρατίδου· καὶ τὰ ξόανα ὡς Θεόπομπος ἐν εἰκοστῇ ἕκτῃ ſignificat. Sed cùm ὁσῖα dicuntur ἱεροὶ, idem ἱερὸν eſt cum τῷ Magno, quod uberiùs inluſtrant Magnus Heinſius crepund. ad Sil. Ital. p. m. 84. & Scapula Lex. Græcô, voc. ἱερός. *Sacer* etiam eſt Devotus. Vide Lipſium, A. L. lib. V. c. VIII. Quandoque *Sacrum* aut *Sacer* pro execrando accipiuntur; cujus rei nobis cauſam reddit Servius ad lib. I. Aen. Virg. v. 636. *quia nempe ſacræ res de bonis execrandorum fiebant.*

Hinc *ſacrare caput*, pro diris devovere. Cœlius, l. c. Apud Plautum leno *viri ſacerrimi* nomine inſignitur i. e. maximè deteſtabilis. Rud. I. II. 69. Vide Macrob. lib. III. c. VII. Feſtum, voce *Sacer*. Catull. cum comm. Mureti, Serv. in lib. III. Aen. v. 56. Ridicula eſt ſacerrimi Agrippæ diſtinctio, quâ ſacra adpellari perhibet, vel quæ ab ipſis Diis aut Dæmonibus adſiſtentiis ſuis ſunt ſacrata, tanquàm â Diis ipſis nobis dedicata; quomodo dæmones, myſteria, & preces quædam *ſacræ* nuncupentur; vel quæ ab hominibus Deo dedicata & conſecrata ſunt; quemadmodùm vota, & ſacrificia, ſimulacra, delubra, idola, ſtatuæ, imagines &c. ritus, obſervationes, geſtus devoti &c. Sacerdotes &c. tempora. lib. III. de Occult. Philoſ. c. LXIII.

Facere autem ſimpliciter hôc locô ſignificat *ποιεῖν* ſive *πράσσειν*; agere, peragere: Quanquàm apud veteres nuda hæc vox ſæpe etiam pro ſacrificare ſumatur. Plautus in Rud. III. IV. 4. *Tun', legirupionem hîc nobiſcum Dîs facere poſtulas.* Strobilus apud Eundem: *Mulſi congialem plenam faciam tibi fideliam, Id adeò tibi faciam* Aul. IV. II. 15. Leonidas apud eundem: *Jam nunc ſecunda mihi facis.* Aſin. II. IV. 89. Varro I. de R. R. c. I. proverbium adducit: *Dî facientes adjuvant.* Laberius: *Bidentes propter viam facere.* Agellius VESTALEM. FACERE. PRO. POPOLO. ROMANO lib. I. c. XII. Virg. *Cùm faciam vitulâ pro frugibus.* ecl. III. v. 77. Juven. *Pro populo faciens.* ſat. IX. v. 117. Ovidius: *Nos faciamus ad annum Paſtorum dominæ grandia liba deæ.* lib. IV. Faſt. v. 775. Atque ita *facere* vel idem erit quod reddere, ſive quæ Deus poſtulavit, ſive *χαριστήρια* i. e. pro benefactis gratum

tum animum, ſive pro peccatis piaculares, quô ſenſu exſtat l. faciendi 175. ff. de V. S. vel idem quod dare, aut ſolvere. Vide l. 218. ff. eod. Confer inſuper Alciatum Lex. Plaut. voc. Facere, & Briſſonium in form. Inde quidam *Pontificis* nomen deducere laborant à *poſſe* & *facere* i. e. ſacrificare. Apud Græcos ſimilia verba ſunt ἔρδειν ac ῥέζειν i. e. & facere & ſacrificare. Homer. odyſſ. ο Theocr. idyll. XXV. & XXVIII. Scholiaſta Theocriti doctiſſimus Zacharias Calliergus ad Idyll. β, quod inſcribitur Φαρμακεύτρια, τὸ ἔρδειν καὶ τὸ ῥέζειν ἔλεγον ἐπὶ τῶν σφαγίων. Λέγεται δὲ καὶ ἀντὶ τοῦ καίειν ἁπλῶς, καὶ ἐν πυρὶ τιθέναι τι, καθὸ λέγεται ἐνταῦθα. Eôdem intellectu tàm apud ſacros quàm profanos auctores aliquando reperiri voces ποιεῖν & δρᾶν aliquot exemplis evincit magnus BOSIUS præceptor atque Patronus meus, exerc. I. de Pontif. Max. c. I.

Hoc *Sacrificii* nomen multa ſub ſe & varia continet: Aliquando ſumitur I. Pro omni actione inviſibili & ſpirituali: II. Pro miniſterio & divulgatione Euangelii: III. Pro gentium ad Deum converſione: IV. Pro * ardentibus precibus: V. Pro gratiarum actione: VI. Pro beneficentia erga pauperes; ſeu Eleemoſyna: VII. Pro toto homine Deo conſecrato: IIX. Pro μαρτυρίοις, ſeu ſuppliciis Sanctorum: IX. Pro commemoratione paſſionis Chriſti in cruce oblati: X. Pro hodierna rei divinæ in Chriſtianis Eccleſiis adminiſtratione: XI. Pro externa externæ rei oblatione Deo facta. Fuſiùs hæc pertractata habes partim apud Bea-

* *Vide Cl. Dn. Bebelium in Diſſert. de Aris* §. 24. *p. m.* 27.

Digitized by Google

Beatum Meiſnerum part. II. Philoſoph. Sobr. Sect. I. c. I. Q. XVIII. p. 121. partim apud inſignem Eruditionis Atlantem Caſaubonum, exer. XVI. diſcurs. 51. & 56. in Baronium, quibus adde conſt. 3. & 4. Leonis, Iſing. coll. hiſt. Quæſt. XIX. §. 2.

De ultima illa ſignificatione inpræſentiarum agimus: ea vocabatur Ebræis קרבן oblatio, admotio; item טבח & זבח quaſi mactatio; & השתחוה, item עבודה ac שרות Chaldæis דבח & פלחנא Rabbinis זבוח, Syris ܕܒܚܐ ſive ܕܒܚܬܐ &c. quamvis primum illud, ſi probè attendas, tantùm de ſacrificiis in genere, poſteriora verò omnia de cruentis potiſſimè intelligi queant: Patet id ex Etymo: קרבן eſt â קרב, quod in Hiphil habet הקריב & ſignificat *obtulit*; at זבח eſt mactare. Teſtatur inſuper doctiſſimus Abravanel his verbis *Nomen Dſebhah & nomen Korbhan non ſunt Synonyma. Omne enim Dſebhach eſt Korbhan, ſed non viceverſà.* Græcis appellatur θυσία, θῦμα, θύος, τέλος, ἱερὸν, ἱερουργία, λειτουργία, θυηπόλιον, ἁγιστεῖα, δῶρον, εὐσέβεια, εὐσέβημα, δουλεία, θεραπεία, θρησκεία, ὅσια, φόβος, προσκύνημα, ἀνάῤῥυσις, σφαγὴ &c. quæ duo ultima itidem de animalium maximè oblatione enunciari debent. Latinis eſt *Sacrificium*, *immolatio*, *litatio*, *victima*, *hoſtia*, *mactatio*, *honor*, *ſacrum*, *donum*, *cultura*, *cultus*, *oblatio*, *ſupplicium*, *ſupplicatio*, *initia*, *res divina*, *religio*, *pietas*, *ſanctitas*, *veneratio*, *adoratio*, *cerimonia*, ubi iterum in plerisque differentia perſpicua eſt. Germani mei reddunt ein Opfer / ab obferendo, ut quidam tradunt, nec veritati id diſſimile.

Ta-

Talibus prælibatis ita ferè inſiſto, & definio Sacrificium, ſacram & externam actionem, quâ res quæpiam externa â certis Perſonis locô ritibusque certis, ad finem certum Diis aut Deorum locô habitis conſecrabatur, & obferebetur. Anguſtiorem hinc adparet & mutilam eſſe Henr. Corn. Agrippæ definitionem, dum ſacrificium ait eſſe *oblationem, quæ & ſacra ſit obferendo, & ſacret ſeu ſanctificet obferentem; niſi illum aut inreverentia aut aliud quoddam impediat peccatum.* lib. III. de Ocul. Phil. c. LIX. princip. τὸ θύειν, ait Plato, δωρεῖσθαί ἐςι τοῖς θεοῖς. in Euthyphrone. *Sacrificium,* inquit Iſidorus, *eſt victima & quæcunque in ara cremantur ſeu ponuntur.* Gyraldus: *Sacrificium erat quodcunque erga deos officium quod ritè rei divinæ faciendæ cauſſâ impendebatur.* Synt. XVII. p. 462.

Fuêre autem Sacrificia veterum triplicia: Α᾽πὸ τῆς μαντείας, χαριςήρια, ἐυκταῖα. Quô præcipuè diviſionis modulô θυσίας metiemur, quia ſingulis aptus, Viriſque piperati judicii ad palatum; ut Meurſio comm. in Lycophr. Caſſ. p. 285. ſ. Scaligero indicibus Inſcribt. antiq. Gruteri, Taubmanno in Plaut. Amphitr. III. III. 11. p. 76. b. Gyraldus: *Tribus de cauſis deis ſacrificandum cenſuêre theologi gentium: Ut veneremnr, ut gratias referamus, ut ab ipſis neceſſaria petamus & mala propellamus.* Synt. XVII. p. 488. Sed valde impingit Petrus Vall. comm. in Plaut. adſerendo, *Bona verba dicere*, de iis apud veteres pronunciatum fuiſſe, qui propter votum ſacrificârint, aut *Sacra vota* (quomodo apud Ovidium, IX. Metam. ἐυκταῖα & χαριςήρια nominantur) exhibuerint; cùm generaliter quicunque vel in ſacris, vel in diebus feſtis,

ſtis, quibuſcunque benè vovebant, benè precabantur, *Bona omina* habuerint, vel *Bona verba* dixerint *. *Omen* enim h. l. votum eſt, teſte Noniô, mentis & vocis. Phraſin hanc uberiùs explicat Ovidius, III. triſt. el. XIII. v. 18. *Concipiamque bonas ore favente preces* Id. 1. Faſt. v. 71.

Proſpera lux oritur, lingvis animiſque favete;
Nunc dicenda bonô ſunt bona verba die:
Lite vacent aures, inſanaque protinus abſint
Jurgia.

loquitur de Calendis Januariis, quô die Romani ſe invicem ſalutabant, boniſque verbis utebantur; malè ominatis, litibus, jurgiis abſtinebant. Idem: *In tantis ſubeunt nec bona verba malis.* l. c. Triſt. v. 24. Tibullus: *Dicamus bona verba, venit natalis ad aras.* lib. II. el. II. v. 1. Martialis lib. X. epigr. LXXXVII. v. 3.

Lingvis omnibus & favete votis,
Natalem colimus; tacete lites.

Certè κατεύγματα iſta in Lindienſi ſacrificio neutiquàm *bonorum verborum* adpellationem merentur, & tamen ἱερὸν illud inter ſacra vota numerandum, & ad χαριστήρια pertinet, quia in memoriam Herculis celebrabatur.

Populi inter ſapientes ſapientiſſimi, & ſuperſtitioſos ſuper-

* *Vide omnino Joſeph. Caſtalion. in Obſervationib. Dec. II. c. X. p. m. 118. ſ. edit. Lugdunenſ. M. DC. VIII. in 8t. Lævin. Torrent. in p. 183. a. Comment. in Horat. lib. III. Carmin. Od. I. v. 1. Dan. Heinſii Notas in Silii lib. XVI. p. m. 149. ſ. edit. Cantabrig. 1646. in 12. Briſſon. I. Formul. p. 8. ſ. Henr. Kipping. I. Antiquit. Roman. c. IX. §. II. p. 209.*

ſuperſtitioſiſſimi, Ægyptiorum, ſexcenta ſexaginta ſex ſacrificiorum genera recenſentur. Romanorum pleraque & Græcorum ϑύματα ſeqq. Corn. Agrippa conlegit: *Agonalia*, *Dapſa*, *Farreationes*, *Hecatombæ*, *Hoſtia*, *Hiacynthia*, *Armiluſtria*, *Janualia*, *Lucalia*, *Lupercalia*, *Munychia*, *Novendinalia*, *Nyctiluca*, *Palatialia*, *Paſtillaria*, *Popularia*, *Protervia*, *Scenopegia*, *Solitaurilia*, *Stata*, *Rubigalia*, *Fontanalia*, *Ormia*, *Parentalia*, *Inferiæ*, *Conſualia*, *Lampteria*, *Amburbia*, *Ambarvalia*, *Dianetaurica*, *Bacchanalia*, *Trieterica*, *Liberalia*, *Cocytia*, *Cerealia*, *Theſmophoria*, *Adonia*, *Teonia*, *Laurentalia*, *Opalia*, *Palilia*, *Quirinalia*, *Vertumnalia*, *Gynæcia*, *Panathenæa*, *Quinquatria*, *Diapalia*, *Diaſia*, *Horma*, *Hormea*, *Nemea*, *Mytriaca*, *Palogygia*. lib. III. de Occ. Phil. c. LIX. Invenies, cùm hæc omnia εὐτάκτως congeſta, & explicata, tùm plura inſuper adjecta apud Raviſium in Theat. Hiſt. Poët. lib. I. c. XXI. Idem Agrippa, quæ commodè tribus illis claſſibus noſtris inſeri poſſunt, variè permiſcet & conturbat. *Sacrificia*, inquit, *alia ſunt ſalutaria, quæ fiunt pro ſalute obtinenda; quædam pacifica, pro pace; quædam laudes pro liberatione à malis, vel largitione bonorum quædam; Gratulatoria, pro veneratione divina, & gratiarum actione; quædam etiam fiunt nec propter honorem Dei, nec ex bona voluntate, quale erat apud Ebræos Sacrificium Zelotypiæ, quod ſolùm fiebat cauſſâ detegendi occultum adulterium: Eratque olim apud Gentes Sacrificium expiationis, quô expurgabantur civitates fame aut peſtilentiâ, aut aliâ quavis horrendâ calamitate laborantes.* l. c. Effuſior etiam eſt, ac immoderatiùs excurrens, quam Cœlius adfert, differen-

rentia; quâ diſpeſcuntur Sacrificia in Dorophorica, Apolytrotica, Dialectica, Apopleſtica, & Athyta lib. XII. L. A. c. 1. edit. Frob. Baſil. Annô 1542.* Hæſi, meherc'le, aliquantiſper, & ubinam de Dialecticis legerim, cogitationibus non incidit. Deprehendi tandem nævum, credo typothetarum. Exploſô itaque illô ſubſtituo, *dialactica*, facem mihi præeunte Suidâ, qui θυσίας conſtituit δωροφορικάς, munerum oblatorias; ἀπολυτρωτικάς, redemtorias, exſolutorias; διαλλακτικάς, tranſmutatorias, expiatorias, à διὰ & ἀλλάσσω; denique ἀποπληρωτικάς, expletorias. Ex Ebræorum aris longè aliter ſacrificiorum procedunt ſpecies: Apud quos primò erat holocauſtum, ſub quo Mincha, Sabbatum, Neomenia. 2. Sacrificium pro peccato, Sündopfer, 3. Sacrificium pro delicto, Schuldopfer 4. Sacrificium conſecrationis, 5. Sacrificium purgationis, 6. Expiationis. 7. Pacificum, Danck/oder Gelübdopfer. 8. Sacrificia ex thure, myrrhâ, aromatibus, farinâ, ſimilâ &c. Item Libationes, Speiß/ und Tranckopfer. Vid. Iſing. coll. hiſt. Quæſt. LIX. §. 2. qui & Quæſt. LX. §. 18. aliter dividit. Sigonius 6. ſacrificiorum genera apud Ebræos recenſet. de Repub. Ebræor. lib. IV. c. II. tredecim facit R. Bechai in comm. in Pentateuch. Cloppenburg. & Stuckius duas tantùm ſtruunt ſeries; alteri ἱλαστικά, alteri εὐχαριστικά adſignant. B. Calixtus, magnus ille & θαυμάσιος, Sacrificium propriè acceptum in V. T. triplex fuiſſe dicit: I. Holocauſtum, id quod vel quotidianum, vel ſolemne. II. Sacrificium expiationis ſive propitiatorium. III. Sacrificium

* *Lego & ita in editione Froben. M.D.LXVI. quâ utor.*

ficium pacificorum, idque vel gratiarum actionis pro beneficiis acceptis, vel totum aut ſpontaneum pro beneficiis impetrandis. Adpendix autem ſacrificiorum propriè dictorum erat מנחה. in Compend. Theol. p. m. 219. At nos ad Gentium in genere oblationes, Judaica illa primoribus tantùm digitis, velut olim ſal ac thus ſuum ἱερὸν πῦρ, attingere cogitamus; lectorem interim eorum etiam ἐπιποθοῦντα, ad CloppenburgI Schol. ſacrif. Patrum, πολυωνύμου *Dilherri*, Patroni, ut Muſarum communis, ita meæ, ſummi, Tom. II. diſp. IX. Et Cl. Friſchmuthi Præceptoris mei exoptatiſſimi diſſert. de Sacrific. dimittentes.

CAPUT II.

Sacrificii ἀπὸ μαντείας *deſcribtio: Inluſtratur exemplis. Proverb.* Embarus es, *explicatur.* Μολπίδος πέτρα *apud Lycophronem.* Jupiter ὕης ὑέτιος, ὄμβριος, Pluvius. *Quæſt: Sintne naturâ nota, an à Deo præcepta ſacrificia? (Inanis Bellarmini aliorumque labor in propugnanda Miſſa: Auctores quidam de Sacrificio Miſſæ) Pontificii quidam cum Ebræis adfirmant: Auctor à negativa parte ſtare mavult.* χαριστήρια *quid? Eorum diviſio: Adduntur multiplicia exempla. Peregrinantium religio. Fortuna Redux. Hercules defenſor,*

 In-

Invictus. Aliquot peregrinantium Dii. Supparum. Lectio quædam in Virgilio probata. Neptunus Redux. Natalis Comes flagellatur. Victima animalis & conſultatoria: Dii animales. *Labeo leviter tentatur.* προχαριστήρια. *Bacchus* πρόβλαστος. *Floriferium :* ἀλῶα. *Varii plantarum & agrorum dii præſides. Conjugium cur* ἱερα-τέλεια? *Juno dea puerperarum: Eadem cum Lucina.* Ἀμφιδρόμια: Circumferre *verbum in* ἀμφιδρομίοις *ſolemne. Infantes recens nati loti. Rheni etymon. Infantes octavô vel nonô à partu die denuò loti. Dies luſtricus* ὀνομαστήρια. *Nundina. Infantibus quô die nomina impoſita?* Fata advocare, ſcribere; occupare. *Fabulinus Deus. Jupiter unde* Triumfator *dictus; Epithetô primùm veri Dei*: Feretrius: Redux: *Alia Jovis quatenus in Bello præerat cognomina Herculis militantium præſidis epitheta: Item Martis: Minervæ. Hecatomphonia.* θυσίαι ἱππάδες. *Hormiſdates, Arimanes.* χαριστηρίων *adpellationes variæ.* Suſcipere, nuncupare vota *quid?* Victima vota; votita: votiva. Votum ſolvere: (*Significatio* τ͂ ſolvere) Reddere. *Juſti LipſI lapis tentatur. Monumentis ſacrificia poſt immolationem*

nem inſcribta. V. S. L. M. Lapides aliquot coacervati. Quando dii hominibus ſervierint?

Explanationem uberiorem Diviſio noſtra, quam ſuprà propoſuimus, requirit. Adornabimus eam exemplis plurimis, ut videas facilè omnia illa locum invenire; nec dari ullum, quod non in tribus illis ſedibus requieſcat. Ἀπὸ τῆς μαντείας erant ſacrificia, quæ ob certas cauſas, voluntate & juſſu Oraculi cujuſdam, peragebantur; quale præceptum DEI veri ad credentium Patrem extat Geneſ. XXII. 2. Apollo Pythius impietatis auctorem Cyanippum immolari jubet. Plutarch. in Parall. Pluto exortô hiatu illô peſtiferô in foro Romano nobiliſſimam petit vectimam. Id. Ibid. Oracula pro occiſo cervo Agamemnoniô ſangvine immolandum Dianæ ſvadent. Eurip. in Iphig. Ovid. III. Metam. & III. de Pont. Serv. ad II. Æn. Virg. Eadem eidem ob urſam in Piræo confectam, filiam in victimam ferri mandant; cui obſecutus fuit Embarus, Suidas voc. ἔμβαρος. Qui tamen filiam comtam in adyto abſcondidit, & capram ejus ornamentis indutam illius locô immolavit; unde de callido in proverbium exiit: *Embarus es.* Vide Hadr. Junium cent. II. adag. XL. ubi Eraſmum aliter hoc explicantem refellit. Jupiter in templo apud Elidem generoſum Juvenem, deficientibus invocatus pluviis, poſcit: offerebat autem ſe ſponte Molpis. Ovid. in Ibin, conſequebaturque Inciſa notis marmora publicis, quæ Lycophron μολπῆδος πέτραν vocat in Caſſ. Jupiter poſteà, tum quòd pluviis omnia inundantibus, tum iiſdem deficientibus ſacra caperet, ὕης,

 item

item ὑέτιος, & ὄμβριος, Latinis *Pluvius* eſt adpellatus. Tibull. lib. I. Eleg. VII. v. 26. *Arida nec Pluvio ſupplicat herba Jovi.*

Quæritur hîc, annon *latè* omnia Sacrificia dici posſint ἀπὸ μαντείας? Sive ut dilucidiùs ediſſeramus: Innotuerintne lumine, id eſt præceptis LUMINIS πολυπαμφάγ, an Naturæ, hominibus ſacrificia? Auratis hîc cornibus victimam magno ſuo משיח cædere, & penitus perlitare laborat, immanis beluæ Romanæ delicium belliſſimum, Bellarminus; qui ſcribit, *Sacrificia non eſſe in lege Moſis inſtituta, ſed ex lege Naturæ ortum habere; ceu id pateat ex Sacrificiis Abelis, Job, & aliorum.* lib. I. de Miſſ. c. XX. Ibid. *Hinc colligitur id* (ἱερουργίας in Eccleſia ἱερουργεῖσθαι) *eſſe primum quoddam principium à Deo nobis ingenitum.* Quibus non refragatur Thomas, quando part. III. ſum. Q. LX. art. 3. ad 5. colligit: *Sicut in ſtatu legis naturæ homines nullâ lege exterius datâ, ſed ſolô inſtinctu movebantur ad DEUM colendum: ita & interiori inſtinctu determinabatur eis, quibus ſenſibilibus ad cultum DEI uterentur.* Adſtipulatur his Didacus Nugno Cabezudo in part. III. Thom. Q. LXXXIII. *Multò*, inquit, *probabilius, quàm oppoſitum eſt, quod ſit naturale præceptum, offerendi Deo ſacrificium, propriiſſimè dictum.* Et Greg. de Valentia, *ex rectæ Naturæ inclinatione compulſos cùm Patriarchas, tum Gentiles ſacrificâſſe* contendit lib. I. de Miſſ. ſacrif. c. IV. De Papicolis non miror, eos talia manibus, pedibuſque propugnare, ob Miſſæ, ut ajunt, ſacrificium, de quo tàm opima eis cedit portio. Inde circumferuntur libri: *Joh. Cochlæi Norimbergenſis Sacerdotii ac Sacrificii defenſio,*

ſenſio, *Ambr. Pelargi dicti Storch*, *Gaſparis Sasgeri aliàs Schatzgeri*, *Joh. EcclI Svevi*, *Joh. Hoffmeiſteri & aliorum De Sacrificio Miſſæ:* Quibus addendus *Wernerus Rolfinck de Valore Miſſarum* &c. Ebræos tamen ſplendidiſſimum BelgI eruditi ſidus H. Grotius in eadem verſari tradit ſemita. Nec fallit vir candidiſſimus. Abravanel enim eâ de cauſâ ſacrificia in cultu divino DEUM præcepiſſe adſerit, quòd cùm plerique mortales ſacrificiis adſveviſſent, difficile fuerit, illis prorſus valedicere. comm. in Pentateuch.

Contrariam ſententiam tuetur Svarez, part. III. ſum. Thom. art. 1. diſt. LXXI. Sect. VIII. his verbis: *Nullum eſt naturale præceptum, ex quo ſufficienter colligi poſſit, determinationem illius, ad talem modum, cultus ſcil. per ſacrificium, eſſe omninò neceſſariam ad morum honeſtatem.* Idem Ethnicorum quoſdam ſenſiſſe, hiſtoria Numæ *ὑπερέλλου* ſacrarum apud Romanos religionum reſtauratoris (unde, & etiam quòd ipſe ſacrificaverit, â Pacato Drepanio, velut ab Ovidio Aneus *Sacrificus* dicitur c. XX. in paneg) fidem facit, qui non niſi Egeriæ monitu Deæ, cujus adſiduis congreſſibus utebatur, ſacra ſe inſtituiſſe finxit. Val. Max. lib. I. c. II. ex. 1. quemque enixô ſtudiô Jovem in ſacrificiis faciendis informâſſe credebant, quod prolixè ex Antiatis lib. II. recenſet Arnobius, lib. V. adverſ. gent. Pertinent huc Platonis verba: *τούτων πάντων νομοθέτης, ὅστις νοῦν κέκτηται καὶ τὸν βραχύτατον, οὔποτε μὴ τολμήσῃ καινοτομεῖν, ἐπὶ θεοσέβειαν, ἥτις μὴ σαφὲς ἔχει τι, τρέψαι πόλιν ἑαυτοῦ, καὶ μὴν οὐδ' ὧν ὁ πάτριος νόμος εἴρηκε περὶ θυσιῶν ἀποκωλύσει, μηδὲν τὸ παράπαν εἰδώς. ὥσπερ οὐδ' ὂν δυνατὸν εἰδέναι τῇ θνητῇ τῶν τοιούτων πέρι.*

in Epinom. Hinc mundi Miraculum Ph. Melanchthon, in Exam. Sacrificia nominari ait *opera à Deo Præcepta.* Regerenti, quî Ethnici ex Dei mandatis de ſacrificiis inſtituendis erudiri potuerint? prodit & reſpondet Rivetus: *Partim ex κακοζηλίᾳ, quâ mundus in quibuſdam ſolet imitari Eccleſiam, partim inſtigante Diabolô, varia ſacrificia & varii ritus etiam apud Ethnicos obſervabantur.* exerc. XLII. in Gen. Videantur Vir de Eccleſia orthodoxa meritisſimus D. Dorſcheus in myſaria Miſſæ contra Herberum c. I. Joh. Fabritius, Theologus eximius, & Philologus excellentiſſimus, Patronus meus optimus in cacozel. Gent. part. II. c. I. Et Cl. Friſchmuth, Præceptor meus laudatiſſimus, diſſ. de Sacrif. c. II. qui Bellarmini nodos, Miſſam ſtrenuè inde defenſitantis, acutè reſcindit. *

Χαριστήρια erant, quibus pro certis beneficiis; puta aut Malo averſo, aut Bono accepto, animum pium & gratum oſtendere ſtuduêre. Ubi imbres quieviſſent, diluviumque DEUS terris arcuiſſet, Noah pro ſui & ſuorum conſervatione, ſacrificiô ſuaveolenti grates Deo refert. Gen. VIII. 20, 21. 22. Apud Gentiles ſanæ menti reſtituti Laribus præcipuè ſacrificabant. Lil. Greg. ſynt. I. hiſt. Deorum. Taubmannus in Plaut. Men. II. II. 16. Pro periculis in itinere repulſis, moleſtiiſque peregrinationis feliciter exan-

* *Eſt omnino quoque legendus D. Leonh. Hütteri Triumphus de regno Pontificio, h. e. Tractatio Scholaſtica & Theologica, quâ ipſa Acropolis imò cor & anima Papatus Romani, ſacrificium Miſſaticum, funditùs expugnatur & evertitur. Witteberga* M. DC. VII. *in* 8.

exanclatis, hoſtiæ cæduntur â Philocomaſio apud Plaut. Mil. Glor. II. V. 1. ab Agamemnone apud Senec. Agam. III. 1. Cydippe apud Ovidium ep. heroid. XXI. v. 91.

Protinus egreſſæ, ſuperis, quibus inſula ſacra eſt
Flava ſalutatis thura merumque domus.

Moris enim erat etiam locum, in quem revertebantur, aut commigrabant, vel potiùs genium loci, religiosè ſalutare. Vide Muretum in Catull. carm. ad Sirm. Lapis Budæ Hungariæ in ſuburbio: DIS. MILITARIBUS. ET. GENIO. LOCI. PRO. SALUTE. ET. REDITU. IMP. CÆS. Sacrificabant autem inprimis Fortunæ Reduci. Claudianus, in princip. VI. Honor. Conſulat. *Aurea Fortunæ Reduci, ſi templa priores Ob reditum vovêre ducum.* Vide de ea Gruteri inſcribit. f. 8. 77. 78. Ejus effigies extat Romæ in vinea Card. Carpenſis in ara quadrata. Vid. eund. f. 72. Sacrificabant item Laribus Vialibus. Inſcribtio:

FORTVNAE
REDVCI. L A R I
V I A L I. R O M A E
AETERNAE

Herculi, qui & inde *Defenſor* & *Invictus* audivit. Romæ: HERCVLI. INVICTO. QUOD. PROFICISCENTES. EXPEDITIONIBUS. SACRIS. VOVERANT. REGRESSI. CUM. COMMANIPULIS. LIBENTES. VOTUM. SOLVERUNT. Mercurio: Apud Iſaram fl. in Bojariâ: DEO. MERCURIO. FORTUNAE. REDUCI. SACRUM. Silvano: Romæ inter marmora quæ ſecantur ad Fabricam D. Petri in Vatica-

 no:

no: SILVANO. AUG. SACR. PRO SALUTE. ITUS. AC. REDITUS. IMP. CAES. DIVI. F. AUGUSTI. DINDUMENUS. FURNESIUS. PRÆGUST. AUGUSTI. V. S. L. M. Neptuno, Romæ:

D. M. PROPI --- OLENT ----
NEPTUNO. SACR.
PRO. FELICI. ITU. AC. REDITU

Caſtori & Polluci: Ibid. CASTORI. ET POLLUCI. SACRUM. OB FELICEM. IN PATRIAM. REDITUM. TOT. SUPERATIS. NAUFRAGII. PERICULIS. Diis Magnis: Inſcribtio: MAGNIS. DIS. SACRUM. F. VALERIUS. RUFUS. VOTUM. QVOD. ABIENS. FEC. POST. REDITUM. DE. SUO. I. S. L. M. Diis omnibus. Romæ in JulI III. vinca: PRO SALUTE ITU. AC. REDITU. BUTRÆ. N. SILVANO. ET. DIIS. OMNIBUS. Ceterùm qui è mari ſalvi domum rediſſent, veſtes ſuas Diis pro incolumitate ſuſpendebant; quæ veſtes, Neptuno ſacræ, *ſupparum* antiquis dictæ ſunt. Heinſius, Crepund. p. 17. Horat. *Uvida Suſpendiſſe potenti Veſtimenta maris Deo.* lib. I. od. V. extr. Virg. lib. XII. Aen. v. 766.

Fortè ſacer Fauno foliis oleaſter amaris
Hic ſteterat, nautis olim venerabile lignum;
Servati ex undis ubi figere dona ſolebant
Laurenti Divo, & notas ſuſpendere veſtes.

Ubi Cod. Oblongus, Mediceus, & alii, quos adducit Alex. Vellutellus Venetus, optimè pro *notas* legunt *votas*, quæ lectio etiam Th. Pulmanno, Farnabio

nabio & aliis † placet. Exinde Neptunus *Reducis* nomine cultus fuit. Vide Meurſium auctar. Philol. c. II. Pro averſo interitu & morte; Horatius immolat lib. III. Od. VIII. Mœcenas Saluti Publicæ apud eundem. Quales victimas *animales* dici Natalis Comes perhibet; lib. I. c. XVII. ſed fallitur, quicunque ei habet fidem. Victima *Animalis* haruſpicibus erat hoſtia, cujus anima tantummodò ſine Extorum inſpectione Diis obſferebatur; eam opponebant hoſtiæ *conſultatoriæ* in qua exta conſulebantur. Heins. Crep. p. 11. Servius ad Virg. III. Aen. *Sunt autem hæ animales hoſtiæ, quæ tantum immolantur.* Fuerunt etiam Dii quidam, *animales* dicti, quod ex Labeone iterum docet Servius: *Labeo in lib. de animalibus ait eſſe quædam ſacra, quibus humanæ animæ vertuntur in Deos, qui dicuntur animales quod de animalibus fiant, & ſunt dii penates, & vitales.* l. c. v. 168. Sed veritati propiùs acceſſiſſe videretur Labeo, ſi (velut Servius hoſtias animales) ab animabus Deos iſtos deduxiſſet.. Pertinet huc inſcribtio, quæ eſt Anagniæ in Laaio in D. Angeli æde in tabula marmorea.

EXEMPLVM. PERIIT. CASTAE. LVGETE. PVELLAE OPPIA. IAM. NON. EST. ERЕPTA. EST. OPPIA. FIRMO

ACCIPITE. HANC. ANIMAM. NUMEROQVE. AVGETE. SACRORVM

Inter bona, ob quæ grates & χαριςήρια ad Deos B 5 re-

† *Tu vide Joan. Pierium Valerian. in Caſtigationib. & Varietatib. Virgilianæ Lectionis, p. m.* 204. *edit. opt. Pariſ. Rob. Stephani M. D. XXIX. in fol.*

redundabant, erat *Voti conſecutio*; quam ob cauſam Aurelianus ſacrificat apud Vopiſcum, c. XXXIII. *Frugum germinatio*; quale ſacrificium in honorem Minervæ hircô ab omni Magiſtratu fiebat, dictum προχαιρϛήρια, Suidas, Bacchus inde πρόβλαςος, teſte Cœliô Rhod. lib. VII. c. XV. dictus, quia è germinantibus vitium palmitibus res divina illi facta. Apud Romanos Floriferium feſtum erat dictum, *quòd eô die ſpicæ ad ſacrificium ferrentur*. Feſtus. Sicut contra ἀλῶα poſt fruges comportatas ab Athenienſibus agitabantur. Præfuêre autem plantis, agris & hortis: Maja, Bona dea, Fauna ſive Fatua, Flora, Ceres, Pales, Pomona, Sera, Segeſta vel Segetia, Tutulina, Nodinus vel Nodotus, Priapus, Pan, Silvanus, Lactucina, Deus Lactens, Patalena, Hoſtilina, Volutrina, Runcana, Deverrona, Deus Spinenſis, Robigus, Stercutius. Vid. Voſſium de Idol. lib. II. c. LXI. Porrò *uxor* pudica, nobilis, dives. Juven. ſat. VI. v. 48. *Auratam Junoni cæde juvencam, Si tibi contigerit capitis matrona pudici.* Unde conjugium olim ἡραπίλεια dictum. Pollux, lib. III. c. III. quòd Junoni in nubtiis ſacra fierent. Veneri, puellæ amoris ſui compotes factæ, coronas, Juvenes camiſiarum ſuarum Zonas ſuſpendebant. Meurſius exerc. Crit. *Infans* natus: quale χαριςήριον conſpicitur Amphitruonis apud Plaut. V. I. 74. OctavI apud Sueton. in Aug. c. XCIV. A puerperis Junoni ſacra facta monet Philologiæ Oraculum θεοειδὲς Meurſius, exerc. Crit. part. II. lib. II. c. X. Et indicat Arnobius: *puerperiis Juno præpoſita eſt & auxiliatur genitricibus fœtis*. lib. III. adverſ. Gent. Apud Plautum Phroneſium Lucinam invocat *Gravida quaſi puerperio cubem: Date mihi huc ſtactam*

at-

atque ignem in aram, ut venerem Lucinam meam. Truc. II. V. 22. Ovidius, lib. II. Amor. eleg. XIII. 21.

Lenis ades, precibusque fave Lucina puellæ;
Digna eſt, quam jubeas muneris eſſe tui.
Ipſe ego thura dabo fumoſis candidus aris &c.

Vetus inſcribtio in ſepulcro puerperæ: LVCILLA. HIRFIDIA. XVII. NATA. ANNVM. GEMELLAM. PRIMO. PARTV. PROLEM. ENIXA. HOC. TEGITVR. SAXO. FAVIT. LVCINA. NASCITVRIS. LVCILLÆ. LVCEM. NON. PEPERIT. Juno enim cognominata fuit Lucina, quod ex Catullo cognoſcas: *Tu Lucina dolentibus Juno dicta puerperis.* carm. ſecul. XXXV. v. 13. Illa verò Genitorum propter ſobolem ſacrificia quintô demum poſt partum die fiebant Plaut. *quin Diis ſacrificare volo pro nato infante, quintô die, quod fieri oportet;* in Truc. II. IV. 69. Eô ſcil. quô infans recens natus manus abluebatur, & Laribus circa focum curſim *circumferebatur*; quæ feſtivitas Græcis ἀμφιδρόμια dicta. In his ἀμφιδρομίοις *circumferre* verbum ſolemne erat, pro luſtrare. Serv. ad VI. Aen. v. 229. Turneb. Adverſ. lib. XIII. c. XXI. Lavabantur enim etiam infantes ſtatim poſt partum. Plaut. Amphitr. V. I. 50. Euripides in Herc. Salmuth. ad Pancirollum, lib. II. c. X. Meurſius ad Lycoph. Caſſ. Ita apud Germanos priſcos Rheno, ut puritas thori comprobaretur, imponebantur: unde fluvio nomen impoſitum Rein. Conf. Cluverium Germ. antiq. lib. I. c. XXI. Voſſium de vitiis Serm. lib. I. c. IX. Stegerum de lotionibus veter. Rom. c. I. Lavabantur & nonô vel octavô die poſt partum. Adi Parrhaſium in epiſtolis: Meurſium, Græc. feriat. lib. 1. in ἀμφιδρόμια.

μια. De infantum die luſtrico vide Gyrald. ſynt. XVII. p. 471. Caſaubonum ad ſat. II. Perſi. Ita Ebræi περιτομὴν ſuam VIII. celebrârunt die. Septimô poſt partum die, Græci; Decimô, Athenienſes: Octavô Romani fœmellis (qui dies *luſtricus* & ὀνομαστήρια vocatus) Nonô (à quo *Nundina* Romanorum Dea nomen retulit) maribus nomina imponebant, cujus cauſam vide apud Plutarchum probl. XCIX. quod neutiquàm apud Athenienſes ſine ſacrificio factum. Vide Varr. lib. VII. de L. L. J. C. Scalig. de Cauſis L. L. lib. IV. c. XCII. Joſ. Scal. Auſon. lect. lib. II. c. XXII. Caſaub. ad ſat. II. Perſi Franc. Junium in not. ad Tertull. p. 109. Alex. ab Alex. gen. dierum, lib. II. c. XXV. Meurſium de puerp. c. VI. & VIII. & exerc. Crit. lib. III. c. XXXIII. Alex. Sardum Ferrarienſ. de Mor. & Rit. Gent. lib. I. c. VIII. Dorſcheum Diſſ. Th. pentadecade diſp. IV. §. 3. * Eôdem die etiam Mathematici advocati, qui inſpectô themate Genethliacô fauſta infauſtaque prædicerent; quòd erat *fata advocare* & *ſcribere*. Adripiebant & quæcunque omina in bonam ſcævam ad impoſitionem nominum, quod dicebatur *fata occupare*. Rubenius Elect. lib. I. c. V. Ubi infantes jam loqui cœpiſſent, *Fabulino* Deo immolabant hoſtias. Nonius.

Erat inter bona etiam *Victoria* ac palma ex hoſtibus reportata; velut Auguſti apud Horat. lib. III-

Od..

* *Adde Cl. Philippum Mullerum in Diſſertat. Theolog. ad Luc. X.* 20. *de nomine in cælis ſcripto, quam propediem habebis in uno Faſcium noſtrorum, c. I.* §. 41. *p. m.* 19. *ſ.*

Od. XVI. Cumanorum apud Dionyſ. Halic. lib. VII. Amphitruonis apud Plaut. III. II. 65. Alexander Severus, apud Lampridium, Senatum ad ſacrificia pro tot victoriis admonet. c. LVI, Cydonius : *θύουσι καὶ ἀνένδουσιν ἐπινίκια.* orat. de contemn. mort. Beninenſes hodienùm ex captivis hoſtibus nonnullos Idolo ſuo immolare ſveverunt. Itin. Ind. p: m. 504. Apud Romanos in Capitolium deductus triumfans, peractis ibi precibus, obtulit taurum candidum, coronam triumfalem, & aliquot pretioſas manubias Jovi, cui inde *Triumfatoris* nomen competiit, quod *ὑπεροπτευτὴς* æternæ Majeſtatis ſimia, â proprio Dei attributo furata, ſervis ſuis ſuppeditavit. Legitur illud 1 Samuel. XV. 29. *Triumfator in Iſraël non parcet, & pœnitudine non flectetur.* Vid. Del-Rio adag. V. T. 114. Immolabant etiam Jovi *Feretrio*, (quod *feriret* hoſtes; vel, quod pacem ferret) cui opima ſpolia dabantur, & Jovi *Reduci.* Martialis, lib. VIII. epigr. XIV. 1.

Dum nova Pannonici numeratur gloria belli,
Omnis & ad Reducem dum litat ara Jovem.

Sed alii non malè h. l. per *Reducem Jovem* intelligunt Cæſarem, Jovi item *Statori* & Herculi *Victori.* Utrumque in inſcribtione videmus, quæ eſt Albæ Juliæ in Dacia : JOVI STATORI. HERCULI. VICTORI. M. VLP. NERVA. TRAIANVS. CÆSAR. VICTO. DECEBALO. DOMITA. DACIA. VOTVM. SOLVIT. ASPICE. ROMVLE. PATER. GAVDETE. QVIRITES. VESTRA. ISTA. EST. GLORIA. Vid. Joh. Livineji not. ad. paneg. I. Mamert. Audiebat inſuper Jupiter, ambitioſè ſatis & cumulatis, pol! encomiis

comiis, à victoribus: *Victor* (cujus imaginem vide apud Choulium p. 58. 59. *Invictus*, *Imperator*, *Cuſtos*, *Piſtor*, (quòd Romanos in quiete locâſſet, ut ex frumento haberent quod vellent) *Prædator*, *Opitulus* vel *Opitulator*, *Impulſor*, *Stabilitor*, *Centumpeda*, *Supinalis*, *Tigillus*, *Vltor*, *Sthenius*, *Stratius*, *Nicophorius*, *Areus*, *Palæſtes*, *Tropæuchus*, *Atabyrius*, *Labradeus* vel *Labradenus*, *Phyxius*, *Oetus*, *Eleutherius*, *Soter*, *Conſervator*, *Soſipolis*, *Vrius*, *Errhus* &c. Hercules verò: *invictus*, *Triumfalis*. *Pacifer*, *Defenſor*, *Magnus Cuſtos*, *Potens*. *Pollens*. καλλίνικος, πρόμαχος, καρτερόχειρ, ἀδάμαστος παντοδυνάστης Vide Boxhorn. quæſt. Rom. I. Inſcribtio Interramnæ Nahartium in Vmbria:

LOCVS
SEPVLTVRAE
CVLTORVM
HERCVLIS
DEFENSORIS
POLLENTIS
INVICTI

Redeuntes ex bello Marti quoque χαριστήρια obtulêre: Unde dictus putabatur quòd *maribus* in bello præeſſet; exindeque laudabatur, *Bellipotens*, *Odryſius*, *Geticus*, *Thracius*, αἱμοχαρής, βροτολοιγός, μιαιφόνος, *Vltor*, *Tyrannus* &c. Item Minervæ, quam cognominârunt *Auxiliarem*, *Armipotentem*, *armiſonam*, ϛρατείαν, ἀρείαν, ϛρατιάδα, χαλκίνιδα, ληϊτίδα &c. Meſſenii immolabant Hecatomphonia, tamquàm ex hoſtibus centum interemiſſent, quod ſacrum Ariſtomenes Jovi ἰθωμάτᾳ obiit. Lud. Cœl. A. L. lib. XX. c. VI. Confer Sardum de Mor. & Rit. Gent,

Gent. lib. III. c. XII. & XIII. Hoc χαριστήριον Ebræis peculiariter חדה dici vult Corn. â Lap. comm. in Lev. VII. 13. Huc quoque pertinere videntur θυσίαι ἱππάδες i. e. Equeſtria ſacra, in feſtivitatibus & pompis Athenienſium â MCC. equitibus facta, de quibus Suidas voc. ἱππάς & Cœl. lib. XII. L. A. c. I. Magi ſacrificabant Hormisdati, quem bonorum omnium auctorem credidêre; ut Arimanem malorum, referente Alex. Sardô. lib. III. c. XV. Sed Laërtius Ὠρομάσδην & Ἀρειμάνιον vocat. procem vitt. Vide Plutarch. & Agathiam. lib. II. Poteſt de his omnibus videri Turneb. adverſ. lib. XX. c. XXVII. Talium quorundam ſacrificiorum mentionem facit Rambam Ægyptius: יום שמתכנסין בו הגוים להעמיד להן מלך ומקרבין ומקלסין לאלהיהם יום אידם הוא והרי הוא כשאר אידהם אבל גוי ששעשה הוא איד לעצמו ומודה לכוכב שלו ומקלסה ביום שנולד בו ויום תגלחת זקנו או בלוריתו ויום שעלה בו מן הים או שיצא מבית האסורים ויום שעשה בו משתה לבנו וכיוצא באלו i. e. *Illa quoque dies, quâ idololatræ ad regem conſtituendum conveniunt, ſacrificant, ac Deos ſuos laudant, cœteris feſtorum accenſetur: Quòd ſi idololatra ſibi ipſi feſtum diem indixerit, ut veneretur idolum ſuum, ac laudet illud natali ſuô, aut quô die barbam condet vel comam, aut quô advenit è mari, vel è carcere egreſſus, quô item convivium inſtituit filii cauſâ, & ſi qui id genus alii ſunt.* lib. Acom. c. IX. §. 4.

Vocantur Ebræis χαριστήρια שלמים * â שלם pace frui; propriè compleri, perfici; quorum mentionem

* *Vide de his Schlamim Optimum Geieram noſtrum in Comment. Proverb. VII. 14. p. m. 339.*

tionem factam ſentias Exod. XX. 24. & XXIV. 5. Amos. V. 22. & alibi. Sed Corn. â Lapide ad εὐχλαῖα protrudere laborat. Græcis appellantur εὐχαριστικὰ, χαριστήρια, εὐαγγέλια, ἐκβατήρια, ἐπινίκια, εἰρηνικὰ σωτήρια (quorum poſteriorum ſingula, ſingulis ferè adplicari poſſunt ſpeciebus) ipſæque victimæ χαριστήριοι.

Hæc ſæpiſſimè priùs vovebant, quod erat *ſuſcipere* & *nuncupare vota*. Vide Lipſ. not. ad Tacit. Unde victimæ eæ nuncupabantur *votæ*, Ovid. lib. II. amor. el. XI. v. 46. *Pro reditu victima vota cadet.* necnon *Votitæ*; *& votivæ*. Horat. lib. I. Ep. III. extr. *Paſcitur in veſtrum reditum votiva juvenca.* Poſteà ſi victimas votas immolarent, *votum* ſe *Solvere* dicebant, ſumtô ſcil. ſolvendi verbô eâ ſignificatione, quâ quis id facit, quod facere promiſit, vel pollicito ſatisfacit. l. 176. ff. de V. S. l. ſolutionis verbum. 54. ff. de ſolut. & liberat. Item *votum reddere*. Lapis Priſcus Romæ ad Baſilicam Petri: EX. VOTO. SVSCEPTO. QVOD. DIV. ERAT. NEGLECTVM. NEC. REDDITVM. Ita hunc lapidem citat Lipſius ad lib. XV. ann. Sed aliter longè Georg. Fabricius lib. I. antiquitat. interd. 4. Præterquàm enim quod inſcribat: *Mutilatum*, pluribusque continuet, ac Lipſius; etiam aliter legit. h. m. EX. VOTO. SVSCEPTO. QVOD. DIRVERAT. NEGLECTVM. &c. p. m. 38.

Solutis votis lapides ac monumenta, quibus tempus, ſimilesque ſacrificiorum aut votorum circumſtantiæ adnotabantur, erecta fuiſſe, non difficulter adfirmari poſſe autumo: Idque ne V. quidem T. Patribus peregrinum. Jacob enim ſaxa coacervat, & mo-

monumentum erigit, & teſtis locô ſtatuit, & immolat. Gen. XXXI. 51. ſ. De Gentilibus res non videtur obſcura. Lapis Romanus.

DEO. SANCTO. APOLLINI.
PACIFERO. EX. VOTO.
LIBENS. SOLVIT. MIL. COHORT.
X. PRÆTORIÆ.

Alius

VOTVM. SOLVERVNT. L. M.
L. VERGINIO. RVFO. COSS.
C. MEMMIO. REGVLO.

Alius Romanus:

J. O. M. ET. GENIO.
. VENALIC
P. ACILIVS. CERDO
VOTVM. SOLVIT
NERONE. CÆSARE
AVG. IIII
COSSO. LENTVLO. COSSI. F. COS.

Pertinent huc litteræ antiquæ in inſcribtionum monumentis creberrimæ V. S. & V. S. L. M. quæ ſignificant *Votum Solvit*; & *Votum Solvit Libens Meritò*. Lapis in Convenis Novem populoniæ; DEO. ABELLIONI. MINICIA. JVSTA. V. S. L. M. Eas in ſexcentis aliis antiquitatis reliquiis invenies. Vide Choul. p. 277. & ſeqq. Grut. p. 3. & ſeqq. Pleræque autem inſcribtiones aut ex voto natæ poſt rem bene geſtam; aut ante eam factæ magnâ & prægnanti ſpe: & tunc *Servire hominibus Dii* dicebantur. Vide Boxhorn. Quæſt. Rom. I.

Nec ſolùm vota, ſed & alia quandoque Sacrificia eôdem modô ſignata reperimus. Exemplo ſit

illa Fratrum Arvalium inſcribtio vetus, quam oſtentat Fulvius Urſinus not. 18. in lib. III. Cic. de N. D.

IIII. ID. DEC. FRATRES. ARVAL. IN LVCO. DEAE. DIAE. VIA. CAMPANA. APUD LAP. V. CONVENER.
PER. C PORC. PRISCVM. MAG. ET. IBI. IMMOLAV. QVOD. AB. ICTV. FVLMINIS ARBORES LVCI.
SACRI. D. D. ATTACTAE. ARDVERINT. &c.

Et alia in baſi CERERI. AVGVST. MATRI. AGR. LVCIVS. BENNIVS. PRIMVS. MAG. PAGI. BENNIA. PRIMIGENIA. MAGISTRA. FECER. GERMANICO. CAESARE. II. L. SEIO. TVBERONE. COSS. DIES. SACRIFICI. XIII. K. MAI.

CAPUT III.

Εὐκταῖα triplicia: Adducuntur plurima exempla. In nubtiis qui â Parentibus, qui â ſponſis dii invocati? Juno πλεια. Pilumnus: Picumnus. Larum officium; veſtitus. προπέλεια. Veneris cognomina. Alex. Sardus notatur: Ejuſd. defectus ſupplentur. Dii quidam conjugales. Dii in puerperio & poſt partum invocati. Compitalia: προηρόσια. Hercules Sancus: Sacrificium propterviam. *Lares permarini. Viato-*

torum religio. Sacrificia pro immortalitate animarum: καθαγίζειν, ἐναγίζειν, ἐναγίσματα, καθαγισμοὶ. *In pecude vett. opes. Mercurius lucri antiſtes.* Wodan *quis & unde? Lipſio abſentitur. Mercurius Deus furum: & Mercatorum: Ejus hinc epitheta ac etymon:* ἕρμαιον: *Proverb.* ἑρμῆς κοινός. *Colitur inter lares viales:* ἑρμῶν *forma & cultus. De Goliathi oſſibus mira. Proverb. Ebraicum. Loci cujuſd. Scr. S. verus ſenſus proponitur, circa quem aliquot interpretes palpârunt.* Irmenſeul *quid & unde? Galli vigilantia:* ἀλέκτορος *etymon. Galli cur templorum apicibus ſuperpoſiti? Albrici locus confirmatur: Animalia quæ Mercurio ſacra? Gallus quibus deorum ſacer? Cur Mercurio? Cl. Voſſius notatur. Mercurius ſomniorum præſes.* ἑρμίν. *Stulta vett. in meritis erga deos opinio. Ara Ignoti dei:* Ignotus deus *quis? Jehovæ nomen gentilibus & multis Ebræorum clàm fuit: Neque ab eo cui cognitum erat facile enunciari poterat.* Aquilices. *Dapſa.* Donnerſtag *unde? Hercules* κοπρονόπος. *Herculis ſacrificium proverb.* בעל־־־זבוב: *Samaël. Jupiter Prodigialis; Dii averrunci.* Comprecari *quid? Tibulli locus*

 reſti-

reſtituitur. Guil. Canteri μνημονικὰ ἁμαρτήματα. *Vetus Virgilii lectio contra Canterum & Voſſium defenditur. Labſus* ἐκθύσιμοι. *Piacula. Piacularia ſacrificia. Poſtulio. ArnobI locus mendoſus ſanatur. Variæ piacularium adpellationes. Porta piacularis. Ebræorum ſacra piacularia: Eorundem inter peccata diſtinctiones. Victimæ expiatoriæ quales?* περίψημα. *Voſſius leviter tangitur. Hotomanni & ManutI V. L. in Pediano laudata. Homines ſacri. Februorum varia ſignificatio: Natalis Comes denuò caſtigatur. Victimæ expiatoriæ ſynonyma. Differentia inter* καθάρσια *&* καθάρματα. *Conjectura in locum AmmonI. Piatrices mulierculæ. Hoſtiæ Conſultatoriæ, injuges. Diffarreatio. Hoſtia jurantium execranda. Fœderis etymon. Varia Virg. lectio. Voſſius modeſtè carpitur. Inter ſacrum & ſaxum proverb. unde? Aliud fœderis etymon. Foedus ferire &c. Ritus in Judæorum fœderibus.* Litare *quid? differt â* ſacrificare. *Catanæus acriter reprehenditur.* τȣ̃ litare *etymon. Ab Auſ. Popmâ abſceditur.* λιταί.

Εὐκταίοις veteres vel bona adprecabantur, vel mala deprecabantur, vel Deos teſtes vocabant Sin-

Singula ordine perſpiciemus. Et primò quidem Bona: veluti Parentes felices filiarum nubtias ſacrificiis expetebant â Jove, Junone (quæ inde τέλεια dicta) Venere, Gratiis, Laribus, & Diis conjugalibus, Pilumno, qui cum Romulo Quirino; Picumno, qui cum Marte Silvano idem, Larumque præſes habebatur. Euclio apud Plaut. *Vaſcula intus purè propera atque elue, Filiam deſpondi ego.* Aul. II. III. 3. Dæmones apud Eund. *Adorna, ut rem divinam faciam, cùm intrò advenero, Laribus familiaribus; cùm auxerunt noſtram familiam.* Rud. IV. VI. 2. Erat enim Larium officium duplex; I. ut preces & vota mortalium ad Deos, Deorum ad homines deferrent: II. rem vel publicam vel privatam familiæ tueri, unde propter vigilantiam ſagis caninis ſtatuæ eorum veſtitæ. Plut. probl. LI. Boxhorn. Quæſt. Rom. VI. Dies ille, prodente Suidâ, προτέλεια dictus. Vide Joh. Meurſium, qui cedrô digna locutus Os populi docti meruit; comm. in Lycoph. Caſſ. *Sponſi* proſperum conjugium in Græcia quidem â Junone, Diana, & Parcis, teſte Alex. Sardô de Mor. & rit. gent. lib. I. c. III. *Ceterùm etiam* (verba ſunt ejuſd. auctoris, quibus Deos quos in nubtiis venerabantur enumerat) *quinque faces erant propter Deos qui invocabantur in nubtiis; Jovem adultum, Junonem adultam, Venerem, Suadam, Dianam: invocabatur etiam Hymenæus, & ominis gratiâ Thalaſſius, qui fuerat præclariſſimus dux Romuli tempore, pulchramque virginem recepit. Mercurius quoque ex diſciplina Ægyptiorum propter caduceum, in quo dracones duo erant, mas & fœmina.* lib. I. c. VII. Vid. Plutarch. probl. II. cum notis

Boxhorn. Veneri enim nubturæ virgines pupas conſecrabant. Vide Perſ. ſat. II. & Joh. Vatelli comm. in Muſæi Leandrum. Unde ipſa cognominata *Migonitis* quaſi conjugalis, & *Babia*, de quo Photius in Myriobibl. cod. CCXLII. nec non *Mylitta* quod Scaliger genitricem denotare notat; item *Melænis* quòd noctu maxima liberis opera daretur. Pauſan. in Lacon. & Corinth. & Arcad. niſi potiùs ſentiendum ſit, eô ſenſu ita dictam, quô audivit Ilythia, quod eſt ab Arabico Halilath id eſt noctiluca, quia interdum eadem cum Lucina. Non autem elimatè bonus ille Sardus procedit, verùm non paucos anteſignanos Deos præterit. Neque verò mentionem fecit Cinxiæ; quod nomen in nubtiis ſanctum habitum eſt, eoque reſpiciebatur, ad Cingulum, ſeu Zonam, ex lana ovis, Herculanô nodô vinctam, quam Sponſæ Sponſus in lecto ſolvebat: Exinde virgines Venerem expertas λυσιζώνας dixêre, Muretus comm. in Catull. carm. II. Omiſit item Cererem, Bacchum, Phœbum. Virg. lib. IV. Aen. v. 56.

Principiò delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt: mactant lectas de more bidentes
Frugiferæ Cereri, Phœboque patrique Lyæo;
Junoni ante omnes cui vinc'la jugalia curæ.

Servius apud ſingulos cauſſas addit, caſque duplices, *vel Cereri, quà inventrici Legum; Phœbo, quia præſes auſpiciorum, quibus urbes reguntur; Baccho, quia urbibus aptæ libertatis eſt Deus; vel ut nubtura placet Cererem, quæ propter raptum filiæ nubtias execratur; Apollinem, qui expers eſt uxoris; Liberum, qui niſi raptam conjugem habere non potuit.* Omiſit Maritorum ge-

genium, & Fortunam virginalem. Utriuſque meminit Arnobius: *Cùm in matrimonia convenitis, togâ ſternitis lectulos, & Maritorum Genios advocatis? nubentium crinem cœlibari haſtâ mulcetis? puellarum togulas fortunam defertis ad virginalem* lib. II. adverſ. Gent. Univiræ verò Fortunam muliebrem coronabant, quod non licebat bis nuptis, de quo infra, c. VIII. pluribus. Vide Philoſophum & Philologum accutiſſimum Piccartum peric. Crit. c. XXVII. Turpiſſimo etiam Mutini vel Futini ſimulacro novæ nuptæ inſidebant, cui mulieres velatæ togis prætextatis ſolitæ ſunt ſacrificare teſte Feſtô. Illud adhuc hodie in quibuſdam Indiæ partibus moris eſſe conſtat. Quibus addendi: Cupido, Tellumon, Ruſona, Subigus pater, Prema, Jugatinus deus, Domitius, Volumnus Volumna, Pilumnus, Picumnus, Amor, Mania, Genii, Penates, Lares familiares, & tutelares, & præſtites, & hoſtilii, Libentina, Jupiter γαμήλιος & τέλειος, Juno γαμηλία, & ζυγία, & Juga, & Jugatina, & Cinxia, & Unxia, & Socigena, & interduca, & domiduca, & Manturna: Virginenſis dea, cùm Zona ſolveretur; Perfica, quæ voluptates perficeret inoffenſâ dulcedine; Pertunda, cùm virginalem ſcrobem effoderet maritus: Anaitis apud Lydos, apud Etruſcos Razenna &c. Vide de his Hotomannum de vet. nubt. rit. & Briſſonium lib. ſing. de ritu nubt. *Mariti* ſobolis procreationem. Tacitus quoſdam ſuſpiciendorum liberorum cauſſâ conveniſſe ait, atque audîſſe aruſpicum verba; ſubîſſe, ſacrificâſſe. lib. XI. Annal. XXVII. 1. 2. Lucretius, lib. IV. v. 229.

- - - Multô ſangvine mœſti
Conſpergunt aras, adolentque altaria donis,

Ut gravidas reddant uxores, ſemine largô.
Etiam in adoptione id factum, indicat Cedrenus: λιβανωτὸν ἐπιθύσας μεγάλα βοῶν ἔφη. Ἀγαθῇ τύχῃ Νέρωας Τραϊανὸν υἱοποιοῦμαι. In puerperio invocabantur apud Græcos dii ζώγονοι: Apud Latinos Vitunus, Sentinus, Senta, Partunda, Naſcio ſive Natio, Dii Nixii, Jupiter Lucetius, Juno Lucina, Nundina, Mena menſtruorum dea; Fluonia, ut ſangvinis flumen retineret; Opigena præcipua dea nativitatis; Mana Geneta partus præſes; Proſa vel Prorſa ob eas, quæ rectum & legitimum partum nactæ erant; Poſtverta, cùm præpoſterè partus ederetur; Egeria, quæ partum egerebat: Inprimis Diana ſive Proſerpina, quæ parturientibus credebatur adſidere, manus iis admovens, veluti receptura fœtum; unde χειρογονία, *Manugenua* & *adſeſtrix* dicta. Adpellata etiam λυσίζωνη; quoniam velut apud Romanos nubtæ, ita apud Græcos parientes Zonam ſolvere dicebantur, teſte Apoll. Rhodiô, lib. I. Argon. Vide Stuck. de ſacrif. f. 30. Voſſium de Idolol. lib. II. c. XXV. & XXVIII. Poſt partum ἐυκταῖα capiebant Vagitanus, Fabulinus, Cunina, Faſcinus, Oſſilago, Levana, Statilinus, Staranus, Rumina ſive Rumio, Eduſa, Potina, Paventia &c. Vide Cujacium, obſerv. lib. XI. c. XXX. Forcatul. XXIII. Cupid. in fin. Pinedam, comm. in Job. c. I. n. 2. Turnebum, adverſ. lib. IV. c. XV. D. Dorſcheum, diſſ. Theol. pentadec. diſp. IV. §. 4. Lorinum in Sapient. VII. 3. *Patresfamiliàs* non modò domûs novæ commoda: Plaut. *Uxor! venerare, ut nobis hæc habitatio Bona, fauſta, felix, fortunataque eveniat.* Trinum. l. II. 2. 3. Sed & familiæ totius incolumitatem, Cato: *Jano farre & vinô ſacrificatum eſt, ut*

ut eſſet propitius liberis, domui, familia. c. CXXXIII. de R. R. Juven. ſat. VI. v. 386.

Cum farre & vino Janum Veſtamque rogabat &c. v. 388.

- - - - - - - Quid faceret plus
Ægrotante virô, medicis quid triſtibus erga
Filiolum.

Ovid. lib. VII. Metam. v. 588.

- - - - - - Quis non altaribus illis
Irrita thura dedit? quotiens pro conjuge conjux,
Pro nato genitor, dum verba precantia dicit &c.

Et paulò pòſt, v. 596.

Ipſe ego ſacra Jovi pro me, patriaque tribuſque
Cùm facerem natis. - - - - - - -

Eô ſine Lares & penates culti coronas accipiebant, Maniaque mater Larium capitibus allii & papaveris placabatur, aut effigie ſuſpenſâ. In Compitalibus verò Larium feſtô pilas & effigies viriles ac muliebres ex lana in compitis ſuſpendebant Laribus; ita, ut tot pilæ, quot capita ſervorum, tot effigies, quot eſſent liberi, iis ponerentur; cum voto: *ut vivis parcerent, & eſſent his pilis & ſimulacris contenti.* Heinſius, Crep. p. 33.

Agricolæ felicem frugum ante arationem germinationem petebant, quæ ſacrificia προηρόσια dicta. Suidas. Romanæ Svadæ flos fragrantiſſimus Tibullus prolixè tale recenſet lib. II. el. I. *Impp. Duces, milites* dextrum ancipitis Martiæ fortunæ exitum; de quo Juſtinus, lib. XX. c. II. & III. & alii. Proficiſcentes, iter ſecundum, Arrianus: Ἀλλ' ἀπολιπόμενος μὲν οὐδεὶς ἀνάγεται μὴ θύσας τοῖς θεοῖς, καὶ παρακαλέσας αὐτοὺς βοη-

βονθὰς. in Epiſt. lib. III. c. XXI. A Laribus quidem vialibus, qui in Græcia erant Mercurius, dictus *εἰνόδιος* & Hecate *εἰνοδία* : Romæ verò Hercules *Sancus*, cujus ſacrificium *Propterviam* vocatum, ipſeque aliàs etiam *Sanctus*, *Sangus*, *Semo pater*, & *Dius Fidius* dicebatur. Vide de eo Xylandrum adnot. ad Plut. Quæſt. XXX. Voſſium de Idolol. lib. I. c. XII. Lares permarini *θεοὶ θαλάττιοι*, fuêre Neptunus, Thetis, Glaucus : illi per mare peregrinantes immolabant Taurum ; iſti, Juvencam ; huic, bovem. Vide Taubm. comm. in Plaut. Sacrificabant autem tum antequàm ſe viæ darent, tum ſæpe etiam in via. Nimirum oblatô locô quôpiam ſanctô, ſolebant viatores I. veniam poſtulare, II. Votum adponere, ſive preces fundere, aut etiam Deorum genua incerare; III. pauliſper adſidere. Apul. lib. I. Flor. Scioppius, Symb. crit. p. 109. Rubenius, Elect. lib. II. c. XXXIV. id quod hodiernum Indiæ quidam faciunt populi, qui ad omnes montes, petras, & ſpeluncas Idola ſua formâ diabolicâ exciſa habent, juxta & lintrem aquâ refertum; ubi viatores tranſeuntes ablutis pedibus Deaſtro ſupplicant, & nonnunquàm ſacrificii aliquid offerunt, referente id Hugone Lindſchottanô itin. Ind. p. m. 69. Quædam *θυσίαι* pro immortalitate animarum ac divinitate fiebant. Arnobius: *Non quod Etruria libris in Acheronticis pollicetur, certorum animalium ſangvine numinibus certis datô divinas animas fieri, & ab legibus mortalitatis educi*, lib. II. adverſ. Gent. Tales præcipuè erant τελεταὶ & μυστήρια, de quibus prolixè Magn. Caſaub. exerc. XVI. diſc. XLIII. Item funereæ illæ inferiæ: quas, qui faciebant, *καθαγίζειν* & *ἐναγίζειν*, ſicut ipſa ſacrificia *ἐναγίσματα* dice-

dicebantur & καθαγισμοί. Adde quæ ſupra ex Servio de Diis animalibus retulimus.

Minuebantur pecora ob auctionem pecoris, i. e. totius ſubſtantiæ. In illo enim omnes veterum opes, deditque id peculio & pecuniæ nomen. Serv. ad Ecl.I. Virg. Perſius: *Rem ſtruere exoptas caſô bove, Mercuriumque Accerſis fibrâ?* ſat. II. 44. Ille omnis lucri Præſes, Plaut. Amph. prol. v. 152. Stich. III. l. 3. Unde ſic eum adloquitur Ovidius, lib. V. Faſt. v. 671.

Te, quicunque ſuas profitentur vendere merces,
Thure datô, tribuas ut ſibi lucra, rogant.

Germanos eum vocâſſe *Wodan*, * ſive *Guodan*, nonnulli referunt, inter quos Lipſius, qui legit *Wonſda*, & ita eum dici adſerit, quod ſit lucri præſes; cùm Belgis adhuc vel Winſt vel Wonſt lucrum ſignificet. Verumenimverò Voſſius de Idol. lib. I. c. XXXVII. veluti hoc nomen neque Mercurio verè neque Marti competere oſtendit; ita Guodan eundem demonſtrat eſſe cum Gode vel Gott Deus; derivatque acutè à Theut, Thoth, Thoyt, Thout ſive Thuot (de quo Cicero de Nat. Deor. lib. III. Euſeb. Præpar. Euang. lib. I. c. IX.) unde Wodan, à quo & Codanus ſinus, & Gedanum ſive Dantiſcum denominata. Illô autem nomine Mercurius non ſolùm Deus furum, furtorumque auctor ac repertor. Inſcribtio vetus urnulæ, quæ in alia urna PatavI in monumento reperta fuit:

ABITE. HINC. PESSIMI. FVRES.

VOS.

* *Vide dicta in Faſce noſtro I. n. VII. §. VIII. p. 332. ſ.*

Digitized by Google

VOS. QVID. VOLTIS. VOSTRIS.
CVM. OCVLIS. EMISSICIIS.
ABITE. HINC. VESTRO. CVM. MERCVRIO.
PETASATO. CADVCEATOQ.
MAXIMVS. MAXIMI. DONVM.
PLOTONI. HOC. SACRVM. FECIT.

Sed & Mercatorum; aliàs exinde dictus ἐμπολαῖος, vel ἐμπολαῖος, ἐμπορικὸς, κερδῷος, Forenſis, Trivius &c. & Mercurius quidem, à מכר vendidit: Nec malè Budæus ἕρμαιον *inſperatum* interpretatur *lucrum*. Ab eo, ſi quis in itinere quid inveniſſet, communi id præfari Mercurio moris erat; ortumque Græcis proverbium ἑρμῆς κοινὸς, de re, quam in via fortè inveniſſent, quaſi dicerent: Et mihi pars eſto. In quo eleganter luſit vetus Epigrammatiſta, cujus verſus in Anthologia videri poſſunt: quorum initium: Παρθένον Ἀλκίππην &c. Dignus qui videatur Phornutus de Nat. Deor. XV. Cui junge Corn. à Lapide in Acta Ap. XIV. 11. Eraſmum in Chil. Heraldum adverſ. lib. IV. c. I. Hinc & in viis dux conlocatus, ac inter Lares viales habitus, quòd mercatores cum lucro reduceret, ceteroſque feliciter duceret; quales in via ſtatuæ, ἑρμῶν nomine inſignitæ, formâ fingebantur capitis humani impoſitâ lapidi quadrato (à quo ille τετράγωνος dictus) cui inſcribtum foret, quò via duceret. Hermæ illæ ponebantur in biviis, triviis, & quadriviis: Viator verò quiſque tranſiens in acervum mittebat lapidem; quod quidam ad orationem referunt, quæ ex minimis particulis conſtat; alii dicunt, ut creſceret, & faciliùs viam monſtraret; alii, ut viam purgarent, ne ceteri viatores offenderent; alii, ut Deum honorarent eâ re, quæ in præſens

maxi-

maximè ſit in promtu, utque ita ſtatua dei notior fieret. Indicat hoc R. Maimonides: מרקוליס שעבודתו שיזרק לו אבנים או יסקל מלפניו i. e. *Mercurius, cujus in eo cultus erat, quod lapides in eum conjectarent, vel coram eo ſpargerent.* de Idol. c. III. §. 2. In contemtum contra ſimile quid etiam hodie Goliathi oſſibus evenire narrat Beatus Antoninus Martyr: *De Hieruſalem venimus in montem Gelboë, ubi occidit David Goliam, & ibi mortuus eſt Saul, & filius ejus Jonathas. Jacet ibi Golias in medio viæ, lignorum ad caput habens acervum, & ſuper eum congeriem petrarum, ita ut à XX. millibus non poſſis invenire lapidem, quem movere poſſis, quia conſvetudo talis eſt, quotieſcunque quis ibi tranſit, ternos ſecum deferre lapides, & projicit ibi; ſic & nos ſimiliter fecimus: In ipſis autem montibus nec ros nec pluvia deſcendit, poſtquàm eos David maledixit, & nocturnis horis ſecretò ibi videntur immundi ſpiritus volvi, tanquàm vellera lanæ, aut undæ maris.* in itiner. p. 23. ex edit. Cl. Menardi. Ab Hermis iſtis proverbium apud Ebræos ortum: *Lapidem in* מרקוליס *Merkolis ſive* מרגמה *Margemah ſpargere:* de quo Druſius in adagg. Ebr. Meminit ejus Salomo Proverb. XXVI. 8. id in verſione Germanica alieniùs redditur: Als wann einer ein Edelgeſtein auff den Rabenſtein wirfft. Ubi B. Lutherus ſecutus eſt Aben Eſram, qui vertit: *Ubi ligamen lapidis pretioſi in acervo lapidum vulgarium.* Et R. Levi: *Ut ligatio lapidis vilis in re pretioſa.* Et miror viro in hac litteratura ſine pari Buxtorfio proverbii illius Ebraici non veniſſe in mentem, quando locum illum כצרור אבן במרגמה reddit: *Secundum ligare lapidem in baliſta* i. e. *Sicut aliquis lapidem adligat vel adplicat baliſtæ, ut eum ejaculetur.*

wr. in Lex. voc. חמן Vide de his R. Nathan. in Baal-Aruch, Eliam in Thisbi. Joh. Sarisberienſem, de nugis curialium, lib. V. c. VII. Seldenum de DIs Syris, lib. II. c. XV. Ideo autem tales ſtatuæ Mercurio erant ſacræ, quia in via indicanda præſtarent vicem lingvæ; ipſeque ex eo ὅδιος, ἐνόδιος, (al. εἰνόδιος) ἡγεμόνιος, πομπαῖος &c. & Hermes à רמס calcavit, iter fecit, dicebatur. Quidam hinc Germanorum idolum Irminſul vel Ermenſeul interpretantur Hermetis ſtatuam: alii quaſi Idermannsſeul/ aliis Martis aſylum, alii Domini Luni ſimulacrum Herrmansſeul &c. Adi Geſnerum in Mithrid. Voſſium, de Idol. lib. II. c. XXXII. & Meibomium pecul. tract. c. V. Verùm ab Harminio oportere derivari, cujus erat effigies, poſt Spalatinum, Reineccium, Albinum, Dreſſerum, Spangenbergium, alioſque, rectè judicat Schedius de DIs German. lib. III. c. III. Idolum hoc in Weſtphalia cultum, Heresburgi, ſeu in caſtro Hermopoli quidam contendunt; Ditmarus verò lib. II. Mersburgi ad Salam locatum fuiſſe adſerit, cum inſcribtione: DVX. EGO. GENTIS. SAXONVM. VICTORIAM. CERTAM. POLLICEOR. ME. VENERANTIBVS. Vide plura apud Meibom, tract. cit. Albricus Mercurio Gallum adpictum & conſecratum ideò adſerit, *quòd lucro intenti plerumque ſint vigiles*. lib. de Deor. imagg. c. VI. Commendatur enim præprimis à vigilantiâ Gallus, & aliqui ἀλέκτορες quaſi ἀπὸ λέκτορες i. e. à lectis mane avocantes dictos autumant; ob quam etiam cauſſam imaginem ejus veteribus ſapientiſſimis templorum turribus vel turrium ſacrarum verticibus imponere placuit, ut Eccleſiæ miniſtros ſubmonerent, imitarentur

tur proprietates quaſdam avis hujus, quas egregiè confert D. Franzius, Hiſt. anim. part. II. c. X. interim de conſecratione illa altum ferè apud ceteros auctores ſilentium. Ab Athenæo lib. VII. Mercurio nullum animal, niſi Boax & Larus attribuuntur: In eorum autem Deorum numero, queis Gallus communis fuit, Mercurius non occurrit, cùm hi tantùm extent: Sol, Mars, Minerva, Æſculapius, apud Voſſium Inſt. Or. lib. I. c. V. ſect. 33. quibus adde Jovem, Cybelem, Menſem, Iſidem, Anubin, Lares, Cererem, Noctem, quos Vir ſummus & accuratè eruditus ne mentione quidem attingit. Subveniunt verò Albrico, & dictis ejus robur addunt monumenta quædam & antiquitatis reliquiæ. Choulius enim de la relig. des anc. Rom. p. 171. Carniolum antiquum adducit, cui inſculptus eſt Mercurius nudus, pallium ſuper dextram portans, quâ caduceum tenet, petaſatus & talaribus indutus: pedibus ejus adſtat caper, ex altera parte ſcorpio; ad brachium volat muſca: Siniſtrâ verò manu turgidum oſtendit marſupium, cui Gallus inſidet. Ad hanc Gemmam ita commentatur: *Le Gal anciennement eſtoit mis en la tutelle de Mercure, qui ſignifioit, que les marchans doibuent eſtre vigilants, & qu'ils ſe doivent leuer au chant du Gal, pour negocier & donner ordre à leurs affaires* p. 169. Et Velſerus Auguſtæ Vind. Mercurium eſſe ait in ædibus Peutingerorum, nudum, pallium in lævum brachium rejectum gerentem; ſiniſtrâ manu caduceum, dextrâ marſupium portantem: Hîc ad pedes jacere caprum, illìc pervigilem Gallum, quam picturam ex eo habet Gruterus in Inſcribt. f. 51. Similem planè ſe in libro antiqui-

tiquitatum vidiſſe adſeverat Gyraldus, Synt. IX. p. 286. & ſeq. Cauſſam ejus reddit, quod litteratos & negociatores oporteat vigilare: A quo neque diſſentit Fulgentius. Sed nos huic etiam aliam picturæ illius ſuperaddemus cauſſam: Quia nempe cubitum ituri Mercurio lingvis faciebant, ultimamque à menſa diſceſſuri potionem libabant, ut ſe dormientibus, vigilaret, & fauſta jucundaque ſomnia largiretur. Philologus perfectiſſimus Heinſius, crep. p. 41. Veterſque lecti pedem ἑρμῖνα vocabant.

II. Malum deprecabantur δικταίοις. Simul ac enim in res turbidas incidiſſent læſiſſe ſe Deos credebant. Turneb. adverſ. lib. III. c. XIII. Boxhorn. Quæſt. III. Et piacularibus proinde opus habebant: Si ſalvæ eorum res eſſent, *Officiô vinxiſſe Deum*, ut Manilius loquitur lib. I. Aſtron. vel ut πολυμαθέστατος Scaliger adnotat, θεοπτοαπλόκυς ſe exiſtimabant, ac proinde præmia pietatis ſuæ à Diis expoſtulabant. Catullus: *O Dii! reddite mihi hoc pro pietate mea.* Epigr. LXXVII. v. extr. In extructionibus templorum Diis pro malis avertendis hoſtiæ cadebant. Tacitus: *Undecimô Cal. Julias, ſerenâ luce ſpatium omne, quod templo dicabatur, evinctum vittis coroniſque. Ingreſſi milites, quibus fauſta nomina, felicibus ramis: dein Virgines Veſtales cum pueris puelliſque patrimis matrimiſque aquâ rivis & fontibus amnibuſque hauſtâ perluere. Tum Helvidius Priſcus prætor, præeunte Plautô Elianô pontifice, luſtratâ bove tauriſque areâ, & ſuper ceſpitem redditis extis, Jovem, Junonem, Minervam, præſideſque imperii deos precatus, uti cœpta proſperarent, ſedeſque ſuas pietate hominum inchoatas divinâ ope attolerent, vittas, quibus ligatus lapis innexique*

funes

funes erant, *contigit &c.* lib. IV. Hiſt. c. LIII. 5. Contagii Tempore, cùm Athenienſium Dii vocati eos non adjuvarent; Deo *Ignoto* aram ædificârunt, immolârunt, liberati ſunt; cujus mentio fit Act. XVII. 23. Inſcribtio, ſi Oecumenio fides habenda, talis erat: Θεοῖς Ἀσίας, καὶ Εὐρώπης, καὶ Λιβύης, θεῷ ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ. *Ignotum Deum* quidam explicant deum omnium principem, qui omnibus præeſt, cùm aliàs ſingula ſingulis adſcriberentur, ita ut illa ara (ait Cl. Boxhornius, Quæſt. Rom. XIII.) eadem dixerit, quæ hæc in Transſylvania:

DEO. QVI. EST. MAXIMVS.
AVREL. SEPTIMIVS.
ROMANVS.

Bertramus ſuſpicatur eos intellexiſſe Deum verum, quod ex Judæorum ſcribtis didicerint, Deum Iſraël eſſe Deum ἄῤῥητον, πάγκρυφον ineffabilem, incomprehenſibilem. Aliud quid ſubindicare videtur Tertullianus: *Inveni, planè ignotis Deis aras proſtitutas: Sed Attica idololatria eſt; Item incertis Deis, ſed ſuperſtitio Romana eſt.* adverſ. Marcionitas: Min. Felix: *Aras exſtruunt etiam ignotis Numinibus.* Vide Epiph. lib. I. contra hær. Auguſt. de Civ. Dei lib. V. c. XII. XIV. XIX. Pauſ. in Attic. Voſſius & alii intelligunt θεὸν προσήκοντα, quando neſciebant in caſibus dubiis, (Vide infra c. XIII.) cui potiſſimùm deorum ſacra obferrent: v. g. Contagii tempore, cùm terra moveretur &c. cùm nempe dei illius nomen nondum perdidiciſſent, illum ipſum tamen aliquomodo ſcirent. Ita in h. l. Actuum Athenienſes nondum de Jehovæ nomine erant eruditi, neque illud efferre poterant, quod τετραγράμματον Judæi

 non

non enunciabant, ne ludibrio gentium exponeretur, quæ exinde neſciebant, utrum Saturnus an Jupiter, vel Bacchus, vel Mars foret? Ita Voſſ. de Idol. lib. I. c. II. Adde Iſidorum Peluſiotam, lib. IV. ep. LXIX. Seldenum de DIS Syris, proleg. c. III. Credo tamen ego, in genere tàm apud Græcos quàm Romanos Judæorum Deum *ignotum Deum* audiviſſe. Perſpicuè Lucanus, lib. II. Phars. v. 593.

Dedita ſacris
Ignoti † *Judæa* dei.

Non ſolùm, quod ipſi Gentiles, ſed & multi Judæorum nomen ejus ignorârint. R. Simeon ex Medraſch Tillim: *Quare Iſraëlitæ orant in ſeculo hoc, & non exaudiuntur? Propterea quia non nôrunt Schemhamphoraſch. In ſeculo futuro Meſſiæ deus notum illud ipſis faciet, & tunc exaudientur*, in Jalkut, in Pſal. XCI. Cod. Eruvin in gloſſ: *Nomen Schemhamphoraſch non eſt datum omni homini, ſed tantùm ſacerdotibus.* Poſſunt alibi legi Rabbinorum deliria & ſomnia quâ aſtutiâ Chriſtus * Schemhamphoraſch è templo abſtulerit, & per illud tanta miracula, velut etiam Simon Magus, ediderit. Sed ſapientes, qui noverant, ſemel tantùm in ſeptimanâ illud diſcipulis ſuis tra-

† Ignoti] *At in omnibus meis, quinque autem habeo non contemnendos, libris eſt* Incerti, *nec notata eſt alia lectio in editione Lutet. Roberti Stephani M. D. XLV. in 8t.*

* *Vide de eo B. Joh. Mullerum in nunquàm ſatis laudandi Judaiſmi Prolegomen. c. VI. p. 56. ſ. B. Chriſtoph. Helvicum, Tomô IV. Diſpp. Giſſenſ. n. XI. Q. III. p. m. 287. ſ.*

tradebat. Ceteroquin extra ſanctuarium non licuit enunciare, niſi per Adonai, Cod. Kidduſchin: *Reſpondit Deus; non ſicut ſcribor, ita pronuncior. Scribor per Joth He Vau He*, nempe יהוה, *ſed pronuncior per Aleph Daleth* i. e. אדני, Cod. Peſachim: *Dixit Rabh Nachman, filius Jitzchak: Non ſicut mundus hic, ita mundus futurus erit: In mundo hoc ſcribitur nomen ejus per Joth He*, nempe יהוה, *& legitur per Aleph Daleth* nempe אדני *in mundo futuro erit unum idemque ſcribtum & pronunciatum* יהוה c. III. Si quis verò enunciâſſet aliter, ſcil. ipſis quibus ſcribitur litteris, comburebatur, quod evenit R. Chaninan, filio Teradjon, cujus etiam uxor ad necem, filia ad lupanar, propterea protrudebantur. Cod. Abhoda ſarah c. I. quin & in futuro ſeculo condemnatus credebatur, decretô Abba Schaul: *quicunque protulerit nomen Tetragrammaton per litteras ſuas, vel ſecundùm Scribturam ſuam, non eſt ipſi pars in futuro ſeculo.* ibid. Adde Schevuoth & Sanhedrin, c. XI. Boxtorfium in Lex voc. הוה.

Sacrificabant ingruentibus tempeſtatibus. Marcellinus: *Dum Tertullus apud Oſtiam in æde ſacrificat Caſtorum, tranquillitas mare mollivit.* lib. XIX. c. II. Virg. lib. III. Aen v. 120. *Nigram hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.* Horat. Od. X. Epod. v. 23. *Libidinoſus immolabitur caper. Et agna tempeſtatibus:* Vide Cicer. lib. III. de Nat. Deor. Ariſtoph. in Ran. ejuſque ſchol. Pro ſiccitate avertenda Judæi aquam libabant. R. Levi Ben Gerſom in 2 Sam. XXIII. 16. Apud Ethnicos tales ſacerdotes, qui â Jove aquam in ſiccitate petebant, *aquilices* dicti teſte Tertull. adverſ. Marcionem. *Dapſa, Ivaius* apud vett. genus, hieme

ſæviente aut verè factum â Græcis δαψ dicitur. Confer quæ ex Pauſania refert Henr. Corn. Agrippa de Occ. Philoſ. lib.I. c. VI. Germani Deo † Thor ſingulis hebdomadis quintâ feriâ, ut â tempeſtatibus, tonitru, fulmine, & grandine ſervaret eos, ſacrificabant referente Ericô Olaô Hiſt. Svec. lib.I. unde dies ille Thorſtag adpellatus eſt, quem jam Donnerſtag vocitant. Venerem virgines venerabantur, ut ab eis furorem ſuum averteret, teſte Joh. Vatellô. Facile inde intelligitur Muſæus in Leandro:

Ἀλλ' αἰεὶ κυθέρειαν ἱλασκομένη Ἀφροδίτην
Πολλάκι καὶ τὸν ἔρωτα παρηγορέεσκε θυηλαῖς
Μητρὶ σὺν οὐρανίῃ φλογερὴν τρομέουσα φαρέτρην
Ἀλλ' οὐδ' ὡς ἀλέεινε πυρπνείοντας ὀϊστούς.

Hercules aliquando pro abigendis locuſtis invocatus, indeque κορνόπιος dictus, notante Caſaubonô. Sed *Herculis* aliàs *Sacrificium* proverbialiter dicitur, cùm quis munus, cui non oportebat, ſacrificat; de quo Hadr. Junius cent. II. adag. LIII. Achor pro fugandis muſcis. Plin. H. N. lib. XVIII. c. XXVIII. Hercules muſcarum infeſtatus multitudine Jovi immolavit ἀπομυίῳ quod etiam Eleos feciſſe perhibet Cœlius. L. A. lib. XXII. c. II. propterea apud Judæos idolo cuipiam & בעל—זבוב nomen juxta quorundam ſententiam eſt inditum. Vid. VoſſI Inſtit. orat. lib. V. c. V. ſect. 1. & de Idolol. lib. IV. c. I. GregorI GregorI Franci Lexic. Sacr. Voce 166. Scaliger בעל—זבוב per contemtum factum putat ex בעל—זבחים dominus ſacrificiorum vel victimarum: quomodo ex *Bethel*

domus

† Thor] *Vide iterum Faſcem noſtrum Diſſertat. Philologico-Hiſtoric. I. n. VII. §. VIII. p. 331. ſ.*

domus dei, *Bethaven* domus vanitatis. Ebræorum monumenta Aſmodæum eſſe volunt; אשמדיי apud Chaldæos eſt à שמד perdidit, ut ſit quaſi Abaddo, quem Elias in Thisbi *Samaëlem* vocat, nomine propriô ejus diaboli, qui primos parentes ſpecie colubri cameli magnitudine decepit, de quo Rambam in More Neboch. lib. II. c. XXXI. Vide Seld. de DIS Syris, lib. II. c. VI. Refer huc *μύαγρον*, cujus meminit Gyrald. ſynt. I. p. 45. Et Herculem *ἰποκτόνον*, Apollinem *μυοκτόνον* &c. de quibus Euthath. Il. *α*. Ubi terram ſe moviſſe ſenſerant, ſacrificabant, ſed nulli certo Deo. Agellius, lib. II. c. XXVIII. Somniorum minas â Prodigiali Jove Diisque *averruncis* i. e. malorum depulſoribus deprecabantur qui aliàs ἀποτρόπαιοι, ἀποπομπαῖοι, ἀλεξίκακοι, λύσιοι, φύξιοι, *Depellentes* & *depulſores* dicti. Et hoc propriè erat *comprecari* i. e. molâ ſalsâ aut thure ſomniorum portenta expiare, veniamque exambire: Evolve Douzæ Centurionatum, lib. III. c. IX. Herald. adverſ. lib. II. c. VI. Taubm. Plaut. Mil. Glor. II, IV. 41. Item Sveton. in Galb. c. XVIII. Seneca, Oct. IV. v. 756.

Delubra & aras petere conſtitui ſacras,
Cæſis litare victimis Numen Deum.
Ut expientur noctis & ſomni minæ,

Lepidiſſimè feſtiviſſimus Epigrammatiſta lib. VII. ep. LIV.

Semper mane mihi de me mera ſomnia narras,
Quæ moveant, animum, ſollicitentque meum &c.
Conſumſi ſalſaſque molas & thuris acervos,
Decrevêre greges, dum cadit agna frequens.
Non porcus, non cortis aves, non ova ſuperſunt:
Aut vigila, aut dormi, Naſidiene, Tibi.

Ti-

Tibullus lib. I. El. V. v. 13.

Ipſe procuravi, ne poſſent ſæva nocere
Somnia, ter ſalſâ deveneranda molâ.

Idem lib. III. El. IV. v. 9.

At natum in curas hominum genus omnia noctis
Farre piô placant & ſaliente ſale.

Ubi cùm jam legiſſem *omina*, vidi idem ante me ſenſiſſe Guil. Canterum, Nov Lect. lib. I. c. VIII. quo in loco Vir doctiſſimus farraginem exemplorum conlegit, quibus id clarare vult; ſæpius apud auctores typographorum inſcitiâ ac incuriâ *omina* in *omnia* inverſum, quod in Virgilio ii, qui poſterioribus præfuerint exemplis, correxerint: Sed in quibuſdam Spectatiſſimus ille Criticus incautius incurrit. Prætereo enim quod exemplaria aliqua ante ſeculum & quod excedit excuſa in ſingulis illis (exceptis duobus *omnia nî repetant* &c. v. 178. & v. 182. *digerit omnia Calchas.* II. lib. Aen. ubi ſenſus planior eſt, quàm cum voce *omina*) quæ adducit, *omina* legant: etiam planè de via decedit, quando verſ. Virg. Ecl. VIII. 108. ita reſtituere nititur: *Credimus? an qui amant ipſi ſibi omina fingunt.* Certè quotquot exemplariorum evolvi, cuncta oſtendunt *Somnia*, ut non faciat ad rem, ſi illic loci in *omina* transmutare velit, quia tantùm de voc. *omnia* ei ſermo eſt. Deinde politior eſt ſenſus, & aptiùs *ſomnia* ad amantes quadrat, qui, ut loquitur Terentius, *etiam vigilantes ſomniant:* neque conſentaneum eſt veritati Poëtam nobiliſſimum unô verſu duos committere hiatus. Profectò Canterò illi multa Græcorum filii debent: ſed in Latinis interpolandis imperioſior aliquantò videtur & adrogantior. Miror tamen lectionem hanc

Can-

Canteri, etiam Cl. Voſſio * probari & placere lib. IV. Inſt. or. c. II. ſect. IX. & ex hac quidem ratione, quia in Mſſ. Ille repererit. At enim verò ad unum quidem Cod. ſcribtum Canterus provocat, qui tamen potior mihi non erit, quàm ſenſus ſanior: Præthereà unico illi oppono ego Romanum, Mediceum ac Oblongum Vellutelli (reticebo jam alios) qui omnes â noſtra ſtant parte.

Oſtenta autem non tàm ipſa aut mala & incommoda Ἐκθύσιμα putârunt; (Symmachus, attentus Victimarius, & curioſus βωμολάτρης: *Impendiò*, inquit, *angor animi, quòd ſacrificiis multiplicibus necdum Spoletinum piatur oſtentum: Nam & Jovem vix propitiavit octava mactatio.* lib. I. ep. XLIX.) quàm labſus, noxas & reatus, ob quos crebrò illa ſibi imminebant; quorum aliquos Arnobius profert: *Piaculi dicitur contracta eſſe commiſſio, ſi per imprudentiæ labſum aut in verbo quispiam aut ſympinio deerrârit; aut ſi curſu in ſolennibus ludis, carriculiſque divinis: commiſſum omnes ſtatim in religiones clamatis ſacras, ſi ludius conſtitit aut tibicen repentè conticuit; aut ſi patrimus ille, qui vocitatur Puer, omiſit per ignorantiam lorum aut terram tenere non potuit.* lib. IV. adverſ. Gent. Jehova pro variis variorum peccatis hoſtias requirit. Lev. IV. VI. VII. Livius: *Itaque ut cædes* (quam nempe ἀγχιόθυμος victor Horatius in ſororem commiſit) *manifeſta, aliquò tamen piaculò lueretur, imperatum Patri, ut filium expiaret pecuniâ publicâ: is quibuſdam piacularibus ſacrificiis factis* &c. lib. I. c. XXVI. Duo hîc præprimis nomina obſervanda, quibus Auctor Romana-

 rum

* *Hunc locum reperire ibi non potui.*

[illegible]m rerum pleniſſimus expiatoria ſacra & eorum hoſtias ſignat. Alterum eſt *Piacula*, quæ Servius duo ſignificare tradidit: Contaminationem, & Purgationem. Hôc ſenſu Horatius: *Teque piacula nulla reſolvent.* lib. I, od. XXVIII, v. 34. Juven. *Tragica furtiva piacula cervæ*, Sat. XII, v. 120. Inſcribtio Romana: EX. PERMISSV. COLLEGI. PONTIFIC. PIACVLO. FACTO. Plinius in paneg. c. LXXXII. 2. *Non ſecus, ac piaculum trahebatur.* Videatur Criticorum, ſi religionem excipias, acutiſſimus, J. Lipſius in h. l. Spiegelius not. in Leges XII. Tabb. Deinde *Piacularia* nuncupat, ad quem modum victimæ *piaculares* vocantur, Plinius: *Viliſſimo quoque quaſi piaculari dato.* Adeatur Joh. Maria Catanæus in ſchol. lib. III. ep. IX. Idem: *Piaculares publicæ ſollicitudinis victimæ.* In paneg. c. XXXIV. 4. Confer Lipſium in h. l. Plaut. *Men' piacularem fieri oportet?* Epid. I. II. 35. Vide Taubm. in not. & Gutherium de Jur. Pont. lib. IV. c. XX. Planè etiam facio cum admirando infinitæ lectionis Polypo Lud. Cœlio, qui *Poſtulionem* piacularem interpretatur ſacrum ad Deorum iram averruncandam prodigiô factô oſtenſam. L. A. lib. X. c. XIX. Quod nos oppidò juvat ad Arnobî locum reſtituendum, qui eſt lib. IV. adverſ. Gent. *In cærimoniis veſtris rebuſque divinis poſtulationibus, locus eſt & piaculi dicitur contracta commiſſio, &c.* Non intelligo, quid hîc ſit *poſtulationibus* niſi ad aliquem ſenſum detorqueas. Clariùs Rom. Cod. *pollutionibus*, quod probat Elmenhorſt. in not. Quid ſi nos acu rem tangeremus, & eliſis illis inſigeremus * *poſtulionibus?* Quæ lectio eſt manifeſtiſſima. Græcis

* *Adde Deſider. Heraldum ibi in notis, p. 77.*

cis piaculum dicitur καθαρσις, καθάρσια, ἁγνισμὸς, ἄγος, ὅσια, ἀφοσίωμα, φάρμακον, τελετὴ, ἐξιλασμὸς, ἐξίλασις, ἱερὸν ἐναγὲς & ἐναγικόν: Ebræis חטאה, Chaldæis חטאתא, Syris ܚܛܗܐ Aliàs Ebræi diſtingvunt inter חטאה quod LXX. ἁμαρτίαν ſacrificium pro peccato; & אשם, juxta LXX. πλημμελία, pro delicto: Differentiæ hujus explicationes multi varias conſtituunt, de quibus Bonfrerius in c. IV. Lev. Torniellus ſub A. M. 2545. num. 22. Commodiſſima fortè hæc, quando חטאה dicitur error per ignorantiam commiſſus; אשם verò malitia ex electione & volenter patrata: quam laudat Iſing coll. hiſt. Quæſt. LIX. §. 4. Aliam alii diviſionem faciunt inter עונות iniquitates, i. e. peccata ſcienter & petulanter commiſſa: פשעים prævaricationes, i. e. defectiones à Deo; & חטאות peccata per ignorantiam commiſſa. Vide eundem Quæſt. LX. §. 7. & Cod. Joma, c. III. §. 8. c. IV. §. 2. c. VI. §. 2. Erant etiam apud Ebræos ob idem peccatum diverſa ſacrificia, pro diverſa hominum ſorte, קרבן עולה ויורד i. e. ſacrificium adſcendens & deſcendens i. e. majus & minus. Vide Keretot. c. II. Ab his ſacrificiis olim porta quædam Romæ *piacularis* dicta. Fabric. Rom. c. IV. Et Jupiter ipſe *Expiatorum*, *expiatorius* & *Catharſius* audivit.

Victimæ piaculares, ſi pro tota obſerrentur urbe, homines erant. Diſquirebant enim, quem in ea civitate reperire poterant turpiſſimum, illumque correptum ad locum conſtitutum deducebant, caſeum cum placenta & ficus ſiccos manibus geſtantem, at-

que ſepties virgultis agreſtibus, vel, ut alii volunt, caprificô & ſcillâ agreſti, pudendis verberatum, lignis ſilveſtribus comburebant, cineremque in mare projiciebant, his verbis: Περίψημα ἡμῶν γενȣ̃: Unde homo is περίψημα dictus. Agrippa, lib. III. c. LIX. Occultæ Philoſ. Sardus, lib. III. c. XIX. Suidas *ſemper publicis eô fine ſumtibus nutritos perhibet, ut interitu ſuô urbes expiarent.* voc. Φαρμακοί. Serv. *Maſſilienſes cùm peſte laborarent, unus ſe ex pauperibus obſerebat alendum annô integrô publicis & purioribus cibis, poſteà verbenis veſtibuſque ſacris ornatus circumducebatur per urbem, cum execrationibus, ut in eum inciderent mala civitatis, & ſic projiciebatur,* ad lib. III. Aen. Virg. v. 57. Quem Scholiaſtam h. l. immeritò vellicat Cl. Voſſius, lib. V. c. VI. ſect. I. Inſt. Or. de quo fortè alibi. Fortean etiam ad talia certi Sacerdotes conſtituti? Q. Aſconius Pedianus, OvidI coævus, in orat. Cic. pro Mil. *Licinium quendam de plebe ſacrificorum, qui ſolitus eſſet familias expurgare.* Ubi Fr. Hotomannus & Manutius optimè legunt & diſtingvunt: *Licinium quendam de plebe, ſacrificulum* &c. Piacula illa aliàs Latinis erant *Sacri* i. e. diris devoti homines, in quos omnium rejicerentur peccata. Dicebantur & *Februa*, quâ voce, teſte Pliniô, indigitabantur omnia, quæ purgamenti cauſâ in ſacrificiis adhibebantur: Ejus varias ſignificationes Ovidius exponit lib. II. Faſt. v. 19. ſ.

Februa Romani dixêre piamina patres,
Nunc quoque dant verbo plurima ſigna fidem:
Pontifices à Rege petunt & Flamine lanas,
Queis veterum linguâ Februa nomen erat.

Qua-

Quæque capit lictor domibus purgamina certis
Turbida cum micâ farra, vocantur idem.
Nomen idem ramo; qui caſus ab arbore purâ
Caſta Sacerdotum tempora fronde tegit.
Ipſe ego Flaminiam poſcentem Februa vidi:
Februa poſcenti pinea virga data eſt.
Denique quodcunque eſt, quô corpora noſtra piantur,
Hoc apud intonſos nomen habebat avos.

Cavendum hîc denuò, ne cum inaniſſimo Natali Comite in errorem trahamur, qui *animalem victimam* (de quâ ſupra c. II. p. 25.) interpretatur *piacularem*. Myth. lib. I. c. XVII. Græcis fuêre διαῖοι, φαρμακοὶ, καθάρματα, περιψήματα, ἀποτρόπαιοι, μιαροὶ, ἐπάρατοι, ἀναθέματα: de quibus fuſiùs Sol noſter, cujus calori Muſa mea vitam ſe debere, pol! fatebitur, magnus DILHERRUS, Tom. I. diſp. XXII. §. 1. & Tom. II. diſp. XV. poſ. 7. καθάρσια, ait Ammonius, καὶ καθάρματα διαφέρει, καθάρσια μὲν γὰρ λέγονται (fortè λέγεται) τὰ ἱερὰ καὶ τὰ ἄλλα, οἷς καθαίρονται· Καθάρματα δὲ, τὰ μετὰ τὸ καθαρθῆναι ἀπορριπτούμενα lib. περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων. voc. καθάρσια. At Piatrices mulierculæ erant Sacerdotiſſæ, quæ infantes die luſtricô expiare ſolebant. Videatur inſignis litterator Caſaubonus ad Sat. II. PerſI, p. 197. ſ. & ad Theophr. charact. p. 303. ſ. Taubmannus in Plauti Mil. Gl. III. I. 100.

III. Denique præſentiam teſtimoniumq; Deorum εὐκταίοις poſcebant, Conſulturi eos de futuris. Plinius *Aruſpicem conſulam, quem ſum frequenter expertus: Nec mora, ſacrificium facit:* lib. II. ep. ult. Adde ejusd. paneg. & ibid. LipſI notas. Aut Oracula per Vates. Vide Virg. lib. III. & VI. Aen. Sibyll.

byll. lib. VI. quæ hoſtiæ etiam *conſultatoriæ* & *injuges* nuncupatæ ſunt. Ubi diſſolvebatur matrimonium inter virum & uxorem, ſacrificium *diffarreatio* dictum fiebat. Feſtus. Antequàm juramentum præſtaretur, victimæ cæſæ, quæ, ſi minores erant, in mare abjiciebantur; ſi majores, ab ea Dii hominesque arcebantur, habebanturque exta earum execranda, ut ne ipſis κωλακρέταις, ac per conſequens Sacerdotibus, comedenda illa adponerentur. Heinſ. crep. p. 9. Maximè tamen in fœderibus pangendis teſtes Dii invocabantur. Tacitus: *Simul in lucum propinquum trahit. proviſum illic ſacrificium imperatum dictitans, ut Diis teſtibus pax firmaretur.* lib. XII. Ann. c. XLVII. 2. Mactabatur ibi porca, animal *fœdum*, quod *fœderi* nomen indidiſſe videtur. In denario quodam, cujus inſcribtio ITALIA, eſt in medio militum fœdus ferientium Vir inciſus, qui porcam ſuſtinet: Ejus meminit F. Urſinus in lib. II. Cic. de in vent. Virgilius de fœderis pactione lib. XII. Aen. v. 169.

— — — — Puraque in veſte Sacerdos
Setigeri fœtum ſuis, intonſamque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.

Alii hìc Codd. melius *Setigeræ*, quam lectionem non rejicit doctiſſimus Pulmanus. Idem lib. VIII. Aen. v. 641. *Stabant, & caſâ jungebant fœdera porcâ.* ServI ſcholia in h. l. Inclutus Orator & Philologus Voſſius optimè proſcindit; quòd neſcio unde ſeductus contra Virgilium Porcum adhibitum ſtatuat, non Porcam lib. I. Inſt. Rhet. c. IX. ſect. XI. ſed injuriâ eum ſimul mactat ſummâ, quando addit, ex quanam id fecerit cauſſa: *Non*, inquit, *meminit, eampſe*

Porci

Porci vocem etiam dici de femina, unde & apud Tullium, lib. II. de LL. eſt Porco femina piaculum dare. Imò vero omninò illô ipſô locô meminit his verbis *Ergo aut uſurpavit genus pro genere, ut: Timidi venient ad pocula dama; cum has damas dicamus: Item ſupra lupam, cum artis ſit hic & hæc lupus.* Pater patratus illam cum dicto: ut, ſicut ille porcam lapide, ita Jupiter fœdifragum feriret, ſaxô percutiebat, anſam interim proverbio præbens: *Inter ſacrum & ſaxum ſtare:* nomenque ut alii volunt, fœderi indens, quòd porca *fœdè* & crudeliter occideretur. Servius l. c. Ex eo planè manifeſtatur ratio phraſium: *ferire, icere, percutere fœdus,* ταμεῖν ὅρκια, item כרת ברית; â percuſſione nempe porcæ ad ſacrificium fœderis. Vide Caſtro ad Jer. XXXI. 31. nonnulli hinc haut malè Ebraicam vocem ברית quæ fœdus ſignificat, â ברא i. e. cædendo deducunt: Nam & in populo Sancto fœdera ſacrificiô ſtabilita; quod ex V. T. hiſtoriâ paſſim perſpicere eſt: Tranſibantque fœdus facientes inter diviſiones hoſtiæ, quaſi dicerent: Ita ſecemur, ſi pactum violabimus. Em. Sa ad Geneſ. XVII. 17

Quod ſi ritè ſacrificâſſent, & quæ petiiſſent, dextrô Hercule adquiſiviſſent: *litare* ſe & *impetrire* dicebant. Unde illud Martialis intelligitur: *Non quâcunque manu victima cæſa litat.* lib. X. epigr. LXXIII. 6. Hadr. Jun. *Litare eſt propriè propitiatô Numine voti ſui compotem fieri.* cent. I. adag. LI. cùm *ſacrificare* tantùm quavis de câuſſa victimam fuerit exhibere, teſte Sulpitiô: & à Valla rectè *litatio impetrabile ſacrificium* exponitur. Conferanrur Chytræus not. ad Buchan. Pſal. IV. & Vir, ſi quisquam, de re littera-

ria

ria benè meritus, Auſ. Popma lib. III. de diff. verb. item Stuckius, p. 152. 153. Eat igitur, & â Nonio deceptum ſe conqueratur Catanæus, qui ſcholiis ſuis hæc illius verba infarcit: *Sacrificare eſt veniam petere; litare, propitiare, votum impetrare.* in paneg. Plinl. Manifeſtè adſignaretur hôc modô veniam petentibus ſolis tanquàm proprium τὸ *Sacrificare*, quod tamen generale ſacricolarum verbum eſt, nec ſolùm illis, ſed & omnibus ἱερεῦσι competit. Limandus ergo Nonius ex Popma, qui Sacrificare deſcribit eſſe *obferre ſacrum & veniam poſcere.* Vide Macrob. Saturn. lib. III. c. V. Turneb. lib. XVIII. c. XX. adverſ. Idem Popma τὸ *Litare* â luo deducere nititur l.c. de diff. verb. quod alii veriſimiliùs ἀπὸ λιτῶν, quæ vox ſignificat preces; & apud Homerum, ι Iliad. v. 498. Deas ſupplicationum præſides, quas his verbis Poëta depingit:

Καὶ γάρ τε λιταί εἰσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο
Χωλαί τε ῥυσαί τε παραβλῶπες τ' ὀφθαλμώ.

CAPUT IV.

Sacrificia Stata: Omnia ad ſuperiorem diviſionem pertinent: Differunt â fortuitis: Eorum varia nomina. Feriarum *etymon. Feriæ â quo, ubi, & quomodo indictæ? Sacerdotum curiæ. Feſtis ſtatis feriabantur omnia: Illa ſunt multiplicia. Solennia ſacrificia quid? Solitaurilia (ſuovitaurilia) per Cenſores agitata: Illorum etyma. Aſc. Pedianus vetuſtiſſimus ſcribtor. βοῦς πενδάσιο,*

σι☉, *Ebræorum ſacrificia ſolemnia. Annuorum ſacrificiorum ſynonyma & deſcribtio. Dies* קרטיסים *quis? Omnia totius anni feſta per ſingulos menſes congeſta, ubi hinc inde varia variorum Calendaria* Romana *ſibi opponuntur; aut alia ex aliis emendantur. JanuarI nomen unde? Calendarium MazochI ab antiquitate commendatum. Singuli menſes* Diis *certis ſacri. Idulis. FebruarI nominis ratio. Februarius inferis attributus, cur? Matronalia cur Junoni? Calendæ Martiæ anni apud veteres initium. Mundus in ſigno* ♈ *creatus. Beroaldi & aliorum errores. Ritus cujusdam hodierni origo aperitur. Majuma quid? Ab eo hodiernus quidam ritus durat. Junius* ἑκατομβαῖος *dictus, quare? Junio anni apud Athenienſes initium. Sol Hecatombæus. Aedium mutationes apud veteres quando? Pauli ManutI interpretatio repudiata.* מנחה. *Ebræorum feſta omnia recenſita: Eorum jejunia: Lunæ ſacrificia quando* βοῦς ἕβδομ☉. *Natalibus diebus ſacrificatum, & cui? ac quomodo? Verſus Virgilianus explanatur. Caſauboni, Cenſorini, Alexandri ab Alex. & aliorum plurimorum labſus notabiles. Lambinus leviter tangitur. Die natali aliquando victima*

ma immolata. Diei tempus ſuperûm ſacrificiis aptum matutinum ; & quare ? Inferûm veſpertinum. Manis *ſive* Manus: *Manes. Nocturna quædam ſacra lege vetita. Myſteria cur noctu? Noctis vocabulum in ſacrificiis malè ominatum.*

Hæc, quæ in ſuperioribus capitibus, ut nervum diviſioni darent, adducta ſunt θύματα, pleraque omnia incertorum dierum, privatarum familiarum, & fortuita fuêre. Judicabis jam facilè, quô ſingula Stata conlocanda ſint, utpote ob malum averruncandum & bonum conſequendum, vel in gratam DEI cujuſdam memoriam, aut facti laudabilis, aut boni accepti, aut averſi mali celebrata. In his ritus faciendi invenimus certos, generales, & paſſim communes: at in illis familia quælibet propriis aliquibus utebatur, ut docet Oldendorp. in Ll. XII. Tabb. l. ult. cap. de templis & lucis, tit. de Religione. Illa ex accidenti veniebant, nec conſtitutô anni tempore: horum autem dies erant certi, Stati, ac *Statuti*; dicti aliàs *dies ſacri*, *conſecrati*, *ſancti*, *religioſi*, *feſti*, *feriati*; item *Feſta*, ac *Feriæ*, quod nomen à ferendis epulis, vel à victimis ferendis. Feſtus. Græcè ἑορταὶ & ἑορτασμοί: Ebr. חל & יום־מועד.

Proclamabantur Feriæ & Sacrificia Publica, denunciabanturque unà cum menſium initiis, ac progreſſibus, convocato populo à Rege Sacrorum ſive etiam Pontifice minori, & prætore, in Curia Calabra in Palatino monte (conveniebant enim Sacerdotes in tribus Curiis; Calabrâ, Romuli ſeu Vetere, & Saliorum,

quæ

quæ Auguribus dicata fuit. Confer Fabric. Rom. c. XIII.) tali formulâ, qualis eſt apud Arnobium: *Lavatio Deûm matris eſt hodie, Jovis epulum cras eſt; Aeſculapl geritur celebraturque vindemia; Lectiſternium Cereris erit Idibus* &c. lib. VII. adv. Gent. Talibuſque feſtis omnia feriata erant, de quo Tibullus, lib. II. el. I. v. 5.

Luce ſacrâ requieſcat humus, requieſcat arator;
Et grave ſuſpenſô vomere ceſſet opus.
Solvite vincla jugis: nunc ad præſepia debent
Plena coronatô ſtare boves capite;
Omnia ſint operata Deo: non audeat ulla
Lanificam penſis impoſuiſſe manum.

Neque omnia unius diei, ſed quædam plurium; neque univerſis hominibus fuêre communia, ſed mulieribus ac Viris, pueris ac ſenibus, ſervis & liberis, ſtultis, paſtoribus &c. ſingulis alia atque alia adſignata: quæ uberrimè pertractat Stuck. f. 10. 11. 12. & Gyraldus ſynt. XVII. Noſtrarum hìc loci partium erit, intentâ diribitione *ſolemnia* ſacrificia ab *annuis* ſedulò ſecernere.

Sacrificia Stata *ſolemnia* certis *annis* atque temporibus fiebant, teſte Feſtô; veluti *Solitaurilia* completô luſtrô i. e. Quinquennali tempore; ubi omnes Centuriæ & Equites, in campum Martium convocati, ſue, ove, taurô, luſtrabantur. Clarat hæc nobis Dionyſ. Halicarn. *Tunc Tullus*, inquit, *cenſu perfectô, cùm juſſiſſet omnes cives cum armis adeſſe in campo, omnium, qui ſunt ante urbem, maximo, & equites in turmas digeſſiſſet, & pedites in acie conlocâſſet, & milites levis armaturæ in ſuis quoſque ordinibus, illos luſtravit taurô, ariete, & hircô.* lib. IV. antiquit.

Digitized by Google

Rom. Idem prodit Livius, niſi quod addat: *Exercitum omnem ſuovitaurilibus luſtravit, idque conditum luſtrum adpellatum.* dec. I. lib. I. c. XLIV. Duo hîc notari velim: Alterum, *ſuovitaurilia*, nomen Sacrificii; alterum, quod à Cenſoribus factum. Utrumque comprehendit antiquiſſimus (vixit enim, & claruit ante Joſephum, Tacitum, Plinium, Florum, Suetonium, Plutarchum, Juſtinum, Laërtium, Agellium, & alios. vide Voſſ. de Hiſt. Latin. lib. I. c. XXVII. ed. poſtr.) Ciceronis Commentator Q. Aſconius Pedianus Patavinus: *Cenſores completô quinquenniô urbem luſtrabant, & Solitaurilia* (al. Suovitaurilia) *ſacrificia de ſue, ove, tauro, faciebant*, comm. in lib. de divinat. Feſtus hanc nominis rationem reddit: *Solitaurilia hoſtiarum trium diverſi generis immolationem ſignificant, tauri, arietis, verris; quod omnes eæ ſolidi integrique ſint corporis: quia ſollum vel ſolum Oſcè totum ſignificant.* Cl. Voſſius vocem *Suovitaurilia* rejicit, (quæ tamen & in fragmentis inſcribtionum fratrum Arvalium extat apud Gruterum, p. 121. 1.) recipiens *ſolitaurilia*, ut veriſimiliorem; lib. IV. Inſtit. Or. c. I. ſect. VIII. Hujuſmodi Sacrificii imaginem adhuc hodie Romæ in columnâ Tajani marmoreâ medio foro erectâ conſpici perhibet Stuck. f. 44. Et depinxit Choulius lib. de la religion des anciens Romains. p. 326. Pertinet etiam huc *βοῦς πενδάσιος*, de quo Homerus. Ebræorum duo erant feſta ſolemnia, quibus ſacrificabant: Alterum, שמטה i. e. Sabbaticum, ſingulis ſeptem annis: Alterum שנת היובל Jobelæorum, ſingulis ſepties ſeptem annis.

Annua ſive *anniverſaria* ſacrificia *ἀμφιετηρίδες*, vel *θυσίαι ἐτήσιαι*, omnibus & ſingulis annis perageban-

bantur : Erantque alia verna , alia æſtiva , alia autumnalia , quædam hiemalia ; Iterum alia menſtrua &c. In Abhoda ſarah commemorantur hæc Ethnicorum feſta : קלנדא וסטורנליא וקרטיסים ויום גנסיא של מלכים ויום הלידה ויום סמיתה i. e. *Calendæ , Saturnalia , inauguralis Kartiſim dies , natalis regum , magiſtratuum natalis , & dies emortualis.* Ambigitur , quis ille קרטיסים dies ? Gemara ait eſſe כאו *diem* כו שתפסס רומי מלכות *quâ Roma regnum accepit :* quod ibidem Rabh Joſeph bis accidiſſe ait , Cleopatræ & Auguſti temporibus. Dionyſ. Voſſius cum *curiatis* comitiis congruere ait , vel conjicit eſſe à κράτος : veluti גנוסיא à Græco γενέσια i. e. natalitiorum dies. Longiùs hæc excurrerent , & diſturbatô agmine lectorem tædiô mactarent. Producemus ergo ſingulorum totius anni menſium ἱερὰ , ordine , ὁδηγοῖς Calendariis Romanis , quotquot à nobis conquiri potuerunt.

Janvari *Calendis* Jani feſtum , Jovis , Junonis , AeſculapI. De Jano etiam Prudentius , lib. I. contra Symm. Vopiſc. in Tac. c. IX. Ovid. lib. I. Faſt. Martial. lib. VIII. epigr. VII. Ille totius Anni præſes menſi huic nomen dedit Cur autem Januariô anni novi initium ? vid. Plut. Quæſt. XIX. Jovi & Junoni ſinguli Menſes fuêre ſacri , docente Plutarchô , probl. LXXVI. Adde notas BoxhornI. Fiebant autem Junoni in Samo , ubi illa fratri nubſit , ſacra anniverſaria nubtiarum ritu. Donatus in Andr. Terent. Luculentam ejus mentionem facit Calendarium MazochI ; ſed an ad Calendas pertineat , ex ſeqq. menſibus colligere nequeo ; ubi in ſingulis hôc ordine pergit , ut primô locô dierum menſis colligat ſummam dein numerum Non. ponat , inde horarum cùm

 diei

diei tum noctis, mox Δωδεκατημόριον recenſeat; Poſteà DEI cujuſpiam denotet tutelam. Exempl. gr.

Pictura Capricorni.

MENSIS
Januar.
Dies XXXI.
Non. Quint.
Dies horarum
VIIIIS.
Nox horarum
XIIIIS.
Sol Capricorno
Tutela Junonis &c.

Adſignat, ut vides, Capricornum Januario, præter reliquorum opinionem, & ſic in ceteris pergit: ubi etiam obſervandæ Signorum formæ & picturæ, ab iis, quas noſtri tradunt Aſtrologi, alieniſſimæ; præſertim AquarI, Cancri, Virginis, Libræ, & SagittarI. Verbô: Penitiſſimam Calendaria illa redolent antiquitatem; & extant Romæ duobus in locis: In domo Vallarum, quæ eſt in Circo Flaminio; & in hortulo Angeli Colotii, qui eſt domui ipſius contiguus in Campo Martio. Admit tandem nobis omnem ſcrupulum inſcribtio vetuſtiſſima, quæ neutiquam hîc

hîc omittenda, cùm ſingulos deos recenſeat, quibus ſinguli menſes erant ſacrati:

TVTELA MENSIVM

JANVARI.	JVNO.
FEBRVARI.	NEPTVNVS.
MARTII.	MINERVA.
APRILIS.	VENVS.
MAI.	APOLLO.
JVNI.	MERCVRIVS.
JVLI.	JVPITER.
AVGVSTI.	CERES.
SEPTEMBRIS.	VOLCANVS.
OCTOBRIS.	MARS.
NOVEMBRIS.	DIANA.
DECEMBRIS.	VESTA.

Stuckius Laribus quoque Calendis, Idibus, Nonis, cùm feſtus dies erat, ſacrificatum ait, fol. 54. *III. Non.* Tertia menſis cujuſque Minervæ ſacra. Votum item pro ſalute Principis. *Nonas* omnes Jovi ſacras Stuck. refert. f. 13. *VIII. Idus.* Octavus cujuſque menſis dies Neptuno ſacer erat apud Athenienſes. *VII. Idus.* De eo nihil reperio in Calendariis, verùm in Lapide aliquo Narbonenſi: VII. QVOQVE. IDVS. JANVARIAS. QVA. DIE. PRIMVM. IMPERIVM. ORBIS. TERRARVM. AUSPICATVS. EST. THURE. VINO. SVPPLICENT. *VI. Id.* Sacrificium Jani. *V. Id.* Agonalia. *III. Id.* Carmentalia i. e. Feſtum Carmentis; itemque Juturnæ.

næ. *Prid.Id.* Compitalia. *Idus* , Jovi : Macrobius ſcribit *Idibus ſingulis à Flamine ovem mactatam*, *quæ Idulis dicta.* lib. I. Saturn. c. XV. Eôdem die tibicines habitu muliebri urbem luſtrabant. *XVIII. Cal. Febr.* Camentalia relata; necnon feſtum Porrimæ ac Poſtvertæ. *XVII.* Feſtum Concordiæ. *IX.* Sementinæ feriæ. *VI.* Feſtum Caſtoris & Pollucis. *IV.* Equiria. *III.* Feſtum Pacis. *Prid. Cal.* Sacr. Deis Penatibus, qui *Patrii* & *Urbani* dicuntur. Januariô etiam Baccho torcularium præſidi ſacrificatum, edocet Caſaubonus, exerc. XIII. ſect. 22.

FEBRUARI *Calendæ.* (Non eſt autem opus, in ſingulis menſibus addere, quæ ſupra de omnibus Menſibus, Calendis, III. Non. Nonis, & VIII. Id. denotata ſunt; Lectorem meum, ubique illa ipſe repetat, ſeriò ſubmoneo) Circa eas Heinſius ex Gyraldo in hunc modum : *Soſpitæ templi dic. Lucaria ab Aſyli luco. Item Jovi Sacra de bidente. Dianæ ſacra fiebant, à cervis elaphobolia nuncupata.* Neſcio tamen an impegerint Philologi exquiſitiſſimi, & unicô die aberraverint, cùm illis obgerere poſſimus fragmentum Calendarii, inventi Romæ ſub Capitolii ruinis à Thamyrâ, quod expreſſè : *III. No. Feſtum Junonis & Soſpitæ, Sacrificium Cap. Jovi. Lucus Avernus celebrabratur. Idibus* Feſtum Jovis & Fauni. *XV. Kal. Mart.* Lupercalia, ſive feſtum Fauni Luperci. *XII. Quirinalia* (quæ tamen Car. SigonI Calendarium in XIII. rejicit) Feſtum Stultorum, Fornacalium indictio, Feralia Deorum Manium (quæ apud Sigonium IX. Calend. leguntur) ſive Parentalia, quibus Februo Ditis Patri ſacrificabant, à quo Menſis nominatur. Vide Ovid. II. Faſt. & Serv. ad I. Georg. Exinde Parrhaſius

ſius

ſius in epiſtolis oſtendit, inferis Februarium, Januarium ſuperis attributum: Et vellem demonſtraret Vir quidam percelebris, Januariô Parentalia celebrata fuiſſe. Quare autem Parentalia Februariô menſe celebrata? vide cauſſam apud Plutarchum probl. XIX. & XXXIV. *XI.* Deæ mutæ. *X.* Chariſtia. quod tamen feſtum in fragmento citat. Rom. d. XI. extat. *IX.* Terminalia. Sigon. Fragm. Rom. X. *III.* Equiria.

MARTIIS *Calendis* Martis feſtum: Sacra Deæ Munychiæ: Salii ancilia circumferebant: Ignes aris Veſtalibus accenſi. Solinus, c. II. Natalis Junonis Lucinæ, in cujus honorem tum Matronalia tranſacta, ut nempe annus ab exordio totus felix fauſtuſque eveniret, & in partu, & amore conjugali. Tibul. el. I. lib. III. el. II. lib. IV. Cruquius ad Hor. od. VIII. lib. III. Servius ad lib. VIII. Aen. Veteres enim Calend. Mart. annum auſpicati ſunt; Beroaldus ſchol. in Svet. Tib. plurimique mundum in ſigno ♈ creatum credidêre. Vide Cœl. Rod. lib. I. c. IX. Hermannum dec. I. Quæſt. inluſtr. I. *Prid. Non.* Feſtum Veſtæ. *Non.* Feſtum Junonis. *Prid. Id.* Equiria altera apud Tiberim, vel, ſi aquis increverit, in Cœlio monte. *Id.* Annæ Perennæ feſtum. *XVI. Calend. April.* Liberalia & Agonia. *XIV.* Quinquatria Minervæ natalis. *XIII.* Alter Quinquatrium dies. *XII.* Quinquatr. *XI.* Quinquatr. *X.* Quinquatr. Tubiluſtrium. *IX.* Feſtum Deæ fortis, i. e. Veſtæ. Hilaria, matris Deûm feſta; quæ Beroaldus, Gyraldus, & Heinſius ad VIII. Cal. April. referunt: alii, ut Interpretes SuetonI, Othon. c. VIII. ad d. VI. Calend. Utrumque falſum: & hos quidem Ammia-

Digitized by Google

nus ſeduxit, velut Lipſius Magnus autumat, quem omninò adi cent. *III.* miſc. epiſt. LXXV. Hilaribus hiſce (quæ per aliquot traducta dies) Beroaldus etiam Dei Riſus feſtum immiſcet, tanquàm hilaritatis præſidis, quod variis ludicris deceptiunculis ad riſum excitandum peragebatur. Vide omninò Apul, lib. *II.* & *III.* Aſin. Aur. tanquàm tunc cuncta hilaritate mulceantur, quô primùm tempore ſol diem longiorem nocte protendit. Unde conſvetudinem illam profluxiſſe penitus ſuſpicor, quâ apud nos Calend. Aprilibus quiſque, quem joculari aſtutiâ ſupplantare poteſt, ſupplantat. Germani mei dicunt: **Es iſt der erſte April / da man einen jeden Narren hinſchickt wohin man will.** *VIII.* Sacrificium Jani & Concordiæ, Salutis & Pacis. Ita fragm. Calend. Rom. Sed Heinſius & Gyraldus ad d. *III. Cal. April.* trahunt; fortè non malè. *V.* Megaleſia. *Prid.* Feſtum Lunæ & Dianæ in Aventino.

APRILIBUS *Calend.* Sacrum Veneris & Fortunæ virilis. Aprilis quare Veneri ſacer? quærit atque edocet Boxhornius ad Plut. probl. LXXXV. Tergelia ſacra Apollinis & Dianæ. *Non.* Megaleſia Cybeli Matri Deûm. VIII. *Id.* Pub. Fortunæ feſtum in colle Quirinali. *V. Id.* Cerealia, quæ tamen in SigonI Calendario prid. Id. viſuntur. *Idus*, Jovi victori & Libertati. *XVII. Cal. Maji*, Fordicidia. *XIV.* Equiria, quæ iterum apud Sigonium ad d. XIII. *XIII.* Cerealia. *XII.* Natalis urbis Romæ. *XI*, Agonalia altera. Palilia, quæ ſunt in fragm. Cal. cit. d. XII. *IX.* Vinalia priora Jovi & Veneri. Fragm. Cal. Rom. *X. K. Vinalia. Translatio Veneris.* Facit tamen cum priori Cal. SigonI, in quo cùm anteà legeretur

VIN.

VIN. ita ego corrigo: A. VEN. NP. VINALIA. & expono: *Veneri, Nefaſtus Primò. Vinalia.* A autem eſt inter litteras quibus dies denotantur. *VII*, Robigalia; ubi iterum SigonI Calend. corruptum ſuſpicor. Fragm. Rom. Cal. ponit ad d. IIII. Feſtum Rubiginis. *VI*, Latinæ feriæ. *IV*. Floralia. Diſſentit fragm. cit. quod Prid. Cal. Feſtum Floræ, Phæbi. *Prid. Cald.* Veſtæ Palatinæ, Laurentalia. Agebantur etiam hôc menſe Veneri ἀπατέρια: Quorum 1. dies δόρπεια dicta, 2. Ἀνάῤῥυσις, 3. κυρεῶτις, 4. ἐπίβδα. Aliiin Julium, quidam in Octobr. locant.

MAJI *Calendis*, feſtum Larium, Bonæ Deæ; Umbraculorum, dictum σκίερ. *VI Non.* Tacent Heinſius & Gyraldus; Sigonius: *Compitalia.* Fragm. Rom. *Sacrificia fiunt de ariſtis VII. Idus* Lemuria: Luminaria *V. Id.* Lemuria. *IV. Id.* Martis Ultoris. *III. Id.* Lemuria. *Prid. Id.* Marti invicto. *Id.* Feretrio Jovi, Mercurio. Sed SigonI Calend. habent die ſequenti: MER. MAJÆ. Heinſius XV. Cal. Jun. Mercatorum dies feſtus, MercurI natalis; Jovi Fer. *XII. Cal. JunI.* Agonalia Jani. In Fragm. Rom. viſuntur die præcedent. Vejovi. *X.* (fragm. cit. XI.) Vulcanalia, flamen Majæ facit. Tubiluſtrium. *VII.* (al. IX.) Sacrificium pro fugâ Regis Tarqv. Superbi. *VI.* (al. VIII.) Feſtum pub. Fortunæ. Hôc quoque Menſe, Majumæ ſolemnitas confecta, ab εὐκταίῳ ortum habentis. De eo feſto clarè præ ceteris Suidas: Πανήγυρις ἐγίνετο ἐν τῇ ῥώμῃ κατὰ τὸν Μάϊον μῆνα, τὴν παράλιον καταλαμβάνοντες πόλιν τὴν λεγομένην Ὀςίαν, οἱ τὰ πρῶτα τῆς πόλεως τελῦντες ἡδυπαθεῖν ἠνείχοντο ἐν τοῖς θαλαττίοις ὕδασιν ἀλλήλυς ἐμβάλλοντες. Vide Lipſ. ad lib. XI. Ann. Tac. Demiror ritum hunc adhuc nobis

bis ſervatum; id quod ante me, ut video, adnotârunt Philologiæ miracula, Alciatus parerg. lib. V. c. V. Pancirollus, V.L. lib.II. 253. Meurſius, Gloſſ. Græco-barb. voc. Μαυμᾶς. Si quis ultimo conventui Principum in florentiſſima Noriberga adfuit, vidit procul dubio menſem circiter Majum certamen tale navale ludicrum, inter turbas piſcatorias, antehàc hôc anni rempore frequenter ibi agitatum, Populares das Fiſcherſtechen adpellitant. Variant tamen mirum in modum de ratione feſti Majumæ. Tu ſententias omnes conlectas invenies apud Magnum Dilherrum, Virum, ædepol! incomparabilem, Tom. II. diſp. VI. exercitat. 1. & Andr. Rivinum in diſſert. pecul. * Extat & in Cod. Jur. Civ. integer de hoc feſto titulus, quem invenies lib. XI. tit. XLV. Adde Gyraldum ſynt. XVII. p. 477.

JUNI *Calendæ*, Junoni Monetæ, Carnæ Deæ, Marti. Hæc alterô die apud Sigonium legere eſt. *III. Non.* (Fragm. Cal. Rom. *prid.*) Bellonæ. *Prid. Non.* Dio Fidio *Semipatri* (An. leg. *Semo patri*:) Alii hoc ſacrum Nonis ponunt. *Non.* Sponſori Jovi. Fidei. VII. *Id* Menti. Sigonius VI. Id. Multi hôc die Piſcatorios conſtituunt ludos. *VI.* Veſtæ. Alii plerique d. V. *IV.* Matralia. Matris Matutæ: Feſtum Fortis fortunæ & Concordiæ. *Id.* Jovis invicti. Quinquatria Minervæ. *XIII. Cal. Jull.* (al. XIV) Minervæ in Aventino. *XII*(al. XIII.) Sumani ſacrum ad Circum Max. *VIII.* Forti fortunæ. *V.* Jovi Statori & Laribus. *Prid.* Herculis & Muſarum. Quirina-

* *Præ ceteris vide Cl. Hiſpanum JCtum Franciſcum de Amaya lib. III. Obſervat. Jur. c. V.*

Digitized by Google

rinalia, quæ alii in præcedent. d. reſcribunt. Athenienſibus Junius ſive χρόνιος dicebatur ἑκατομβαῖος, quòd plurimæ eô fierent Hecatombæ. Suid. Cœl. Rhod. A. L. lib. XX. c. VI. vel quòd Annus Juniô initium ceperit apud Athenienſes, quibus Sol Hecatombæus nominatur. Heinſius.

Juli *Calendis* migrationes ex ædibus in alienas ædes fiebant, ut hôc tempore feſtô D. Michaëlis: ſed ſupra hoc non ſine ſacrificiis factum memoravimus, quæ tamen non ad Stata, ſed fortuita pertinent. *Non.* Ancillarum feſtum. Junoni Caprotinæ; unde hæ Nonæ *Caprotinæ* dictæ. *Prid. Id.* Fortunæ Muliebri. *Idus*, Caſtori & Polluci. *XIV. Cal. Aug.* Lucaria. *XIII.* Victoriæ Cæſaris. *XII.* Lucaria. *X.* (al. V.) Neptunalia. *VIII.* Furinalia. Rutilæ canes caniculæ ſacrificabantur.

AUGUSTI *Cal.* Spei ad forum holitorium. Boëdromia celebritas. *IV. Non.* SigonI Calend. FER. HOC DIE C. CÆSAR HISP. VICIT.. Paulus Manutius exponit: *Feralia hoc die. Cæſar Hiſpaniam vicit.* Malum interpretem h. l. egit Vir Optimus; nos fortè probiorem efficiet fragmentum lapidis, quod in domo viri nobilis Lælii Vallæ extitit, *III. N. Feriæ, quòd hôc die Imp. Cæſar Hiſp. cit. vicit. Non.* Saluti in colle Quirin. *VI. Id.* Solis indigetis in colle Quirin. *IV. Id.* Aræ, Opis, & Cereris in vico Jugario. *III. Id.* (fragm. Vallæ: *prid. Id.*) Herculi magno Cuſtodi in Circo Flam. *Id.* Dianæ in Aventin. Vertumno in Loreto majore. Dies feſtus ſervorum & ancillarum. *XVI. Cal. Sept.* Portunalia ad pontem Aemyl. Jano ad thear. Marcelli. *XIV*, Vinalia. Veneri ad Circum Max. *XIII.* Vinalia ſecunda.

Digitized by Google

cunda. *XII*, Myſteria magna. Conſo in Aventino ſacrif. quod Heinſ. & Gyrald. in XV. tranſtulere. *X*, Vulcano in circ. Flam. Hunc diem ex fragmento lapidis Romæ reperto, inciſo menſi Aug. Catanæus oſtendit: C. X. VOLCAN. NP. VOLCANO. IN. CIRCO. FLAM. Dilucidum quoque; FabricI fragm: ET. UT. PRÆTOR. CUI. HÆC. REGIO. SORTI. OBVENERIT. LITATVRVM. SE. SCIAT. ALIVSVE. QVIS. MAGISTRATVS. VOLCANALIB. X. K. SEPT. OMNIBVS. ANNIS. VITRVLOROBIO. (An leg. VITVLO RVBEO?) ET. VERRE. *IIX*. Opiconſiva in Capitolio. *VI*. Vulturnalia, Vertumnalia. *V*. Harpocratis feſtum. Hôc die ara Victoriæ in Curia dedicata eſt. *IV*. Vulcanalia. Sigonius d. VI.

SEPTEMBRIS *Cal.* Mæmactes Jupiter. Feriæ Neptuni. *Prid. Non.* Ludi Romani per totum ferè menſem. *XVI. Cal. Octobr.* Parentatio eorum, qui contra Perſas pugnando occubuerunt. *XIII*. Thoth. i. e. Mercurio Ægyptii ſacrificant. *VII*. Veneri. *prid. Cal. Octobr.* Epulum Minervæ. Meditrinalia, quô die primum muſtum bibebant.

OCTOBRIS *Cal.* Marti. Pyanepſia. *VIII. Id.* Panopſia Apollini. *VI*. Oſchophoria i. e. Ramalia. *V*. Hôc demum die in SigonI Cal. Meditrinalia contra Heinſium & Gyraldum reperiuntur. *IV*. Auguſtalia. *III*. Fontanalia. *Idibus*, Mercurio Mercatores. October equus Marti immolatur. *XIV*. *Cal. Novembr.* Armiluſtrium. *XI*. Chalcea Minervæ, vel juxta alios, Vulcani. *V*. Myſteria minora. *IV*. Sacrum Liberi. Feriæ Vertumni.

NO-

NOVEMBRIS *Cal.* Jovis epulum. *IV. Idus*, Limna Baccho. Hôc etiam menſe Antheſteria ſive Bacchanalia Celebrata. *Prid. Id.* Choës *Id.* Pithœgia. *XVIII. Cal. Decembr.* Chytra. *VIII.* Brumalia. Fiebant hôc menſe inferiæ Gallis defoſſis, & Græcis in foro boario.

DECEMBRIS *Cal.* Fortunæ Muliebri. *Non.* Faunalia. *III. Id.* Agonalia. *XIX. Cal. Jan.* Brumalia, Ambroſia. *XVIII.* Conſualia *XVI.* Saturnalia. Sigillaria. *XIV.* Opalia *XII.* Angeronalia Plinius H. N. lib. III, c. V. Divalia. Herculi & Cereri de mulſo. *XI.* Feriæ Laribus dicatæ. Compitalia. *X.* Feriæ Jovis. Larentinalia. *IX.* Juvenalis dies. Erat autem December etiam Neptuno ſacer.

Habes hìc, Lector, velut in brevi tabella, ſingula feſta & ſacrificia Stata anniverſaria, præcipuè Romanorum. Ebræi quotidie mane & veſperi ſacrificabant, quod dicebatur קרבן מנחה ſacrificium juge; aliàs עלת תמיד, LXX. Interpretibus θυσία ἐνδελεχισμοῦ, *adſiduitatis:* Joſepho antiqq. lib. III. c. X. καθημερινή; Philoni de vict. ἐνδελέχεια. Videatur Suidas, voce ἐνδελεχισμός. Et vir in ſcientiarum genere paulò eruditiori & φιλικωτέρῳ (Philologiam & lingvarum cognitionem puto) fulgentiſſimus atque primi nominis, Joh. Friſchmuth, cujus firmiſſimam in me benevolentiam ſanctè adoro, diſſ. de Sacrif. c. I. §. 8. Add. Iſing. coll. Hiſt. Quæſt. LIX. §. 3. Immolabant & ſeptimô cujuſque hebdomadis die, qui Sabbatum; & primô ſingulorum menſium die, qui *Neomenia* dicebatur. Ceterùm annua eorum ſacrificia dividuntur in ea,

quæ

quæ ante captivitatem Babylonicam; & ea, quæ poſt illam cœpêre. Illorum I. erat פסח Paſcha, die 14. Menſis Niſan. II. שבועות Pentecoſte, d. 6. menſ. Sivan. III. הג כפורים, Expiationis, d. 17. menſ. Tiſri. IV. Clangoris, זכרון תרועה i. e. memoriale vociferationis, d. 1. menſ. Tiſri. V. התסכות, tabernaculorum, d. 15. menſ. ejuſd. VI. Encæniorum d. 26. menſ. ejuſd. At horum ſeptem numerantur. I. eſt feſtum פורים ſive ſortium, aliàs feſtum Mardochai, adhuc hodie Judæis in uſu, quô in Synagogis pulpita & ſcamna, quoties Hamanis mentionem faciunt, magnô impetu percutiunt, tanquàm percuterent caput Hamanis, de quo peculiari tract. Wilh. Schickardus. II. Feſta Encæniorum ſeu templi dedicationum, ſecundæ quidem d. 3. menſis Adar. tertiæ d. 25. menſ. Caſleu; & quartæ de qua Joſephus A. J. lib. XV. c. XIV. III. Feſtum repurgatæ arcis, d. 25. menſ. Sivan vel Jiar. IV. Feſtum victoriæ Judith, d. 25. m. Caſleu. V. Ignis, d. eôd. VI. ob cædem Nicanoris, d. 13. m. Adar. VII. Feſtum Xylophoriorum. Referenda huc Ebræorum jejunia, aliquot numerô, inter quæ eminet illud, quod d. 10. m. 7. poſt clangorem tubarum in ipſo expiationis feſto, etiam ante captivitatem Babylonicam celebrabatur, cujus mentio fit Jerem. XXXVI. 6. ac hodienum Judæis attentâ devotione obſervatur, quod den langen Tag vocitant. Vide de his omnibus Hoſpinianum de Feſt. Ebr. Marcum Lombardum de Ebr. ritibus, Car. Sigonium de Rep. Ebr. lib. III. Genebrardum Calend. Ebr. Joſ. Scalig. Iſag. chron. lib. I. 6. Alſtedl encyclop. lib. XVII. part. III. Uranometr. c. III.

c. III. Micrælium Synt. Hiſt. Eccl. ſect. II. quæſt. XIII. Iſing. coll. Hiſt. Quæſt. LX. Bucelini nucleum, & alios *

Huc pertinent Lunæ victimæ & litationes apud Ethnicos, quæ noviluniô reiterabantur. Horatius: *Cœlo ſupinas ſi tuleris manus Naſcente Lunâ.* lib. III. od. XXIII. 1. nec non βοῦς ἕβδομος, qui poſt ſex Lunas obſerebatur. Suidas. Vix huc referre auſim Natales vett. dies quibus Genio ſacra facta pulte, fritillô, libis, floribus, thure, vinô. Lamprid. in Severo c. LX. Vopiſc. in Tac. c. IX. Perſius ſat. II. v. 1. ſ.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillô,
Qui tibi labentes adponit candidus annos:
Funde merum genio. - - - -

Imo & libidinoſis actibus; cùm illâ tantùm die impune operam Veneri dare licuerit. Guido ad Terent. Phorm. ex quo Virgilius dilucidatur huc reſpiciens: *Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis, Iôla.* Ecl. III. v. 76. Videntur hæc ſacra eruditiſſimo Caſaubono, Cenſorino, Alex. ab Alex. Boxhornio, Quæſt. XXI. aliiſque ἀναίμακτα; tanquàm veteribus nefas habitum fuerit, demere alteri eô die vitam, quô ipſi adepti eſſent: Quos ita decepit Varro, qui idem ſtatuit in Att. Sed fortè ad eundem cum Lambino, Larium ſacrificio animata eximente, lapidem adlidunt Viri Summi. Eximent mihi ſcrupulum, calculumque meum facile eripient, ſi lapidem antiqvum deſtruxerint, qui conſpicitur Florentiæ apud portam D. Pauli.

Aedi-

* *Vide Faſtem noſtrum I. Exercitationum Hiſtorico-Philologicar. n. V. §. 35. p. 374. ſ.*

Aediculam & Statuas has hoſtiam dedicationi victima natali Auguſt. VIII. K. Octobr. Duæ quæ P. P. immolari adſveta ſunt ad aram, quæ numini Auguſtô dedic. eſt VIIII. & VIII. K. Octobr. immolent. Item natali Ti. Cæſaris perpetue acturi Decuriones & populus cœnarent; quam impenſam Q. Caſcellio Labeone in perpetuo pollicenti, ut gratiæ agerentur munificentiæ ejus; eoque natali, ut quotannis vitulus immolaretur. Atteſtatur inſuper Horatius in natali Mecœnatis: *Ara caſtis Vincta verbenis avet immolato Spargier agno*, lib. IV. od. XI. v. 6. Et lib. III. od. XVII. v. 14. *Cras genium merô Curabis & porcô bimeſtri.* Nec obſcurè Juven. ſat. XI. v. 84.

Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente novâ, ſi quam dabat hoſtia, carne.

Hactenus de certis *anni* partibus, menſibus, diebus quibus aræ fumabant, victimæ jugulabantur, Dii munera capiebant. Sequuntur horæ itidem certæ, *dieique* tempus ad id determinatum, quod in Superorum Sacrificiis Primum, ſive mane ſummum fuiſſe, præ aliis magna nos docet meretriculæ apud Plautum querela, Pœn. I. II. 104.

AN. *Nimia nos ſocordia hodie tenuit.* AD. *Quâ de re obſecro?*
AN. *Quia jam non dudum ante lucem ad ædem Veneris venimus,*
Prima ut inferremus ignem in aram. - -

Idem Curc. I. I. 72. *Me inferre Veneri vovi jam jentaculum.* (at pueri Varrone teſte * lib. IV. c. XVII.

* *Ubi id Varro habeat, dicere nequeo. Nam in Re Ruſtica nullus eſt liber quartus, & in de Lat. Lingua nulla unquàm vidi capita, ſicuti nec in Fragmentis.*

c. XVII. mane ſummô jentacula capiebant, hæcque eádem mane vendebantur. Vide Martial. lib. XIV. epigr. ult. Heſiodus : Μηδέ ποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον χερσὶν ἀνίπτοισι lib. β. ἔργ. καὶ ἡμερ. v. 722. Prudentius : *Mane ſalutatum concurritur, omnis adorat Pubes.* hymn. XI. περὶ στεφ. v. 189. Apulejus : *Inchoata lucis ſalutationibus religioſi primam nunciantes horam perſtrepunt.* lib. XI. Metam. Idque boni ominis cauſâ factum Stuckius ait, unde & bonum Oſci *Manem* ſive *Manum* dixêre, de quo videndus Laurembergius in Antiquar. Sed potiorem cauſam adſignat Xenophon : *Semper autem*, inquit, *ſacrificans orditur rem crepùſculô, præſumere ſtudens benevolentiam numinis.* Orat de form. civit. Laced. Ad quæ verba Vir undiquaque doctiſſimus Joach. Camerarius : κνέφας *ſignificat planè crepùſculum* i. e. *dubiam lucem adhuc durantibus vel jam própinquis tenebris. Sed nunc mane orſos fuiſſe ſacrificare Lacedæm. Reges intelligendum, quò diutius, ſi opus eſſet, in re divina placandorum Deûm gratiâ perſeverare poſſent.* in not. Chriſtiani certè adhuc mane rem divinam ordiuntur. Vide de his Caſaubonum ad lib. II. Suet. & prolixè Stuck. f. 11. Foedera quoque ante meridiem percuſſa ad mala omina vitanda; quia poſt meridiem dies & ſol decreſcunt. Joh. Is. Pontanus animadverſ. in Macrobium. Boxhornius, Quæſt. XLIII. Apud Ebræos ſimiliter ſingulis diebus expurgabant ad ſacrificium altare, בקריאת הגבר או סמוך לו בין לאחריו וביום הכפורים הראשתה ולא היתה קריאת הגבר מגעת ש שהיתה עזרה מלאה מישראל i. e. *ad galli cantum, aut non multò citius; aut tardius: Et in die expiationis à media nocte, & in tribus feſtis*

magnis à vigilia prima: Nec inſtabat Galli cantus, quin atrium plenum erat Iſraëlitis. Cod. Joma c. I. §. 8. *Mane* (inquit Sheringham, ad h. l.) *ſacrificabant, quia mens tum purior ſolutiorque exiſtit, nec rebus ullis implicita majori impetu in DEVM fertur.* Unde etiam formulæ apud Ebræos ante tempus mactationis uſitatæ, quas memorat idem Cod. Joma: אמר להם הממונה צאו וראו אם הגיע זמן השחיטה אם הגיע הרואה אומר ברקאי מתיא בן שמואל אומר האיר פני כל המזרח עד שבחברון והוא אומר הן i. e. *Dicebat illis præfectus:* Exite & videte, ſi inſtet tempus mactationis. *Si inſtabat, clamabat ſpeculator:* Coruſcationes! *Matthia filius Samuëlis dicit:* Inluminavit facies totius Orientis uſque ad Hebron? *reſpondebat:* Ita! c. III. Vide R. Sheringham ad h. l. Cod. Tamid. c. III. & ad eum Rambam. Cauſam ejus ſubjungit Joma: ולמה הוצרכו לכן שפעם אחת עלה מאור הלבנה ודימו שהאיר מזרח ושחטו את התמיד והוציאוהו לבית השריפה i. e. *Cur hoc ipſis erat neceſſarium? Quia aliquando fulgente Lunâ diem inluxiſſe exiſtimârunt, & ſacrificium juge mactârunt, ipſumque ad locum combuſtionis adduxerunt.* §. 2.

In inferorum ſacrificiis tempus planè contrarium videlicet Crepuſculum veſpertinum, obſervabatur; ut apertè prodit Callixenus Rhodius: *τοῖς μὲν οὖν κατοιχομένοις περὶ ἡλίου δυσμὰς ἐναγίζομεν· τοῖς δὲ οὐρανίδαις ὑπὸ τὴν ἕω τοῦ ἡλίου ἀνατέλλοντος ἱερεύομεν.* in Alexandr. Eumenidum ſacra *nocte mediâ* apud Aeſchyli & Sophoclis interpretes reperimus. Virgilius: *Dum Stygio regi nocturnus inchoat aras.* lib. VI. Aen. v. 252. Lucanus: *Videt flammiferâ confectas nocte Latinas.*

tinas, lib. V. Pharſ. v. 402. Tibullus: *Nocte ſerenâ Concedit ad magicos hoſtia pulla pedes.* lib. I. el. II. v. 63. Seneca: *Huc ut Sacerdos intulit Senior gradum; Haud eſt moratus, præſtitit noctem locus.* Oedip. III. I. 548. Fuêre & alia nocturna Sacra v. g. Bacchanalia, & ſimilia, etiam Superorum Deorum, turpiſſimarum cædium ac libidinum occaſiones; quæ poſtmodùm prohibita ſunt l. Nocturna. cap. de noct. mul. ſacriſ. ad lud. Tit. de Relig. in XII. Tabb. Myſteria ad formidinem & metum initiatis incutiendum noctu & in tenebris facta, explanat Voſſius lib. VI. Inſt. Orat. c. IV. ſect. 1. Ceterùm *Noctis* vocabulum ne nominare quidem in ſacrificiis licebat, utpote infauſtum & malè ominatum; quod optimè notat Belga Cultiſſimus Joh. à Meyen ad Virg. I. Aen. v. 736. ubi Dido, tametſi nox eſſet, Jovem tamen precatur:

Hunc lætum Tyriiſque diem Trojâque profectis
Eſſe velit!

CAPUT V.

Deorum Ethnicorum innumera multitudo. Ethnicorum quidam quantum de vero DEO viderint? Auctores de ſimulacris deorum. Romani quibus deorum immolârint? Dii Majorum & Minorum gentium: Dii Conſentes: *Eorum numerus.* Dii ſelecti. *Voſs I labſus.* Dii Minuti & Minuſcularii. *Inferis cur ſacrificatum? κα-*

θαῤῥισμός. Gentilium de Cometis opinio: Bodini ſententia vituperatur. Dii communes; ἄζωνοι; publici; tutelares. Dii Novenſiles *unde dicti? Heroibus cur ſacrificatum? VoſsI oſcitatio.* Dii Semones. *Dæmones unde? Steuchi apud Gyraldum etymon rude. Vitiis ſacrificare vetitum. Cæſaris locus expenſus. Dii quidam Germanorum.* Zerneboch: Tibilenus. *Varia apud Tertullianum lectio. CluverI nimius in Germanos favor rejicitur. Impp. inter deos: diviniš adficiebantur honoribus. Lectio in Mamertini paneg. rejecta. Statuarum regalium genii. Per genios Impp. jurabant.* Honor *pro ſacrificio: Ejuſdem ſignificationis* τιμή. *StuckI ceſpitatio: ManilI ætas: Gyraldus contra Scaligerum defenditur. Gevartio, Voſſio, aliis, abſentitur. In ingreſſu Principum ſacrificatum. Impp. imagines inter Lares cultæ. HoratI locus difficilior dilucidatur. Auguſtæ inter deas. Similiter apud Germanos reges inter deos. Brenni etymon verum, & alia exploſa.* Brenn *vox obſoleta. Inventores artium ac Patroni inter deos. Verſus VirgilI explicatur. Proverb.* Nemo benè meritò *&c. Pontificiorum* δουλεία *ac* ὑπερδουλεία *ex Gentiliſmo orta*

Dii

Dii indigetes. *Lares publici quinam? Tyrannis & ſceleratis ſacrificatum: Item amicis & conſangvineis. Animæ poſt mortem dii. Inferiæ: Exequiæ.* Feralia *unde dicta? unde mortuis peracta? Sacrificium* Novendiale. Exverriæ. *Feriæ* Denicales. *Roma divinis honoribus à quibuſdam mactata: Ei templa erecta: Sacerdotes conſtituti. Fontibus ſacrificatum, & cur? Fontes Genii: Sacri. ServI adducitur ratio, quæ Lipſianam præponderat. Ad fontes & fluvios Nymfarum effigies cum inſcribtionibus: necnon alia ſimulacra. Pontes ſacri: Sublicii Romæ materia, & varia nomina: Tiberini curatores. Sacrificatum arboribus: & montibus. Plures ſimul dii invocati.* ἅμα σὺν ναοῖς καὶ βωμοῖς, *proverb.*

Indagabimus nunc gumias & catillones iſtos ligurientes, victimarumque adpetentes, quibus hæ ſubinde procidebant. Neque temerè quis poſſet

Vatibus ut mos eſt, centum ſibi poſcere voces,
centum ora, & centum lingvas optare,

lapides, & ligna, & truncos, & metalla, & herbas, & beſtias, & Deos Deaſque, quibus tot ſacrificârunt gentes, tot populi, tot civitates, tot familiæ, tot homines, recenſiturus. Verè aureus ille Aurelius lib. I. contra Symmach. v. 296.

 Quic-

Quicquid humus, pelagus, cœlum mirabile gignunt,
Id dixêre Deos: colles, freta, flumina flammas.

Boxhornius: *Tot*, inquit, *dii prodiêre, quibus recenſendis non ſufficiunt numeri omnes arithmeticorum.* orat. de Theologia paganorum. Heſiodus, teſte Euſebiô, 30000. Deorum in terris fuiſſe teſtatur, quorum mortes & ſepulturas Euemerus, conlectis undique ipſorum Epitaphiis, conſcribſit; auctores ſunt Cicero & Lactantius. Auguſtinus 300000. Idolorum numerat. Illa apud Virgilium Sacerdos, *Tercentum tonat ore Deos.* lib. IV. Aen. v. 510. Emunctioris verò naris gentiles unum vidiſſe Deum ferè oſtendit Voſſius de Idol. lib. I. c. II. De quo omnes fermè Ethnicorum, ſententias contulit Schedius de Dîs Germ. lib. I. c. XII. Et Vir Excellentiſſimus *Martinus Beer*, qui me ſtudiaque mea inſigni amore complectitur, & ſubinde adjuvare nititur, Ariſtotelem & Platonem Deum unum, & nobiliſſimas ejus qualitates ſciviſſe & agnoviſſe adſignat in diſp. quadam Philoſ. c. II. §. 11. & ſeqq. Sed de Diis in genere alii videri poſſunt. De Statuis & imaginibus Deorum citatur liber Porphyrii apud Stobœum: Item Euemeri Meſſenii & Jamblichi apud Diodorum Siculum, Athenæum, & Euſebium. Vide Holſtenium in vit. PorphyrI c. IX. Et etiamnum de iiſdem extat Albrici libellus: Itemque Vincentii Cartari ſupplementô auctus à Laurent. Pignorio. Nos ad rem i. e. ſacrificia, quæ vel Diis offerebantur, vel Deorum locô habitis.

Romani iis tantùm, quos majorum gentium vocabant, Heroibuſque & paucis aliis ſolemniter ſacrificabant. Hoc ita vult lex XII. Tabb. DIVOS, ET EOS QUI COELESTES SEMPER HABITI, CO-

COLVNTO. ILLOS, QVOS IN COELVM MERITA VOCAVERVNT HERCVLEM, LIBERVM, ÆSCVLAPIVM, CASTOREM, POLLVCEM, QVIRINVM. ET ILLA, PROPTER QVÆ DATVR HVJVSMODI ADSCENSVS IN COELVM: MENTEM, VIRTVTEM, PIETATEM, FIDEM; EARVM LAVDUM DELVBRA SVNTO. cap. de dupl. Deorum genere Tit. de Religione. Nota hîc differentiam inter Deos *Majorum* & *Minorum gentium*. Illi vocabantur, quoque * *Conſentes* quaſi Conſentientes. Lapis Spoleti: CONSENTIO. DEORVM. Engedini Tranſſilvaniæ: J. O. M. CETERISQVE. DIS. CONSENTIBVS. In diœceſi Eiſtetenſi: J. O. M. DIS. DEABVSQ. PVB. CONSENTIB. Erantque hi XII:

Juno, *Veſta*, *Minerva*, *Ceres*, *Diana*, *Venus*, *Mars*, *Mercurius*, *Jovis*, *Neptunus*, *Vulcanus*, *Apollo*.

Addebantur his Octo alii; inter quos fuêre Janus, Saturnus, Orcus, Liber: Et Varro XII. alios deos Conſentes inducit. Ab hiſce omninò differebant dii *Selecti*, ut probat Vir ſuô ævô ſine pari Lilius Greg. Gyraldus, ſynt. deorum I. p. 19. atque adeò cespitat ſummus Voſſius quando *Conſentes* & *Selectos* deos jungit. Dii Minorum gentium aliàs vocabantur *Minuti* & apud Auguſtinum *Minuſcularii*; licet alii legant *Munuſcularii*, alii *Numuſcularii*. Vide Gyrald. ſynt. I.

* *Multis his de diis agentem vide Henr. Kippingum, Antiqvit. Roman. c. I. §. I. IX. X. ſ.*

Inferis, ne nocerent, immolabatur; e.g. Si quis à morbo convaluiſſet, immolabat inferis, quòd eum non perdidiſſent, illudque ſacrificium καθαρισμὸς adpellabatur. Inferi enim omnium malorum auctores credebantur, ceu id ex Sophoclis Electra facilè cognoſcas. Pertinent etiam ad DEOS Sidera, Aurora, Ignis, Aër, Meteora, Venti, Iris, Nubes, Pluviæ, Grandines, Nebulæ, Rores, Pruinæ, fulgura, fulmina, tonitrua, de quibus Stuck. f. 19. & ſeqq. adde f. 15. & ſeqq. & f. 33. ubi Deos ſingulos, quibus ſacrificatum, aggerat: Item Sched. de Dîs Germ. lib. I. c. III. Ethnici Cometas putârunt animas heroum aut Principum, qualis opinio de anima Juli Cæſaris fuit, teſtibus Suet. lib. I. c. ult. & aliis. Et miramur Bodinum, Virum eximium, tàm gentiliter; vel, ut Voſſius * ait, *tàm Stultè* ſapuiſſe, ut idem crederet. lib. II. Theatr.

Dicebantur autem quidam *Dii communes*, Græcè, ἄξωνοι; qui communiter ab omnibus invocabantur, vel, qui ubique erant. Vide Servium in lib. XII. Aen. v. 118. Lapis Spoleti: JOVI. O. M. FORTVNAEQVE. MELIORI. AVG. ET. DIS. DEABVSQVE. COMMVNIBVS. Hi & adpellabantur *Publici*, erantque præcipuè Jupiter ac Fortuna: Item *Dii Tutelares*, & *Dii Patrii* ſive πατρῷοι; de quibus Inſcribtio Romæ in vinea Card. Carpenſis:

ΑΓΑΙΒΩΛΩΚΑΙΜΑΛΑΧΒΗΛΩΠΑΤΡΩΟΙCΘΕΟΙC

Ab

* *Lib. III. de Idololatr. c. IX. quo de argumento nonnulla dixi in parte II. Animadverſion. mear. c. V. §. VI. p. 175. ſ. Qua qui leget, non mirabitur, Bodinum tam* gentiliter, *ut auctor noſter loquitur, ſapuiſſe.*

Ab his diſtingvebantur dii ſingularum gentium proprii. Vide Boxhorn. quæſt. Rom. I. Similes ferè cum illis erant * *Novenſiles*, de cujus nominis ratione variæ ſunt ſententiæ. Inter alia Arnobius: *Cincius*, ait, *numina peregrina ex ipſa novitate adpellata pronunciat. Nam ſolere Romanos, Deos omnes urbium ſuperatarum partim privatim per familias ſpargere, partim publicè conſecrare, ac, ne aliquis Deorum, multitudine aut ignorantiâ, præteriretur, brevitatis & compendii cauſſâ unô pariter nomine Novenſiles invocare.* lib. III. adverſus Gent.

De Heroibus extat Draconis lex: Θεσμὸς αἰώνιος τοῖς Ἀτθίδα νεμομένοις, κύριος τὸν ἅπαντα χρόνον, θεοὺς τιμᾷν καὶ ἥρωας. Oraculum apud Plutarchum jubet τιμᾷν Ἡφαιστίωνα καὶ θύειν ὡς ἥρωι in Alex. Adeoque valde labitur vir ſublimis Cl. Voſſius, quando ſacrificium non fuiſſe in honoribus Heroicis adſtruit de idol. lib. I. c. XII. Cauſſam ſubindicat Heſiodus, τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι lib. I. Oper. & dier. v. 121. Vide Joh. Tzetzæ notas in h. l. Lucanus: *Quaque patet terras inter Lunaque, meatus, Semidei manes habitant*, lib. IX. v. 6. 7. Pharſ. Virg. Ecl. IV. v. 15.

Ille Deûm vitam accipiet, diviſque videbit
Permixtos heroas, & ipſe videbitur illis.

Unde quidam Dii dicti ſunt *Semones*, quaſi *Semihomones*, aliàs *Medioxumi* & *Patellarii*: de quibus Lipſius, lib. II. Lect. Ant. c. XVIII. Gyrald. ſynt.

* *Vide Cœlium Calcagnin. in lib. I. Epiſtol. Quæſt. XXIX. qvem Cl. Voſſ. p. 346. Etymolog. non rectè intellexiſſe videtur. Item B. Kipping. I. Antiqvit. Roman. c. I. §. I. p. 2. 3.*

notis Waſeri, Fabricium origg. Sax. lib. I. Alb. Crantzium, Petrum Albinum, Sardum, Irenicum, Middendorpium, Helmoldum, Adamum Bremenſem, Methodium Pienenſem, Sabinum, Enzelium, Emſerum, quos poſteriores citat Stuck. p. 162. & ante omnes Eliam Schedium de Diis Germ. Colebant & Germani malum deum, ſuâ lingvâ *Diabol* ſive *Zeerneboch*. i. e. nigrum deum adpellatum. Helmold. lib. I. Chron. Slav. c. LIII. Forſitan ille eſt, cujus meminit Tertullianus in Apolog. ut præſidis Norici. quem vocat *Tibilenum* i. e. Teuffel; ubi alii legunt *dius Belenus*: alii *Belenus*; qui fuit Apollo teſte Herodotô, lib. VIII. Extat nomiſma Cunobelini regis Britannorum, à deo nomen habentis, quod Belenum citharam pulſantem oſtendit. Vide Sched. I. c. VII. Cluverius nimis tribuens majoribus noſtris, Germanos priſcos unum, verum, æternum deum ſub ſolis Lunæ atque Ignis numinibus ait coluiſſe; ideoque rectè refellitur à Voſſio de Idol. lib. I. c. XXXVII. & Meibomio ad ὅρκον Hippocr.

Adnumerabantur Diis Impp. cùm vivi, tùm mortui, ideoque divinos capiebant cultus. Muretus: *In Græcorum commentariis reperio Dei nomen quinque ferè modis uſurpari ſolere, ut modò Sapientes homines, modò reges ac potentes deos vocemus* &c. comm. in Catull. p. 55. Hauſit ex Joh, Tzetza, qui talia commentatur ad init. l. I, Heſiod. Operum ac dierum. Cyprianus: *Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud ſuos poſtmodùm etiam in morte cœperunt. Inde illis inſtituta templa, inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expreſſa ſimulacra, quibus & immolabant hoſtias, & dies feſtos dando*

lætus honore. Et lib. I. Aen: v. 53. *Aris imponit honorem.* ibid. v. 339. *Haud equidem tali me dignor honore.* Eod. libr. v. 636. *Divum templis indicit honorem.* Id. lib. III. Georg. v. 336. *Sæpe in honore Deûm medio ſtans hoſtia ad aram.* Idem. lib. III Æn. v. 118. *Meritos aris mactavit honores.* Ibid. v. 547. *Juſſos adolemus honores.* Vide Serv. in lib. I. Aen. Symmachus: *In honore Numinum.* lib. VIII. ep. XXVI. Nec aliter Græci περὶ τῆς ἐκ θεῶν τιμῆς. Ariſtides in Panathen. Ammonius: θύεσθαί ἐστιν ἐπὶ τιμῇ θεοῦ, καὶ τὸ μαντεύεσθαι ἐπὶ τιμῇ διὰ σπλάγχνων θύεσθαι φαμὲν i. e. θύεσθαι *eſt in ſacrificio Dei; & vaticinari in ſacrificio per exta* θύεσθαι *dicimus.* Ubi Stuckius τιμὴν perperam propriè & ſimpliciter vertit *honorem.* f. 117. Vide plura apud Juretum & Schonſlederum in appar. Eloq. voc. *Sacra.* Mithridates vivus ac videns divinis adfectus honoribus. Cicero orat. pro L. Flacco. Ovidius lib. III. de Pont. el. I. v. 161. ſ.

Sed prius impoſito ſanctis altaribus igni
Thura fer ad magnos vinaque pura Deos,
E quibus ante omnes Auguſti Numen adora,
Progeniemque piam, participemque thori.

M. Manilius, aliis C. Manlius, aliis M. Mallius dictus, aſtrologiæ ſcribtor Poëta, longéque alius ab illo aſtrologiæ conditore, cujus mentionem injicit Plinius, lib. XXXV. c. XVII. & Mathematico, cujus idem meminit, lib. XXXVI. c. X. Quidam ineptè Romanum putant; alii non ſaniùs Antiochenum: Alienigenam certè ac peregrinum fuiſſe ex Trapolini numo probant, in quo effigies ejus habitu peregrinô, cum Sphæra Aſtronomica, & inſcribt: C· MANLII Quod unicè etiam contendit Gyraldus, ac proindè

â Joſepho Scaligero ſuperciliosſam, ſatis immerens limam patitur. Floruit Tibulli, Propertii, & Naſonis temporibus ſub Auguſto: utcunque tantô impetu refragetur J. Gevartius, lib. III. Papin. lection. c. VIII. protruſurus eum ad TheodosI ævum, ſeculum ſcil. IV. Ille neſcio quot aheneorum argumentorum plauſtris, partes ſuas fulturum ſe promittit: quæ hactenus nondum ad me pervenêre; ambigo an etiam in lucem? Facile tantis phaleris Attalicisque pollicitationibus in ſuam ſententiam attraxit Viros aliquot clariſſ. inter quos Voſſius, quem vide de Idol. lib. III. c. V. & de art. Gramm. lib. II. c. XXVI. qui tamen poſtremò in alteram ſententiam magis propendere ſe fatetur lib. de poët. Latin. p. 36. Ego â Scaligero & Gyraldo abſcedere cogito, dummodò priùs Gevartius nodos hoſce ſolverit, & ſeqq. Manilii loca (poſſemus adferre plura, niſi properare juberemur) enucleaverit. lib. IV. v. 663. ſ.

Virgine ſub caſtâ felix terrâque marique
Es Rhodos, hoſpitium recturi Principis orbem:
Tuque domus verè ſolis, cui tota ſacrata es,
Cum caperes lumen magni ſub Cæſare mundi.

Et, quæ ſimul ad præcedentem quoque ſcopum faciunt lib. I. v. 7. ſ.

Hunc mihi tu Cæſar patriæ princepsque paterque,
Qui regis Auguſtis parentem legibus orbem,
Conceſſumque patri mundum Deus ipſe mereris.

Lib. IV. v. extr.

Jam facit ipſe Deos, mittitque ad ſidera Numen
Majus, & Auguſto creſcit ſub Principe cœlum

Rurſus lib. I. v. 444.

Una

Uno vincuntur in aſtro
Auguſto, ſidus noſtro quod contigit orbi;
Cæſar nunc terris, poſt cœlo maximus auctor.

Ad quæ Senatus Critici Princeps Joſ. Scaliger: *Alludit ad præſentes honores divinos, quos Romani vivô Auguſtô habuerunt* &c. Vide de Impp. ἀποθεώσει & conſecratione Martial. de ſpecta c. epigr. XIX. Item aureas Savill notas, quas ex Anglicano in Romanam lingvam Iſaacus Gruterus tranſtulit, in lib. I. Hiſt. Tacit. p. 55. & ſeqq. Choulium, lib. de la religion des anciens Romains p. 76. & ſeqq. Voſſium de Idol. lib. III. c. XVI. & XVII. Præcipuè verò vivis ac præſentibus ſacrificabatur, ſi quando ingrederentur urbem. Tacitus de adventu Vitelli: *Cæſis victimis regium in morem.* lib. II. Hiſt. c. LXX. 3. In reditu Trajani *plena altaribus, auguſta victimis cuncta fuiſſe* Plinius auctor eſt in Paneg. c. XXIII. 5. Ideo Imperatorum inter Lares imagines cultas prorſum atque ſine dubio adfirmare auſim: In ſubſidium inclutam quandam, & antiquitatum omne genus refertam Bibliothecam voco, in quâ icunculæ ex ferro, aut hujuſmodi certè metallo fabricatæ ſervantur, ſuperſtitioſæ Gentilitati pro Laribus adoratæ: Quarum alteram ſvetô Romani Imperatoris habitu exſculptam obſervavi; & in gratiam tui, Lector! æri inciſam capiti huic præfixi. Eleganter hìc inradiatur Horati locus lib. IV. od. V. v. 31. ſ. ad Auguſtum, circa quem tot ejus interpretes palpârunt:

- - - - - Alteris
Te menſis adhibet DEUM!
Te multâ prece, Te proſequitur mero.

Defu-

Defuſo pateris, & Laribus Tuum
Miſcet Numen. - - - -

Quin & Auguſtas cepiſſe victimas docet Voſſius de idol. lib. I. c. XII.

Neque Germani reges principeſque ſuos in deorum conlocare numerum dubitârunt, de quibus Tacitus: *Celebrant carminibus antiquis, Tuiſtonem deum, & filium Mannum, originem gentis, conditoremque*; de Morib. Germ. c. II. 3. Sed Voſſius per *Tuiſtonem*, deum; per *Mannum*, Adamum; per Iſidem (quæ ſimiles apud eos cepit honores) Evam, retentâ ſcil. voce Ebræâ אשה, Germanis intellectos ingenioſè conjicit de Idol. lib. I. c. XXXVIII. Pertinent huc dii, olim reges, *Porevithus*, *Rugievithus*, *Flintz* à rege Fizlau / vel Flizzau &c. Eorundem idolum *Prono* repræſentavit Brennum ducem manu ſtrenuum, dignumque tali nomine. Quamvis enim, quidam ita dictum autument quaſi Brenner, qui hoſtes igne domat; alii quaſi Berenner, i. e. invadentem, adorientem: Veriſſimè tamen eſt ab obſoletâ voce. Brynn vel Brenn, i. e. galeâ; unde Brennio galeatus, ceu acutiſſimè ſentit chori critici fax fulgentiſſima, JCtus eminentiſſimus JOH. STRAUCH, diſ. III. in Tacit. Morib. Germ. c. III. §. 6. Habet eam Otfridus, qui circa initium ſeculi IX. vixit, in Euang. quô hactenus non extat antiquius ſcribtum Germanicum, lib. V. c. I.

Iſt uns thas girüſti
Brunia ala feſti;
Joh iſt uns Helm-ouch ubar thas
Joh Waſan ala Waſaz.

Diſciplinarum atque artium inventores; Bene meriti

ac

Digitized by Google

ac Patroni etiam, inter Divos habiti. Maximus Tyrius: ἥρωες μὲν θύουσι καὶ ἀνθρώποις ἀγαθοῖς diſſert. XXXVIII. Philo: οἱ παλαιότατοι τῶν βαρβάρων, ἐξαιρέτως δὲ Φοίνικές τε καὶ Αἰγύπτιοι, παρ' ὧν καὶ οἱ λοιποὶ παρέλαβον ἄνθρωποι, θεοὺς ἐνόμιζον μεγίστους τοὺς τὰ πρὸς τὴν βιωτικὴν χρείαν εὑρόντας, ἢ καὶ κατά τι εὖ ποιήσαντας τὰ ἔθνη. εὐεργέτας τε τούτους, καὶ πολλῶν αἰτίους ἀγαθῶν ὡς θεοὺς προσεκύνουν. in prolog. Euſeb. in I. Præpar. Euang. Minucius Felix: *Unaquæque natio conditorem ſuum, aut ducem inclytum, aut reginam pudicam ſexu ſuô fortiorem, aut alicujus muneris vel artis repertorem venerabatur, ut civem bonæ memoriæ* &c. *Lege Hiſtoricorum ſcribta, eadem mecum recognoſces, ob merita virtutis aut muneris Deos habitos.* in Octav. Quô ſenſu ait Virg. ecl. I. v. 42. *Præſentes alibi cognoſcere divos* i. e. fautores, benefactores; queis tanquam Diis ſacrificia oblata. Aegyptii Zamothin Pythagoræ diſcipulum coluêre; M. Mario thure & vinô Romana plebs ſupplicabat: Seneca, lib. III. de Ira c. XVIII. Memorabilis, quam recenſet Plutarchus, hiſtoria: *Navis piratica adpulit ad Inſulam Ithacenſem in qua forte fortunâ ſenex quidam erat, unà cum cadis fictilibus, plenis pice. Pyrrhias quidam Ithacenſis, ut opinamur, negociator, ſenem, datô pretiô, redemit à piratis, non ob id, quòd eô ſibi foret opus, ſed partim quod miſertus eſſet ſenilis fortunæ, partim hominis oratione perſvaſus. Emit autem unà cum ſene cados illos picarios, idque auctore ſene. Deinde profectis piratis, quò Pyrrhiæ gratiam referret ſenex, quòd non ob lucri cupiditatem, ſed ob benevolentiam ſeſe liberum feciſſet, indicavit in cadis multam pecuniæ vim pici admixtam abditam eſſe: Quâ repertâ, cùm Pyrrhias repentè di-*

 vės

ves eſſet redditus, cùm magnificè conlaudavit ſenis erga ſe gratitudinem, tum eidem bovem immolavit officii premium. in Quæſt. Græc. Hinc de homine affatim grato proverbium exiit: *Nemo benè merito bovem immolavit præter Pyrrhiam.* Rugiani ſive Rani talibus divinis honoribus adfecêre S. Vitum; de quo Helmold. annal. Slav. lib. I. c. VI. & LIII. lib. II. c. XII. Saxo Gramm. lib. XV. Talibus Permienſes Stephanum Epiſcopum, ut teſtatur Sigiſmundus L. B. ab Herberſtein comm. rerum Moſcov. Talibus hodiè adhuc animas defunctorum Papicolæ, in quos propterea invehitur Voſſius de Idol. lib. I. c. XLI. Vocabantur autem homines illi, qui poſt mortem colebantur, *dii Indigetes* ab indu & citare, quod nomen Aeneas primus ſortitus eſt, teſte Feſtô: licet Voſſius plurimos Indigetes etiam ante Aeneam recenſeat l. c. I. c. XII. Ita Lares Publici erant animæ eorum, quos in gerenda Republ. merita in cœlum vocârunt, inprimis Regum Principumque defunctorum. Talis Laris publici effigiem, qui erat æreus, eâdemque, quâ lectori proponimus, magnitudine, quemque olim Cl. Boxhornius ab amicorum quodam dono acceperat capiti huic præfigere libuit. Vidimus nuper in antiquario ſplendidiſſimo Sereniſſimi Bojariæ Principis, atque S. R. I. Electoris, Laris itidem imaginem marmoream, quantitate trimuli alicujus, vel bimuli, formâ autem adeò ridiculâ, ut ſtultam Ethnicorum fatuitatem, qui tales adorârunt, non ſatis miraremur. Similiter Tyrannis & Sceleratis hoſtiæ mactatæ. Vide Stuck. p. 26. 27.

Nec minoris fiebant amici ac conſangvinei, niſi quòd plerumque mortuis flores oblati, vina libata. Virg.

Virg. Ecl. V. v. 65.

Sis bonus, O felixque tuis: En quattuor aras:
Ecce duas tibi Daphni duoque altaria Phœbo,
Pocula bina novo ſpumantia lacte quotannis,
Crateraſque duos ſtatuam tibi pingvis olivi.

Mortuorum enim demum animæ Dijs adſcribebantur. Inſcribtio vetuſtiſſima: PORTITORI. PLVTONI. ET. PROSERP. HAVE. JVLIA. C. FIL. MAXIMA. FOELIC. DOM. TORMENT. SALON. ANIMVLA. DULCIS. ANIMVLA. SVAVIS. ANIMVLA. IN. DEORVM. NVMERVM. RECEPTA. VNDE. TALE. QVANDO. TALE. ET. CVI. TALEM. V. A. LIX. MEN. VI. DIES. XII. HORA. NOC. IX. Dicebantur hæc ſacrificia *Inferiæ*, *Exequiæ*, Beroald. ſchol. in Svet. Ner. Item *Feralia*, quibus inferis defunctiſque officia ferebantur, vel, quòd pecudes iis ferirentur. Feſtus. Fiebantque ex redditione certæ certô locô conlocatæ pecuniæ, quod ſatis patet ex inſcribtione Ravennenſi, admodùm detritâ, quam recitant Volaterranus, lib. XVI. Com. Urban. & Blondus Forol. lib. II. Romæ triumf. Pertinent huc *Novendiale ſacrificium*, à nono die à morte ita dictum, quô funerationis ſolemnia fiebant. Porphyr. in Horat. epod. XVII. Donat. in Ter. Phorm. *Exverriæ*, quibus certô ſcoparum genere domus, unde mortuus erat elatus, ab Everriatore purgabatur. Feſtus. * Et *Denicales feriæ*, de quibus Cicero lib. II. de LL. & Columella. lib. II. c. XXII. Adde Berold. ad lib. IX.

* *Lib. V. p. 264. Conf. Kipping. lib. IV. Antiqvit. Rom. c. VI. §. VII. p. 665. ſ.*

Apul. Japonii adhuc ſolemni biduô animas defunctorum advocant, expiant, iiſque epulum exhibent per Bonzios, id eſt, ſacrorum præfectos. Vide Petri Maffei litt. Japonicas lib. III.

Urbis ROMÆ nomini honores divinos tribuiſſe Smyrnæos, Pergamenſes, Athenienſes, Fabricius docet, atque Athenienſem adducit inſcribtionem, quæ ante everſamà Mahomete II. urbem in veſtibulo templi quondam Palladi, poſteà B. Mariæ Virg. ſacri legebatur; Ο ΔΗΜΟΣ ΘΕΑΙ ΡΩΜΗΙ ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΩΙ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟΣ ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΠΟΛΙΤΑΣ ΠΑΜΜΕΝΟΥΣ ΤΟΥ ΞΗΝΩΝΟΣ ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΥ, ΙΕΡΕΩΣ ΘΕΑΣ ΡΩΜΗΣ ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ΕΝ ΑΚΡΟΠΟΛΕΙ ΕΠΙ ΙΕΡΕΙΑΣ ΑΘΗΝΑΣ ΠΟΛΙΑΤΡΟΣ ΜΕΓΙΣΤΗΣ ΑΣΛΕΙΠΙΑΔΟΥ ΑΛΑΙΕΩΣ ΘΥΓΑΤΡΟΣ ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΑΡΗΟΥ ΤΟΥ ΜΩΡΙΩΝΟΣ ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ. Unde ei tot templa erecta: Romæ Victrici, Romæ & Libertati, Romæ & Saluti, Romæ & Veneri i.e. Romanæ Veneri, cui non thure ſolùm, ſed & victimis, auctore Serviô, ſacrificabatur. Vide Mamertini paneg. ad Maxim. Sacerdotes etiam conſtituti. Marmor antiqvum: URBIS. ROMÆ. ET. SALVTIS. SACERDOS. M. TVLLIVS. M. F. CORN. CRATIPPVS. In Veronenſi marmore *Urbis Sacerdos* memoratur Q. CÆCILIVS. Et in Lugdunenſi ADICINVS. VRBICI. F. Vide Fabricl Rom. c. II.

Fontibus quoque & aquis hoſtiæ datæ. Athanaſius: *ἄλλοι ποταμοὺς, καὶ κρήνας, καὶ πάντων μάλιστα Αἰγύπτιοι τὸ ὕδωρ προτετιμήκασι, καὶ θεοὺς ἀναγορεύουσι.* orat. contra Gent. Jul. Firmicus: *Aquam colunt, aquis ſupplicant, aquas ſuperſtitioſâ continuatione vene-*

venerantur. lib. de err. prof. relig. Wilibaldus de Cattis: *Alii etiam lignis & fontibus clanculò, alii autem apertè ſacrificabant*, c. VIII. Horat. lib. III. Od. XIII. v. 1. ſ.

O fons Blanduſiæ, candidior vitrô,
Dulci digne merô; non ſine floribus
Cras donaberis hœdô.

Cauſam ejus rei profert Lipſius; quia nempe *opinio priſca erat fluvios & fontes minores eſſe Deos ſive Genios*; not. ad c. XXVI. paneg. Plinii. Imò habere & continere Genios, qui aquis & fluviis præſideant. Inſcribtio Bonali in Hiſp. FONTIS. AGINEES. GENIO. E. P. CCCLVI. H. S. T. ALEXIS. AQVILEGVS. V. S. L. M. Alia Romæ: GENIO. NVMINIS. FONTIS. SERMON. CHRYSEROS. CAESARIS. NOSTRI. LIB. GANGALA. Vid. Gruterum in inſcribtt. p. 93. 94. Ex eo legitur in inſcribt. Neſcaniæ in Hiſp. FONTI. DIVINO. & Poëtæ fluvios adpellant *ſacros*. Vide Horat. lib. I. od. I. v. 22. Juvenal. ſat. III. v. 13. & alios. Seneca: *Magnorum fluminum capita veneramur, ſubita ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet: Coluntur aquarum calentium fontes; & quædam Stagna, vel opacitas, vel immenſa altitudo ſacravit.* ep. XLI. Et in quibusdam navigare vetitum. Plin. lib. VIII. ep. XX. *Nulla in hoc navis (ſacer enim eſt) ſed innatant inſulæ* Vide Tac. lib. XIV. Ann. c. XV. 2. Aliam tamen rationem in illud Virg. Ecl. I. v. 53. *Et fontes ſacros* &c. Servius ſubnectit. *Nam omnibus*, inquit, *aquis nymfæ præſident.* Nervoſiùs mehercule quàm Lipſius. Frequenter enim ad fontes & fluvios Nymfæ dormientes reperiuntur, innixæ amphoris

 ſuis.

ſuis. Probat hæc aliquibus exemplis Fabricius in Rom. c. XVI. ubi notandæ inſcribtiones ad illa loca, qualis eſt ea in hortulo Colotii:

Hujus Nymfa loci, ſacri cuſtodia fontis,
Dormio, dum blandæ ſentio murmur aquæ.
Parce meum, quisquis tangis cava marmora, ſomnum
Rumpere: Sive bibas, ſive lavère, tace.

Et alibi in fontis margine:

NYMFÆ. LOCI.
BIBE. LAVA. TACE.

Vide Gruterum in Inſcribtt. l. c. Voſſium de Idol. lib. II. c. LXXX. Sed & alia ſimulacra adpoſita, multiplicibus iterum teſtimoniis confirmat experientiſſimus Fabricius l. c. Hinc & pons Sublicius (qui aliàs Aemilius, Herculis, Lepidi, aliquando Marmoratus, quia ê ſolido marmore, dictus). *Sacer* habebatur, ex quo etiam Horatius ſolus adverſus Etruſcorum exercitum pugnavit. Tiberinum pontem Romæ Pontiff. primùm curârunt, deinde Cenſores, Viarumque curatores. Fabricius Rom. c. XVIII. Quò referri debent Fontanalia. de quibus Stuck. f. 24. Eund. ferè honorem Arboribus apud vett. præſertim Indos, delatum monſtrat Cœlius L. A. lib. XII. c. I. Bernartius ad lib. V. Theb. StatI. Sedulius, lib. I. mirabilium:

Arboreis alius ponit radicibus aras,
Inſtituitque dapes, & ramos flebilis orat;
Ut natos, caramque domum, dilectaque rura,
Conjugiique fidem, famulos, cenſusque gubernent.

Necnon Montibus, qui dii exiſtimati, veluti Carmelus, Amanus & alii. Videantur Gyraldus ſynt. I. Voſſius lib. I. c. V. XXXVIII. XXXIX. Stuck. f. 25.

R. Mai

R. Maimonides: הגוים השוכרים את ההרים ואת הגבעות ואת האילנות הנטועין מתחלתן לפרות ואת המעינות הנובעין לרבי i. e. *Gentiles venerantur montes, colles, arbores primò fructuum causâ plantatas; fontes in publicum fluentes.* lib. Akom. c. VIII. §. 1.

Neque verò hoc omittendum; plures Deos, ſi uni ſacrificatum, invocatos, additâ communi clauſulâ: *ἅμα σὺν ναοῖς καὶ βωμοῖς*, quæ poſteà in proverbium exiit.

CAPUT VI.

Sacerdotum ſynonyma varia. Cupentus. Tutuli. *Differunt* Sacerdotes, Sacerdotales *viri*, Sacrati, *&* Sacrandi. *Stuckius ridetur:* ἱεροποιοί. ἱερομνήμονες. ἱερεῖς *unde? Pontiff. Romani: Eorum officium: auctoritas: numerus. Pont. Max. quis? Ejus officium. Pontiff. minores. Etymon Pontificis. Duobus auctoribus velum detrahitur. Pontiff. nomina græca. Rex Sacrorum. Flaminum origo: etymon. Flammæ. Flaminum numerus: Dialis auctoritas & officia. Flamines majores: minores, Flamines Impp. decreti. Flaminii. Flaminulæ. Saliorum numerus & origo: Etymologia.* Saliſubſulus. *Saliorum præſul:*

Synonymia. Saliaria verba. *Ancilia quid, quot, & unde? Mamur I nomen celebre. Panis ſacra apud Romanos prima. Lupercalia. Februata dies. Lupercorum ſolemnia (Euander quis:) Flagellatio: Nominis origo. Galli caſtrati & cur? Duo proverbia explicantur. Galli unde dicti?* Galli *ſignificatio generalis* & *ſpecialis. Caſtratio Samiâ teſtâ facta. Galli cur teſtâ caſtrati? Plinius notatur. Unus Juvenalis, unus Claudiani, & duo Martialis loci excutiuntur. Quædam caſtratio fiebat ferrô, quædam potione, quædam conchâ. Origenes caſtratus. Galli ubi caſtrati? & alia de iis memorabilia.* Gallare. *Archigallus. Gallorum pœna. Galliambus. Corybantum etymon: ſaltatio; galeæ; vociferatio; clangor. Idæi. Dactyli. Augurum initium; auctoritas; numerus. Fratrum Arvalium numerus; origo; nominis ratio. Fecialium officium: etymon: Item Patris Patrati. Pinarii, Potitii.* Βοώνης, βούτης. Θεωροί. Κειθαλόγοι. *Famuli Ideæ matris mendici: Eorum nomina.* Χελιδονισταί: χελιδονίζειν. *Tibicines. Tubiluſtrium. Camilli, Camillæ.* Mercurius *Præſultor. Victimarum ductores varii. Victimariorum officium: Dicti

Dicti ſunt Cultrarii. Popæ quinam. StuckI nævus. Parrhaſius taxatur. Popæ & victimarii differunt. Sacerdotum Ægyptiacorum encomium. Laërtius culpatur & excuſatur. De Magi *voce conjectura. Sacerdd. Ægypt. diſcipuli: Eorum invidia: officia & mores. Tria eorum genera:* Nonni: Nonnæ. *Sacerdd. Ægypt. vituperatio. Ægyptiorum litteræ: Sacerdotum eorund. litteræ: Viſuntur in antiquis monumentis. Triſmegiſtus πολύγραφος. Geſneri labſus. Litteræ Ægypt. etiam aliis notæ: Variè adpellantur: Unde* Hieroglyphicæ *dictæ. Latent in S. Scr. Judaicorum ſacerdd. initium: (Sacerdotia gentilia Beneficia juris Patronatus) Quotuplices? Pont. eorum cur Maximus dictus?* סגן. *Judaicorum ſacerdd. numerus. Cur ex Levitis ſacerdotes? Aaronia ſtirps* ἱεροποιός, *Levitarum etymon. Variæ apud Judæos ſectæ.* כמרים *quinam?* במרירת.

Frequentibus apud omnes Gentes. Dii ſtipati erant miniſtris, qui pro urbe, familia, hominibus facerent, dicti Latinis *Sacerdotes*, *ſacrifici*, *ſacrificuli*, *ſacricolæ* & *Curiones* teſtibus Varrone & Gyraldô ſynt. XVII. p. 461. Apud Sabinos ſacerdos *Cupentus* vocabatur, tradente Serviô, quâ voce utitur

Virgilius, lib. XII. Aen. v. 539. Minorum deorum ſacerdotes in ſpecie audiviſſe *Tutulos* refert Varro. Alii autem erant Sacerdotales Viri, qui nempe ad Sacerdotium adſpirabant, & *ἱερευτῆρες* creari poterant: Alii ſacrati, nempe *μεμυημένοι*, qui in fronte ſtigmata gerebant: Alii ſacrandi. Quàm pueriliter verò Stuckius vir gravis delirat (ſi ſeriò id facit) *Sacerdotis* vocem â *σάκκος* & *κέρδος* derivans, quod ſit quaſi ſaccus quidam lucri, Græcis *ἀρητῆρες*, *θιηκροὶ*, *θύται*, *θυτῆρες*, *θυοσκόοι*, *νεωκόροι*, *ζακόροι*, *θυηπόλοι*, *προφῆται*, *ὑποφῆται*, *μάντεις*, *θεομάντεις*, *χρησμῳδοὶ*, *χρησμολόγοι*, *παναγεῖς*, *τελεσταὶ*, *καθάρται*, *ὑπηρέται*, *ὀργεῶνες*, *τριττύαρχοι*, *χαλαζοφύλακες*, *μυσταγωγοὶ*, *ἱερουργοὶ*, *ἱεροποιοὶ* (ſed apud Demoſth. peculiariter ita nuncupantur, qui ſacra faciebant Eumenidibus præſidibus Areopagi) *ἱερευτῆρες*, *ἱερομνήμονες* (quomodo etiam nominati ſunt, qui ex quaque civitate ad Amphictyonicum concilium mittebantur, ut refert Harpocration). *ἱερεύς*: quæ vox eſt, ut inquit Etymol. ἀπὸ τοῦ *ἵημι* mitto, quia *τὰς θυσίας τῷ θεῷ ἀναπέμπει*; vel ab *ἱερός*. Vide elegantes notulas Joh. Harmari ad Eclog. Sentt. Chryſoſt. p. 85. Jul. Pollucem, lib. I. & VIII. Onom. Ebræis כהנים, item זבחים, & quandoque in S. Literis allegoricè propter multiplices expiationes רפאים i. e. medici. Vide Jerem. VIII. 22. Chaldæis רבחין & כמריא. Vide Stuck. p. 66. & ſeqq. Nec abs re exiſtimo, ſi præcipuos eorum huc adducamus.

Faſtigium occupent PONTIFICES ROMANI, nulli non divûm adſignati. l. 2. XII. Tabb. cap. de hoſt. & obſ. ſacr. Tit. de Relig. Eorum collegium

Numa

Numa inſtituit, & *Max. Pont. Martium*, *MartI filium*, *ex patribus legit ejusque decretis omnia publica privataque ſubjecit*, auctore Liviô, lib. I. c. XX. *Pontifices*, inquit Dionyſius, *magnum apud Romanos Sacerdotium & nomen habent*, *cùm ſint rerum maximarum domini*, *multareque conſueverint*, *quos viderint juſſis ſuis minimè obſequentes*. *Ipſi verò nec Senatui*, *nec populo Romano rationem Sacerdotii ſui reddere coguntur*. Habebant enim in Judicio Juris civilis interpretandi rationem & facultatem, ut colligere eſt ex l. 2. §. Ex his ff. de Origine juris. Eosdem diu præterquàm è patribus creare non licuit. Fuêre ab initio IV. numerô: ſed poſtquàm maximorum quorumque honorum partem plebs tribunitiis rogationibus obtinuit, IV. adhuc alios creari ex plebe Pontiff. placuit: Quicquid Pontifices ſtatuiſſent de Religione, Diis immortalibus. ædibus ſacris, id ſatis ſanctum, auguſtum, religioſum populo Rom. & Senatui viſum eſt. Princeps eorum *Maximus* vocabatua, eumque Regem aut Imperatorem eligi mos erat. decr. Canon. diſt. XXI. Hic ſacrificantes obſervabat, Deorumque cultum docebat; puta, quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fieri deberent. Res omnes ſingulorum annorum mandabat literis, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi ex iis, qui etiamnum *annales maximi* nominantur. Veſtales capiebat, earum curam gerebat, peccantes verberabat, corruptas defodiebat, ægras mandabat matronis, & lictorem adparere è ſacrario Veſtæ egredientibus jubebat, qui ſubmoveret occurrentes meretrices, olveretque, qui ad necem duceretur. Vide Sar-

Sardum de M. & R. G. lib. III. c. XVII. Reliqui *Minores* dicebantur, quorum iterum *Maximus* erat, qui primus in collegium receptus; minimus, qui noviſſimus. Eos; ut Varro ait,, Q. Mutius Scævola Pont. Max. â *poſſe & facere* adpellatos eſſe dicere ſolebat, ſed ea denominatio â M. Varrone haud ſatis probari videtur. Nam is (ut & Dionyſ.) â *ponte & facio* Pontifices adpellatos putat, eô, quòd ab his primùm pons ſublicius factus, ac ſæpe deinde refectus eſſe perhibeatur. Quare videntur â Numa non *Pontifices*, ſed *Sacerdotum Principes* nominati, & inde regnante Ancô Martiô, quando ſublicius pons factus fuit, â ponte; *Pontifices* adpellati; & ideò ſacra ab eis trans Tiberim non mediocriter ad pontem fiebant. Quidam *Pontifices* dici ſcribunt, quòd potentiâ ſacra faciant. Verba ſunt partim Feneſtellæ iſtius perſonati (L. enim Feneſtella LivI temporibus vixit; at libelli, qui hodie ſub ejus nomine circumfertur, auctor genuinus eſt: Andreas Dominicus Floccus, Florentinus, Pontificis quondam Secretarius, homo, ut autumo, tardi & obtuſi ingenii; qui adeò imprudenter ſe & mendacium ſuum. ut ſorex, prodidit, c. V. in fin. Vide Egidum Witſium, præf. in hunc auct. *) c. VIII. partim PomponI † (ſub cujus itidem nomine alîus latere ſcribtum

* *Apud Ger. Joh. Voſſium, lib. I. de Hiſtoric. Latin. c. XIX. extr. p. m.* 110. *ſ: Adde &, quem Voſſius laudat ibi, Lilium Gregor. Gyraldum, Dialog.* IV. *de Poët. col. 232. edit. noviſſ. Lugdun. Batav. M. DC XCVI. in fol. Item part.* III. *Animadverſion. noſtrar. c. I. §. III. p.* 12.

† *Vide iterum Ger. Joan. Voſſium, lib. III. de Hiſtoric. Latin. c. VIII. p. 613. ſ. Rempublicam Romanam, quæ prodiit ex Officina*

btum pauciſſimi nôrunt; eſt tamen profectò fœtus ſubpoſititius, patremque agnoſcit Petrum Calabrum è nobili Sanſeverinate familiâ ſpurium) c. X. Græcis vocati ſuut θιασάρχαι, ἀρχιερεῖς, ἱεροφάνται, ἱεροδιδάσκαλοι, ἱερονόμοι, ἱεροφύλακες, γεφυροποιοί &c. Videatur de his omnibus Philologus Conſummatiſſimus, Magnus JOH. ANDR. BOSIUS, Vir bonis litteris juvandis unicè natus: & ad unguem factus, Præceptor meus exoptatiſſimus, Patronus certiſſimus, tract. aurô cedrôque dignô, quem de his ipſis luci donavit. Adde; H. SalviI not. in vit. Jul. Agricolæ. Raphaël. Volaterr. Henr. Bebelium de Sacerdd. Rom. Gyraldum ſynt. XVII. p. 357. Choulium, p. 263. & ſeqq. Pertinet huc etiam REX SACRORVM, ſive Rex Sacrificulus, qui Pont. Max. ſubjectus erat: Ejus uxor Regina ſacrorum dicebatur. Inſtitutus eſt â Romanis poſt reges exactos, propter ſacra quædam, quæ per regem tantùm celebrari decebat. Vide Plutarch. probl. LXII. cum not. BoxhornI.

Meritò & FLAMINES inter anteſignanos refero, ſingulis divis â Pompilio inſtitutos: Suidas. voc. *Numa*: dictos quaſi *Filamines*, quòd, teſte Feſtô, adſiduô filô circumgyrentur, vel, referente Plutarchô, quaſi Pilamines, ſeu Pileamines, ex pileorum geſtatione, ſine quibus domô egredi nefas ducebant: vel ab infulis, ut prodit Pomp. Lætus, quas *Flammas* dictitant, Fuêre Dialis unus, Martiales duo, Qui-

cina Elzeviriana, CIↃ IↃC XXVI. *in* 12. *p. m.* 117. *ſ. ubi varia hujus Læti encomia libro PomponI de Magiſtratibus Romanis præfixa leguntur.*

Quirinalis unus. Aurel. Vict. de vit. ill. Addebant poſteà Vulcanalem, Furinalem, Palatualem. Falacrem, Viminalem, Carmentalem, Pomonalem, & â Deo, cui ſacrificabant, cognominatos; ita ut ad XV. numerus excreſceret; inter quos tamen Dialis maximæ exiſtimationis erat, ceu legere eſt apud Auguſtinum, Plutarchum, Livium, Macrobium, Agellium, Servium & alios. Ratio eſt, quia Dijovis ſive Jupiter primarius Deorum, Divûm pater, atque hominum Rex. Eum Plinius *Flaminem ſacrorum* vocat. Ille ſolus, ut Varro ait, album habuit galerum: Illum ſalvâ religione nec exercitus armatos videri poſſe ſcribſit Fabius Pictor, nec annulô uti caſſô, nec nodum in veſte habere, non intimam tunicam ſub dio exuere, nec ungi; non capream, carnem crudam, hederam, fabam tangere aut nominare, nec nominare canem aut capellam. nec eqvum contingere, eôve uti, nec farinam fermentô confuſam, mortuumve; nec funeſtam domum ingredi; non vitium propagines ſuccindere, nec jurare, aut ab urbe tribus diebus abeſſe. Capillos huic non detondebat ſervus, eorum & ungvium ſegmina ſub arborem ſiliquam terrâ operiuntur. Vinctus ejus ædes ingreſſus liberatur, & demittitur per impluvium; liberatur etiam ejus pedibus provolutus, & eô die â pœnâ tutus eſt. Mortem non licet obire cum pileo, nec flamen eſſe uxore defunctâ. Hæc ferè Alex. Sardus lib. III. de M. & R. G. c. XVII. Videatur omninò Plutarchus probll. XXXIX. XLIV. L. CVI. CVII. CVIII. CIX. CX. Agellius, N. A. lib. X. c. XV. Feneſtell. c. III. Raphael Volaterr. Bebelius, & Choulius, p. 158. Egregius mehercule

le de Flaminis Dialis electione Taciti locus lib. IV. Ann. c. XVI. 2. *Nec alibi* (inquit ibi Vir *ἀμέτρου ἐξαναγνώσεως* Lipſius) *tâm expreſſi ritus in legendo Diali.* De hoc autem nomine alibì nos, ſi fata, favebunt, agemus. Poteſt interim videri Canterus not. 52. in Peplum Ariſtotelis. Primi tres eorum non niſi ex Patribus legebantur, vocati *majores*; reliqui ex plebe, *minores*. Cœl. L. A. lib. XII. c. VIII. Hujusmodi Flamines neſcio an adulatio an ambitio Imperatoribus vivis defunctisque decrevit v. g. J. Cæſari. Suet. c. LXXVI. Auguſto qui Auguſtales dicti ſunt. Lapis priſcus: NERONI. CÆSARI. GERMANICI. F. TI. AVGVSTI. N. DIVI. GERMANICI. F. TI. AVGVSTI. N. DIVI. AVGVS. PRON. FLAMINI. AVGVSTALI. In inſcribtione Romanâ mutilâ Germanicus dicitur: AVGVR. FLAMEN. AVG. In Hiſpanicâ pro Flamine Auguſtali CÆCILIVS. nominatur FLAM. ROM. DIVORVM. AVGVSTORVM. Vide Choulium, p. 268. & ſeqq. De Flam. Trajani, lapis Brixianus in æde divi Fauſtini. P. CLODIO. P. F. FAB. SVRAE. Q. FLAMINI. DIVI. TRAJANI &c: Tergeſtanus de Hadriani: L. VARIO. PAPIRIO. PAPIRIANO. IIVIRO. I. D. IIVIR. I. D. Q. Q. PRÆF. FABR. ROMÆ. ET. TER. GESTE. FLAM. HADR. Vide de his Dionyſ. lib. I. Liv. lib. I. Varr. lib. I. L. L. Feneſtell. c. V. Pomp. Lætum c. VII. Ludov. Vivem in Auguſtin. de Civ. DEI, lib. II. c. XV. Lipſium in lib. I. Ann. Tac. Gyraldum ſynt. XVII. p. 458. Horum Sacerdotuum miniſtri *Flaminii*; miniſtræ *Flaminulæ* vocabantur,

Ex-

Excipiunt hos SALII, Martis Gradivi ſacerdotes XII, â Numa lecti, quibus alios XII. adjeciſſe traditur Tullus Hoſtilius, creſcentibus tandem ad collegium & collegii Sacerdotum Magiſtratum. Florus lib. I. c. II. Jornandes de R. G. c. V. Victor. de Vir. ill. c. III. Suidas voc. Νυμᾶς. Feneſtella, c. VIII. Dicti ſunt â ſaliendo, quòd quotannis in Comitiis facere ſolebant & debebant; vel, quia cantantes ſaltantesque ancilia Romæ geſtabant. Pomp. Læt. l. c. Ovid. lib. III. Faſt. v. 387. *Jam dederat Saliis â ſaltu nomina ducunt* Horat. lib. IV. od. l. v. 27. *Pede candidô in morem Salium ter quatient humum.* Inde Mars â Pacuvio & Catullo carm. XVII. v. 6. *Saliſubſulus* vocatur, quomodo â Douzâ Camœnæ lib. I. carm. V. & Monachi hend. VII. Alii, teſte eôd. Lætô; â viro Samothrace ſeu Mantineo, nomine Salio, inventore ſaltationis in armis derivant. Primus eorum *Præſul* eſt dictus. Ipſi aliàs vocati ſunt *Ianes* vel *Eani*. Voſſ. lib. IV. c. I. ſect. VII. Inſt. Orat. item *Palatini*, *Agonales* & *Collini*. prodente Dionyſ. Halic. Inſcribtio Rom. P. CAELIO. P. F. &c: SALIO. COLLINO. Vide Choulium, p. 259. Carminis Saliaris obſcuriſſimi meminit Horatius; unde â Sidonio *verba Saliaria* pro obſcuris ponuntur. Ancilia autem ſcuta erant cavatâ ſpecie, habentia latera arctiora, quæ Cal. Martiis per urbem collô ſuſpenſa, ferebant, Martis interim laudes canentes. Lucanus: *Et ſalius letô portans ancilia collô.* lib. I. v. 603. Juvenal. Sat. II. v. 125.

Arcano qui ſacra ferens nutantia loro
Sudavit clypeis ancilibus. - - - -

Uni-

Unicum primò tantùm fuit, quod in regiam Numæ annô IIX. regni ejus è cœlo decidit. Virgil. *Et lapſa ancilia cœlô*, lib. VIII. Aen. v. 664. Vide Servium. In quo, cùm Romani imperii fatum eſſet, ne fortè ſubtrahi poſſet, IX. ſimilia Mamurius fabricavit, Nobilis eâ tempeſtate artifex, mercedis locô non pecuniam, ſed gloriam petens: cujus etiam nomen à Saliis in quorumlibet carminum ſuorum fine recitabatur. Feneſtella. Dictum ancile, vel ab ἄγκων i. e. cubitus, vel, ab ἄκησις, remedium, vel, quod anciſum ſit i. e. undique circumciſum. Ovid. lib. III. Faſt. v. 376. Muretus ἄγκυλον curvum eſſe ait, & inde deduci *ancylia*, *anclare*, *exanclare*, *angulus*, V. L. lib. XIII. c. XVII. Vide not. ult. accuratiſſimi H. Savili. in lib. I. Hiſt. Taciti. J. Lipſium A. L. lib. V. c. XVI. Eorum formam antiquitatum ſtudioſis è duobus obſoletis numis in tabella capiti IX. præfixa litt. F, & U, proponimus.

Sequuntur LUPERCI, Panis, Fauni, ſeu Silvani, Sacerdotes, cui omnium Deorum apud Romanos prima ſacra facta; de quorum origine Plut. in Rom. & Ovid. in Faſt. Hi Lupercalia, ſacrificia & ludos ad expiandos manes, menſe Februariô (unde dies Lupercaliorum XV. Cal. Mart. *februata* dicta) excercebant; perque urbem nudi diſcurrentes mulierum manus fœcunditatis gratiâ hircinâ pelle percutiebant. Vide Boxhorn. Quæſt. XXXV. Juvenal. l. c. v. 142. *Nec prodeſt agili palmam præbere Luperco*; Quod ſolemne Euander (Nota nomen hoc non fuiſſe proprium regis, ſed cognomen ducis fortis; qui, ſicut Paris ἀλέξανδρος, ita ille dictus eſt εὔανδρος. Voſſ. de Idol. lib. I. c. XII.) rex ex Arcadia in

Latium tranſtulit. Erat & alia flagellatio pro fœcunditate, ubi fœminæ Romanæ ipſæ Lupercos accedebant: De ea Choulius: *Et quand les femmes Romaines ne pouuoyent conceuoir, elles aloyent faire leur deuotion au temple de Juno, ſur nommee Lucine: là ou ſe tenoit un Sacerdote Lupercale, qui les faiſoit deſpouiller toutes noues. & proſterner contre terre deuant luy: & alors illes battoit auec ques un fouet, qui eſtoit faict des courroyes du cuir d' un Boue, pour les faire en apres conceuoir*, de relig. vett. Rom. p. 172. Hinc extat æreum nomiſma Lucillæ Antonini filiæ, ubi videtur femina in throno ſedens, manuque tenens flagrum, cum epigraphe: JUNONI LUCINÆ. Dicti ſunt vel â Lupa nutrice Romuli ac Remi; vel â Luere i. e. purgare capris, quæ eô ſacrificiô mactabantur; vel â Lycæo Arcadiæ monte; vel â Pane Lycæo, qui propter lupos arcendos canariô ſacrificiô (cùm naturaliter canis lupo adverſetur) fuit cultus. Fuſè hæc pertractata habes apud Feneſt. c. I. Pomp. Lætum, c. II. Adde Servium in VIII. Aen. Ovid. II. Faſt. Plutarch. probl. LXVII. Beroaldum in lib. IV. PropertI. Gyrald. ſynt. XVII. p. 475.

GALLI, Cybeles matris Deum ſacerdotes. ſemetipſos caſtrabant, unde proverbium: *Gallos quid exſecas?* Et in Cybeles ſacrario factos dici eviratos, ex Syneſio docet Hadr. Junius, cent. I. prov. XXX. ad eos egregiè adludit Martialis lib. XIII. epigr. LXIII. LXIV. Factum illud ideò, quòd Atys puer, quem Dea amavit, virilia ſibi amputavit. Feneſt. c. XII, vel, ut ſignificarent, eos, qui ſemine indigeant terram ſequi opportere, quæ eſt mater Deûm. Auguſtin. lib. VIII. de Civ. DEI. c. XXIV.

XXIV. Brodæus miſc. lib. V. c. XIII. Janus Parrhaſius in lib. II. Claud. de rapt. Proſerp. Aliam tamen cauſam promit ille, qui â Lucillia uxore philtro in furorem adactus eſt, Lucretius lib. II. de R. N. v. 614.

Gallos attribuunt, quia numen qui violârint
Matris, & ingrati genitoribus inventi ſunt;
Significare volunt, indignos eſſe putandos
Vivam progeniem qui in oras luminis edant.

Unde & nomen (quod alii à Gallo flumine Phrygiæ, templo hujus Deæ vicino, & apud quem initiabantur: Alii â primo ſacerdote, nomine Gallo; Junius not. ad Tertull. â גלל i. e. reſecare: alii ineptiſſimè, quòd natione eſſenr Galli.) ſortiti. Gallus enim, teſte Heſychiô, in genere dicitur eviratus, ſpado; quô ſenſu Martialis, lib. I. Epigr. XXXVI. extr.

Nec caſtrare velis meos libellos;
Gallo turpis eſt nihil Priapo.

Peculiariter verò ὁ τῇ μητρὶ τῶν θεῶν ὀργιαζόμενος, & ita dicitur quaſi ἄλλος τις γενόμενος, καὶ μεταβαλὼν τὴν φύσιν ἐξ ἀνδρῶν, καὶ οὔτε ἀνὴρ ὤν, οὔτε γυνή, ut docet Etymol. Caſtratio iſta apud veteres plerumque Samiâ fiebat teſtà. * Strabo, lib. X. Camers in c. V. & VI. Solini. Lucilius de ridicula mariti cujusdam vindicta (ubi verſus ſecundi maculam cum Victorio V. L. lib. XVII. c. XVII. aliis eradendam relinquo) lib. VI. Sat:

Hanc ubi vult malè habere, ulciſci pro ſcelere ejus;
Teſtam ſumit homo Samiam, ibi an unô telô, inquit;
Præceſſit caulem, teſteſque unà amputat ambo.

* *Vide omnino Henr. Kippingium, I. Antiqvit. Roman. c. II. §. ult. p. m. 102. ſ. edit. Bremenſ.*

Digitized by Google

Imprimis verò apud Gallos. Pomp. Lætus; *Galli teſtes Samiâ teſtâ ſibi amputant.* Juvenal. Sat. VI. v. 512.

Bellonæ, matrisque Deûm chorus intrat, & ingens
Semivir, obſcœno facies reverenda minori;
Mollia qui ruptâ ſecuit genialia teſtâ.

Martialis, lib. III. epigr. LXXXI. v. 3.

Abſciſſa eſt quare Samiâ tibi mentula teſtâ,
Si tibi tàm gratus, Bætice, cunnus erat?
Caſtrandum caput eſt; nam ſis licet ingvine Gallus;
Sacra tamen Cybeles decipis: ore vir eſt.

Et ideò maximè teſtâ in caſtrando illis opus fuiſſe conjicio, quia eâ ſibi ipſe Atys teſtes abſtuliſſe dicitur apud Ovid. lib. IV. Faſt. v. 237. *Ille etiam ſaxô corpus laniavit acutô*: Catullus de eodem, Epigr. LXIV. v. 5. *Devolvit ipſe acutô ſibi pondera ſilice.* Arnob. *Rapit Atys teſtulam, & ſub pini arbore genitalia ſibi deſecat.* lib. V. adverſ Gent. Plinius tamen aliam habet cauſam: *Samiâ teſtâ Matris deûm ſacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant; nec aliter citra perniciem, ſi M. Cœlio credamus, qui lingvam ſic amputandam objecit gravi probro, tanquàm & ipſe jam tunc eidem Vitellio malediceret. Quid non excogitavit ars? fractis etiam teſtis utendo ſic ut firmiùs durent, tuſis calce additâ, quæ vocant ſignina.* H. N. XXXV. XII. extr. Confutabunt hæc mox ut falſiſſima Horatius ac Petronius, qui caſtratoribus expreſſè ferrum tribuunt. Majorem certè fidem meruiſſet, ſi *citra dolorem* dixiſſet, quod facile confirmat Plutarchus, vel quicunque auctor fuerit libelli illius de fluminibus, qui refert in fluvio Phrygiæ Sangario (in quem Gallus influit) lapidem

quen-

quendam naſci admirabilem, quem, ſi quis, id quod tamen raró fit, invenerit; caſtrationem, naturæ inimicam atque contrariam, Sacerdotibus illis Gallis uſitatam, æquô patientique animô tolerare poſſe. Stuckius ibi matris Deûm templum fuiſſe exiſtimat Schol. in Arriani periplum Ponti Euxini. Inferri h. l. facile poſſet Juvenalis locus Sat. II. v. 115.

- - - Phrygiò quos tempus erat jam
More, ſupervacuam cultris abrumpere carnem.

Et Claudiani, lib. I. in Eutrop. v. 277.

Cymbala ferre licet, pectuſque inlidere pinu,
Inguinis & reliquum Phrygiis abſcindere cultris.

Exponerem tamen hîc: Teſtaceis aut ſaxeis; non ferreis; cùm & illi non adeò inſolentes fuerint e qualibus * v. g. Judæos aliquando circumcidi Deus præcepit Joſ. V. v. 2. 3. Unde Choulius: *Les Juifs en leurs circonciſions uſoyent de couſteaux de pierre.* p. 321. Poſſent & occini duo Martialis loci, alter, lib. III. epigr. XXIV. v. 5. & 13.

Ut citò teſticulos ſed acuta falce ſecaret &c.
Sic modò qui Tuſcus fueras, nunc Gallus haruſpex.

Alter, lib. II. epigr. XLV.

Quæ tibi non ſtabat, præciſa eſt mentula Glypte:
Demens, cum ferro quid tibi? Gallus eras.

Utrobique *Gallus* generaliter Spadonem, Eunuchum ſignificat. Atque ita aliis ſe caſtrantibus neutiquam

H 3 fer-

* Qvalibus] *Vide Andr. Maſium in Comment. h. l. contradicunt tamen Chriſtian. Becmanus, Bornenſis, p. m. 599. ſ. Origin. Lingv. Latin. Voce Lapis. Maldonatus, Tomô I. Controverſ. Theol. p. 35. Præ ceteris omnibus verò inſpice B Sebaſt. Schmidt, de Circumciſione, part. III. c. III. extr. p. m. 359. ſ.*

ferrum denegamus. Horatius etiam: *Ut cuidam teſtes caudamque ſalacem Demeteret ferrum.* lib. I. Sat. II. v. 45. Petronius ſatyr:

Perſarum ritu malè pubeſcentibus annis
Subripuêre viros, exſectaque viſcera ferro
In Venerem fregêre.

Neque aliis potionem. Ita ἱεροφάνται ſacrorum Antiſtites Athenis cicutæ poculô ſe caſtrabant. Origenes Adamantius, presbyter ille, qui ſex mille tractatus conſcripſit, medicamentô generandi vim ſibi ademiſſe dicitur. Licet Tritthemius nullâ inſtrumenti factâ mentione, ut mulieribus ſecurè auderet prædicare, eum ſe caſtrari feciſſe teſtetur, lib. de Scribtt. Eccl. in ejus vita: Suidas verò evirationem planè reticeat. Plinius mentionem quoque facit conchæ in caſtratione adhibitæ: *Plenam*, inquit, *ventis ſtetiſſe navem portantem nuncios à Periandro, ut caſtrarentur nobiles pueri, conchaſque quæ id præſtiterint apud Gnidiorum Venerem coli.* H. N. lib. IX. c. XXV. Ceterùm Gallorum caſtratio fiebat ad tibiæ cantum, quod ad exſectionem furenti rabie ſtimulabat, ut videre eſt apud Tibullum, lib. I. El. IV. Ovid. in Ibin; & quidem prope fluvium Gallum. Herodianus, I. XI. 7. Φρύγες ὠργίαζον ἐπὶ τῷ ποταμῷ γάλλῳ παραῤῥέοντι, ἀφ᾽ οὗ τὴν ἐπωνυμίαν φέρουσιν, οἱ τῇ θεῷ τομίαι ἱερωμένοι. In iis novem obſervat Voſſius: *Veſtitum, evirationem, capitis jactationem, capillorum inunctionem, inceſſus mollitiem, lacertorum ſectionem, ejulatum, æruſcationem, furorem:* & uberiùs explicat de Idol. lib. II. c. LIII. Hunc, qui imitabantur, *gallare* vocabantur, teſte Varrone. Præcipui eorum dicti ſunt *Archigalli*. Plin. H. N. lib.

lib. XXXV. c. X. Eos delinquentes flagrô oſſiculis contextô punire moris erat, quem indicat Plut. lib. adverſ. Colot. οὐδὲ μάστιγος ἐλευθέρας δεόμενος, ἀλλὰ τῆς ἀστραγαλωτῆς ἐκείνης, ᾗ τοὺς γάλλους πλημμελοῦντας ἐν τοῖς μητρῴοις κολάζουσι. Vide de iis plura apud Auguſtin. c. XXV. lib. VII. de Civ. DEI. Ovid. IV. Faſt. Camertem, adnot. ad Solini c. VII. & ad Claudian. II. Eutr. Gyraldum, ſynt. IV. Voſſium, l. c. & lib. I. c. XX. p. 271. & ſeqq. Ab his nuncupatus eſt *Galliambus*. Vide Muret. in Catull.

CORYBANTAS ejuſdem Sacerdotes Sceptius dictos putat â κορυβᾶν, quòd in ſacris inter ſaltandum capita moverent, more Homericorum βηταρμόνων: Alii â κόρη, pupillâ, quòd cuſtodientibus eis Jovem, apertis oculis dormiendum fuerit. Diodorus Corybantum Laſei & Cybeles filium eis vult nomen indidiſſe. Alii παρὰ τὴν κόρυθα deducunt, quòd galeatis incederent capitibus. Strabo furore agitatos κορύβαντας adpellatos tradit: At Sacerdotes illi in ſacrificiis ſuis cymbalorum, tympanorum, tibiarum, armorum & vociferationum ſtrepitu & clangore (de quo Chytræus ad Buchan. Pſal. LXVIII.) furentibus non erant diſſimiles. Vide Strab. lib. X. Gyrald. ſynt. I. p. 24. Ejuſdem quoque miniſtri erant IDÆI DACTYLI, de quorum numero varias ſententias vide apud Gyrald. ſynt. I.

AUGURIBUS perpetuum Sacerdotii inſigne â Numa conſtitutum eſt (quamvis initia â Romulo ducant) cui quidem tantum auctoritatis & venerationis acceſſit, ut nihil domi foriſque niſi auſpicatò gereretur, & ad ſapientiæ nobilitatiſque primarios id

ſacerdotium deferretur; Illique ſoli, utut ſummorum flagitiorum comperti, tamen ſacerdotiô non moverentur. Plutarch. probl. XCVIII. Creati ſunt initiò tantùm tres, ex tribus ſcil. tribubus Rhamnenſium, Tatienſium, Lucerum; quibus poſteà unus addebatur: tandem ad IV. Patricios, V ex plebe adjecti ſunt. Dicuntur illi ironicè ab Arnobio *interpretes divinæ mentis & voluntatis.* lib. V. adverſ. Gent. Vide Dionyſ. lib. II. Cic. I. de div. Livium, lib. I. c. VI. XVIII. XXXIV. lib. IV. c. IV. XXXI. Ovid. IV. Faſt. Stat. III. Theb. Plin. lib. IV. ep. VIII. tot. cap. LI. XIJ. Tabb. de duob. Sacerd. generibus. Tit. de relig. & in illud Spiegell not. Feneſtell. c. IV. Pomp. Lætum, c. V. Sardum de Mor. & rit. gent. lib. III. c. XVII. Gyrald. ſynt. XVII. p. 459. Choul. p. 248. & ſeqq.

FRATRES ARVALES * Romulus XII. Accæ Laurentiæ inſtituit, de quo Agell. lib. VI. c. VII. Ejus collegii inſigne fuit ſpicea corona. Id. ibid. Plin. H. N. lib. XVIII. c. II. Dicti ſunt *Fratres* quòd primi Accæ eſſent liberi; *Arvales*, quòd pro arvorum fertilitate facerent. Plura de iis habet Macrob. lib. I. Sat. c. X. Varro, lib. I. de L. L. Plut. probl. XXXIII. Lactantius, lib. I. c. XX. Feneſt. c. III. Pomp. Læt. c. IV. Gyrald. ſynt. XVII. p. 459.

FE-

* Arvales ſacerdotes, *inquit Cujacius,* X. *obſ. c.* XXXIV. *& lib. XI. c. V* οἱ περὶ ὅρων δικασταὶ terminorum ſacrorum & finium jurgiis terminandis præerant & interveniebant.

FECIALIUM officium erat ferire fœdus, & indicare bellum: Eos dictos putant alii â fide, unde & malè quidam fœdus deducunt; alii â faciendo. Adi Plut. probl. LXII. Agellium, lib. XVI. c. IV. Dionyſ. lib. II. Feneſt. c. IX. Pomp. Læt. c. IX. Ex hiſce Fecialibus PATER PATRATUS creabatur, qui fœderi ſanciendo tantùm præerat, â patrando nuncupatus. Eum Serv. Principem Fecialium ſtatuit. Vide Plut. probl. LXI. Liv. lib. I. c. XXIV. Agell. loc. cit. Serv. ad lib. IX. Aen. v. 53. Feneſt. c. X. Læt. c. IX. DE PINARIIS & POTITIIS Herculis Sacerdotibus fusè Fen. c. II. Lætus. c. III. Item Feſtus, Dionyſ. Halic. lib. I. Varro, lib. I. de L. L. Macrob. lib. III. c. VI. Livius lib. I. c. VII. lib. IX. c. XXIX. Aur. Victor c. XXXIV. Val. Max. lib. I. c. I. h. XVII. Ovid. I. Faſt. Virg. lib. VIII. Aen. Gyrald. ſynt. XVII. p. 459.

Referri huc non ineptè poſſunt & debent Miniſtri Sacrificiorum v. g. Qui boves ad ſacrificia publica Athenis coëmebant, Βοώνης καὶ ζώτης. Suid. Qui eódem donaria perferebant, Θεωροί. Halic. in Lyſ. Qui primitias, quæ Diis mitterentur, colligebant, κριθολόγοι. Sardus, lib. III. c. XVIII. Qui ad Sacrificia ſtipem emendicabant, quod nemini niſi famulis Idææ Matris licuit ex I. XII. Tabb. præter cap. de Sacril. perjur. inc. Tit. de Relig. Vide ſchol. Spiegell. Dicti ſunt illi Latinè *Aeruſcatores* ſive *Aeſculatores*. Voſſius, Inſtit. Orat. lib. IV. c. VI. Sect. IV. Græcè Μητραγύρται, quomodo proverbialiter homines flagitiis contaminati, præſertim temulentiâ ac libidine, audiebant. Hadr. Jun. cent. IX. prov. XXIII. Vide de iis Gyrald. ſynt. IV. A-

pud Rhodios χελιδονισαὶ ſtipes conrogabant, quod χελιδονίζειν dicebant; tali quidem petendi formulâ; ἦλθ' ἦλθε χελιδὼν, καλὰς ὥρας ἄγουσα καὶ καλοὺς ἐνιαυτούς &c. Item: ἄνοιγ' ἄνοιγε τὴν θύραν χελιδών. Athen. lib. VIII. *Tibicines.* qui laurô redimiti inter ſacrificandum tibiis: *Tubicines*, qui canebant tubis, imô etiam Sacerdotes, Viri ſpecioſi, qui ſacra faciebant tubarum luſtrandarum cauſâ, quæ *Tubiluſtrium* dicta ſunt. Feſtus. *Camilli & Camillæ.* Romulus enim inſtituerat, ut, qui ſine liberis eſſent, gratiſſimos ſibi ſingulos pueros & puellas ex ſingulis curiis eligerent, ut pueri ad pubertatem, puellæ, quoad eſſent nubiles, ſacris miniſtrarent, coronis interdum ſacrificarent, & vittis eſſent redimiti; dicebanturque Camillæ. Tales viſuntur apud Choulium in Veſtalium ſacrificio, p. 237. in monumento, p. 282. in marmore Rom. p. 298. in columna Tajani p. 306. Et in numo tabellæ, quam infra capiti XVIII. præfigemus. Invenias etiam pro *Camillus* ſæpe *Caſmillus* (veluti Oſci dicebant Caſmœna, pœſna, &c.) quomodo aliquando audivit Mercurius deorum miniſter, Vide Gyrald. ſynt. IX. p. 294. & ſeqq. Stuck. f. 73. Cur autem ſacerdotibus pueri patrimi & matrimi ſervierint, vide cauſam apud Boxhornium, Quæſt. XXXIV. Ita ſicut apud Romanos Camillus; ſic apud Samothraces *Mercurius* dicebatur, qui Axiero, Axiocerſo & Axiocerſæ miniſtrabat. Vide Voſſ. de Idol. lib. II. c. LXIV. *Præſultor*, qui in libationibus ſingulis ex ordine procula dedit plena vini ad libandum. Id. f. 134. Pueri, qui victimas deducebant ad aram de quibus infra pluribus. Hoc aliàs etiam *Victimariis* competebat, qui victimas emebant & vendebant,

bant, adducebant & ligabant, dum à Popa peterentur, tenebant, cultrum earum gutturi infigebant (unde & *cultrarii* dicti) easdem mactabant cultri per frontem ductu; aquam, molam, & reliqua neceſſaria parabant, clunadum ſeu thecam cultrariam è zona pendentem geſtabant &c: Vide Stuck. f. 8. 73. Sardum, lib. III. c. XV. Taubm. in Plaut. Perſ. *Popæ* ſacrorum erant miniſtri, ſeminudi & ſuccincti, qui victimas venales habebant, eas aris adligabant, & percutiebant; quos Stuckius malè *cultrarios* nominatos dictitat f. 73. Deceptus fortè opinione illâ, in qua verſatus Janus Parrhaſius, qui popam cum Victimario eundem facit. adnot. in Orat. Cic. pro Mil. Licet Stuckius inter hos diſtingvere videatur; Et reverà diſtingvendi ſunt, cùm huic victimatio vel jugulatio: illi verò Percuſſio convenerit. Alios tamen rurſus in ſolemnibus Sacrificiis adduxiſſe victimas, opinari me jubet Plinius: *cur publicis*, inquit, *luſtris nomina etiam victimas ducentium proſpera eligimus* lib. XXVIII. c. II. Adde Cic. de div.

Ægyptus artium, adnuente Macrobiô, Mater, ſacerdotes protulit futurorum cognitione & cæleſtium rerum ſcientiâ præcellentiſſimos, planéque ἀκοινωνήτες, ob rerum ſacrarum curam â Suida θεραπευτῆρας dictos. Laërtius quidem *Magos* vocat, ſed id nomen Perſarum propriè Sacerdotibus contingit, quod ipſe indicat in procem. vitt. Nam & origine Perſicum eſt, atque eâ lingvâ idem ſonat, quod noſtrâ Sacerdos. Hi quippe Magi περὶ θεραπείας θεῶν διέτριβον, καὶ θυσίας καὶ εὐχὰς ὡς αὐτοὶ μόνοι ἀκουόμενοι &c. Vide Caſaub. exercit. II. ſect. X. Barthium, not. ad Claud, p. 106. Phil Caroli V. L. lib. II. c. VI. Excuſari tamen poterit, ſi conjectura noſtra

ſtra in litteratorum ſchola locum inveniat, quâ exiſtimamus, omnes promiſcuè ſapientes & ſacerdotes apud vett. (velut hodie veneficos) *Magorum* nomine inſignitos fuiſſe. Ita Strabo *Magos Cappadocum* inducit, lib. XV. Plinius, *Nihil habent Druidæ, ita ſuos adpellant Magos*, &c. lib. XVI. c. ult. Ab illis igitur Aegyptiorum Magis omnes ferè gentes, nationeſque religionem accêpere; cùm & Pythagoras, & Thales, & Solon, & Anaxagoras, & Cleobulus cerimoniarum incredendas potentias illîc perdidicerint, ita, ut Mercurius terram illam mundi totius templum adpellet. Vide Am. Marcellinum, lib. XXII. Laërt. in vitt. Juſtinum, lib. XX. c. IV. cum notis Bernecceri. Cum Platone tamen & Eudoxe vix pauciſſima arcanorum communicârunt annos XIV. in Aegypto commorantibus. Suid. voc. *Apollonius*. Exinde â Papinio Memphis audivit *invida*. Hi Sacerdotes propter munditiam virilia circumcidunt (nulla enim ad Sacerdotium apud eos admittitur femina) & abraſione pilorum corpora levigant, ſcribente Herodotô. Adi Cauſſinum ad Horum, lib. I. Hierogl. c. XXXVII. Non tamen radunt palpebras & ſupercilia, quæ cum homine ſimul naſcuntur. Cubant ſuper Bajas i. e. folia palmarum, obliquô ſcabellô capite depoſitô. Abſtinent carne (niſi quòd anſeribus veſcantur, & in plenilunio ſue) piſcibus, ovis, cepis, vinô, lacte, oleô præterquàm in oleribus: Fabas nec videre ſuſtinent, nec ſalem in menſa habere. Fuſiùs de his Porphyrius, lib. IV. περὶ ἀποχῆς. Sardus. lib. III. c. XXXVIII. Hadr. Junius, cent. III. adag. I. Tria autem eorum genera: Prophetarum, κωμαστῶν, & ζακόρων. Vide Syneſium

tmem.

tmem. I. περὶ πτωσίας, Seldenum, de DIS Syris proleg. c. III. Sanctimoniâ præſignes *Nonni* cognominabantur. Cœl. Rhod. A. L. l. V. c. XII. Mox Sacerdotiſſæ *Nonnæ*, teſte Xiphil. in Domit. & poſteà Germanis monialis eine Nonne, Gallisque *une nonne*, aut *nonnain* dictæ. Vide Beſoldum de Natura pop. voc. *Nonne*, p. 73. Verùm Jamblichus religionem illorum merum malorum dæmonum cultum confitetur; parumque laudis ob levitatem meruêre, quæ vitia in eis taxat Hadrianus Imp. cujus epiſtolam legas apud Vopiſcum in Fir. Sat. Bon. & Proc. c. VII. & VIII. Aegyptiorum litteræ fuêre triplices; aliæ profanæ; aliæ Sanctiores, aliæ ad Sacerdotes tantùm pertinentes, ſanctiſſimæ, quas πανδήμυς primùm fuiſſe teſtantur Tacitus, lib. XI. ann. c. XIV. 2. & ad eum Lipſius: Poſteà verò non niſi iis notæ erant, qui ſacris initiabantur. Vide Clem. Alexandrinum, ςρωματ. lib. V. Abenephi Arabem, aut, qui eum adlegat, Athanas. Kircherum, obeliſc. pamfil. Egregiè eas nobis depingit Lucanus, lib. III. v. 222.

Nondum flumineas Memphis contexere byblos
Noverat; in ſaxis tantùm volucresque, ferasque
Sculptaque ſervabant Magicas animalia linguas.

Scribunt quidem, ait Diod. Siculus, accipitrem, crocodilum, ſerpentem, hominis oculum; Accipiter rem denotat citò factam, quoniam hæc aliarum fermè omnium avis ſit velociſſima &c. lib. IV. Addit Tacitus, l. c. antiquiſſima monumenta his notis impreſſa ſaxis conſpici; quod præter Obeliſcos, pergulas templorum, & parietes (de quibus Kircherus l. c. & in Oedipo) etiam exemplô Patrum ante diluvium confirmat Judæus experientiſſimus Joſephus, qui

qui ante diluvium duas diverſæ materiæ * columnas (quas alii Sethum, alii Hermetem τρισμέγιστον, perhibente Kircherô, feciſſe ferunt: Hic teſte Cic. III. de N. D. Aegyptiis litteras quoque & leges tradidit; ſcribſitque, referente Jamblichô, voluminum 25000, vel, auctore Mneſtheô, 36525. Vide Caſub. exerc. I. ſect. 10. †) erexêre: lateritiam unam, alteram lapideam, in quibus totum de conſummatione mundi arcanum inſcriberent, certis animalium & rerum ceterarum figuris. Ant. Jud. lib. I. c. III. Apud Memphim ſcribit Proculus Gramm. auream fuiſſe columnam Aegyptiis litteris in eam ſententiam, *tunc demum liberam fore Aegyptum, quum illuc commeâſſent Romani faſces cum prætexta*, Servatur cum reliquis antiquitatum monumentis MonachI, in regia illa Bojarienſi, in qua ſummum ſpecimen nulli alii uſpiam comparandum ars edidit, Statua (ex cujus diabolum humanâ voce loquutum conſtanter adſcrunt) virgineô aut muliebri ferè cultu, vultum nigra atque togam, cujus dimidiam partem, quaqua vidi, circumnotatis deprehendi variis animalibus atque figuris, quas tamen curioſiùs adnotare anguſtiâ temporis tum non licuit. Alia poſſem interim adducere ubi Aegyptiacæ illæ notæ Inſcribtioni Oſcæ hinc

* *Dixi de his columnis in Faſce meo II. Exercitation. Philologico-Hiſtoricar. n. II. p. 174. ſ.*

† *In primis verò B. Joh. Henr Urſin. qvi peculiarem Exercitationem hoc de Mercurio Triſmegiſto ejuſqve ſcriptis edidit Norimbergæ M. DC. LXI. in 8t. ſicuti & de Zoroaſtre Bactriano & Sanchoniatone Phœnicio. Oppidò ſunt eruditæ hæ Diſſertationes, ut hujus auctoris omnia; doctorumqve Bibliothecis non tam utiles, qvàm neceſſaria planè.*

hinc & hinc inſertæ conſpicere eſſent: ſed adi, ſtudioſe Lector! incomparabilis Poëtæ, cui, quicquid veterum eſt Lyricorum, & inventionis acumine, & carminis lepôre Muſæ Gratiæque longum cedere jubent, Jacobi Balde poëſ. Oſc. p. 64. & ſeqq. Hallucinatur hîc Vir Eximius Cunr. Geſnerus, ſtatuendo litteras has Aegyptiis proprias & peculiares fuiſſe, contradicitque Diod. Siculo, qui eas Aethiopibus; & Caſſiod. var. III. ep. LI. P. Gregorio lib. XVI. de Rep. c. I. n. 6. qui Chaldæis quoque in uſu fuiſſe produnt. Theod. Imp. *ſigna* vocat; Alciatus *Emblemata*, Abenephi Arabs *litteras avium*; Alii *hieroglyphicas notas* àb ἱερὸν & γλύφειν, quaſi rem ſacram vel abſtruſam inſculpere, quod habet Marcellinus lib. XXII. 39. Videantur plura apud. Orum Niliacum, cujus duo extant de his libri. Plutarchum comm. de Iſid. & Oſir. Ammianum Marcellinum lib. XXII. Portam de Occ. not. lib. I. 9. Pierium Valerianum in hierogl. Bolzanium Bellunenſem in ſacris Aegypt. AVGVSTVM, Scribtorem, Dii boni! Auguſtum. cryptom. 7. 15. E S. Litteris tales ferè Hieroglyphicas formari poſſe notas ex Deut. XXXII. 11. 12. Pſal. LVIII. 56. Pſ. LII. 4. Pſal. LV. 22. Pſal. CXXVIII. 3. Proverb. VI. 6. Matth. X. v. 16. c. XXIII. 37. & aliunde colligit Henr. Oræus in virid. Hierogl. ep. dedic.

Apud Judæos primi Deo conſecrati Sacerdotes erant Aaron, cum filiis ſuis Nadab & Abihu, Eleazar & Ithamar, Lev. VIII. 6. 7. 8. Sed & ante hos primogenitos Nohæ filios ſacerdotes fuiſſe, Judæi volunt, huncque primatum vendidiſſe Eſavum Jacobo fratri natu minori, Sardus, lib. III. c. XVIII.

Poſteà

Poſteà perpetuò tota ſimul tribus Levi. Num. III. 1. ſ. (qualia perpetua unius familiæ ſacerdotia *Gentilia*, & *Beneficia Juris Patronatus* hodie adpellantur. Renatus Choppinus lib. I. de S. Politia) Ita autem Sacerdotes illi diſtincti erant: Primum locum obtinebat Pontifex Maxim. כהן הגדול dictus; & הגדול quidem ob quinque cauſſas: 1, quòd maximus fuerit בחכמה ſapientià; 2, בכח robore, propter oblationem & agitationem ſacrificiorum. 3, בנוי pulchritudine. 4. בעשר divitiis. 5, בשנים annis. In Vajikra rabba, gloſſâ in Levit. XXI. 11. ſect. 26. Hunc ſequebantur Sacerdotes minores, in XXIV. Claſſes diſtributi, qui ſacras functiones alternis adminiſtrârunt, vicibus, ſingulæ Claſſes per VII. dies. Tandem Levitæ ſtrictè ita dicti, Sacerdotum miniſtri. Ex his conſtituebatur סגן, i. e. princeps ſacerdotum gregariorum, qui Sacerdoti magno miniſtrabat, ejusque ſi quid aliud eum remoraretur, vices ſuſtinebat; qualis primus factus eſt Moſes, * ut docet Siphra in Paraſath Tſau. Dum Hieroſolymitanum condebatur templum, tot habebant Judæi Sacerdotes, quot litteras, ſcil. XXII. In templo verò Codex repoſtus erat, in quo XXII. Sacerdotum & Patris & Matris nomina extabant. Suid. voc. Ἰησοῦς χριστός Cur Levitæ maximè ad hoc munus electi fuerint, idem docet: *Jacob*, ait, 12. *filiorum pater numerationem à Benjamine auſpicatus, cùm Levim decimum reperiſſet, hunc Deo ſacravit* &c: voc. κλῆρος. Inter hos Levitas non niſi ſolis Aaroniæ ſtirpis ſacrificare conceſſum erat. Id. voc. ὄζίας.

* *De ſacerdotio Moſis lege partem IV. Animadverſion. mear. c. IV. §. VII.*

ὀζίας. Ceteri ſuccenturiati velut erant, & vicariam jungebant operam, quod & nominis origo indicat: לוה enim eſt addi, adjungi. Vide Franci Lex. S. voc. 29. Cunæum de Rep. Ebræorum: ante omnes glorioſiſſimum litterariæ Reip. Dictatorem Seldenum, de ſucces. in pontif. Ad ſacrificia autem certus ſacerdotum numerus deſtinabatur: non plurium quàm duodecim, nec pauciorum quàm novem. Vide Joma, c. II. Sed & ſortiebantur, quis mactaret, quis ſpargeret, quis cinerem ab altari interiori abduceret, quis lucernas purgaret, quis portaret membra ad gradus? &c: Vide l. c. §. 3. Et hæc erat ſecunda ſors. כמרים quinam fuerint nondum ſatis conſtat; Alii Monachos explicant, ut Elias in Thisbi; Buxtorfius *Sacrificulos* vertit; alii Aedituos putant. Seldenus כמרים propriè ſacerdotes deorum Sepharvajim Adramelech & Anamelech fuiſſe: in genere verò aliàs idololatrarum Hierophantas ait ſignare. de DIS Syris, lib. I. c. VI. Nonnulli ubi in S. litteris legitur כמר כומר ſive כמרים interpretantur *Camillos*. Tu omninò adi Voſſ. de Idol. lib. II. c. LVII. & LXIV. & Greg. Greg. Franci Lex. S. voc. 699. Stuck. f. 66. Hodie à Judæis monachos ita nuncupari Cl, Buxtorfius docet, & iisdem כומרית eſſe Monialem. Adde his Judæorum cantores, janitores, Nathinæos i. e. Levitarum miniſtros, Nazaræos, prophetas, ſcribas &c. de quibus Sigonius de R. E. lib. V. c. V. & ſeqq. Inde variæ ſectæ ortæ; Sadducæorum, qui Alexandri M. temporibus introducti, teſte R. Abrahamô in Cabala; Scribarum, Phariſæorum, Hemerobaptiſtarum, Oſſenorum, Herodianorum &c:

Prolixè de his Idem, lib. V. c. XI. & Druſius, Scaliger ac Claudius* Serrarius pecull. tractt.

* *Lege* Nicolaus.

CAPUT VII.

De Germanorum Sacerdotibus quare auctor peculiari capite agat? Druidarum etymologiæ. Plinius caſtigatur. Runen *quid propriè? Convenit planè cum Ebr.* לחש *Pſalmi XLI.* 8. *locus explicatur.* לחש. לחשים. נחש. Magorum *nomen degener: Ut* Druidarum. *Caſauboni explicatio reprobatur.* Dru; Drau. *Etymon quorundam rejicitur.* Truthin *quis, & unde. Druidarum initium: Finis. Medici pro veneficis. Druidæ nobiles: Initiatorum Præceptores:* σεμνόθεοι: *Eorum auctoritas: Druidæ Sacerdotes: Eorum Pontifex, ſacrificia: ritus varii. Plinius inluminatur. Druidarum philoſophia & Theologia. Mendum è Lucano tollitur. Differentia inter* haud & haut. *J. C. Scaliger notatur.* Fahrende Schüler *quinam?* Witdoden: *Eorum etymon. Arci Drutenheim unde nomen? Eubages Philoſophi Germ.* Bardi *Germ. Sacerdotes: Poëtæ: Cantores. Origo hodiernorum ita dictorum* der Meiſter Sängere.

gere. *Diodori locus ab Ortelio & Rhodomanno reſtitutus. Bardorum etyma varia. Bardus rex: Germ. canticorum auctor. Bardi cultri. Vocis* Wort *Etymologia.* Barritus *quid? Reverendus*, Ehrwürdig/ *titulus Sacerdotalis. Barbarum æſtimatio apud vett. Fortuna Barbata apud Rom Ebræorum de Barbis ſententia. Bärtlingi. Gesneri etymon argutum. Tectoſages qui, & unde? Vaties: Eliæ SchedI de iis falſa opinio? Auctoris in hanc vocem conjectura.* Samothei: Miche. *Zarboſtes ſacerdd. Germ. Item* Pileati: *nominis hujus origo. Novum Bardorum etymon.* Bahren *quid? Varia ab eo adhuc derivata & compoſita. Cimbrorum adpellatio unde? Novum Druidarum etymon. Auctor quidam obvelatus detegitur.*

Ingrati civis eſſe exiſtimarem, ſi cùm multarum gentium ſacerdotes inluſtràverim, de ſola tantùm patria tacerem: Digni Germani mei, animæ illæ generoſæ; metus, non cœleſtium, inanes,

Quos agat pennâ metuente ſolvi
Fama ſuperſtes?

Dignum eorum lumen, quod alta oblivio tantis perfudit tenebris, non tamen extinxit, indagatione productiori, quam pauci hactenus accuratiùs in Sacerdotes illorum ſuſcipere auſi ſunt, & peculiari capite.

Primum locum non denegabimus DRUIDIS: Sed unde hoc nomen? Errant Plinius, lib. XVI. c. ult. aliique, qui ἀπὸ δρυὸς id eſt: â quercu deducunt, quòd rem divinam in lucis roborum & ſub arboribus facerent. Adſentior Caſaubono, qui: *Non adſentior*, inquit, *Plinio conjicienti Druidas vel Druides à voce Græca eſſe adpellatos; quin potiùs Strabonis prudentiſſimum conſilium ſequor, negantis in adpellationibus gentium Græcas Etymologias eſſe quærendas.* Hæc ille. Optimè: &, ut ſolet, Vir examuſſim. Quid enim Germanis adeò ex Græca lingva petendum? Alii dictos volunt quaſi d' runende i. e. die runende. Runen ſive Raunen vox eſt ex intimo Germanorum antiquario, ſignificatque magicè ſuſurrare, ſecretò loqui (unde Heros noſter, cui multa vernacula mea, debet, Lutherus, illud Pſalm. XLI. 8. עלי יתלחשו, *adverſus me muſſitaverunt*, propriiſſimè convertit: Rraunen miteinander über mich. לחש enim eſt magicô modô murmurare, vel muſſitandô incantare; unde Idem, Pſal LVIII. 6. קול מלחשים die Stimme deſz Beſchwärers reddit. Vide & Jer. VIII. 17. Ecclеſ. X. 11. Certè לחשים Jeſ. III. 20. quam vocem B. Luther. Ohrenſpangen interpretatur, AbenEzra ait *eſſe characteres aurô vel argentô ſcriptos, formâ vel modô incantationis*. Buxtorfius & Tremellius *amuleta* vertunt. Aliquando tamen לחש in bona ſignificatione ſumitur. v. g. 2. Sam. XII. 19. Jeſ. c. XXVI. 16. III. 3. Idem ferè ſignificatum obtinet verbum נחש; unde & נחש ſerpens, cujus in incantatione creberrimus uſus. Vide Dionyſ. Voſſium ad R. Maim. de Idol. c. VI. §. 2.) quoniam

niam Druidæ magi erant: Et velut Perſarum Magi dæmonibus erant familiares, ut hæc poſtmodùm vox de iis, qui Diabolicas exercerent artes, diceretur, de quo divinus Barthius in Claud. p. 106. Eôdem pactô res ſeſe habuit cum Druidis, qui ſpiritibus erant noti, ut eorum primùm honeſtiſſimum nomen pariter ut Magorum degenerârit, artibusque diabolicis intentum hominem etiam hodienum einen Drüd-ner, eine Drude, adpellitarent. De magis ita auctor Aruk: מגוש בלשון יון מכשף בופר העיקר ואטין i. e. *Magus in lingva Græca eſt præſtigiator*, *blaſphemus*, *negans fundamenta*, *incantator*. Quod tamen non intelligendum (ut oppidò fallitur Vir Summus Iſaacus Caſaubonus Exercit. II. §. IX.) quaſi Rabbi ſententia eſſet, *Magi* vocem origine eſſe Græcam, quam Perſicam Laërtius dicit: Et Porphyrius: Παρά γε μὴν τοῖς πέρσαις οἱ περὶ τὸ θεῖον σοφοὶ, καὶ τούτου θεράποντες, Μάγοι μὲν προσαγορεύονται. Τοῦτο γὰρ δηλοῖ κατὰ τὴν ἐπιχώριον διάλεκτον ὁ Μάγος lib. IV. περὶ ἀποχῆς. §. 16. Sed ita ejus mentem adſequor; Græcos *Magi* nomen (non tanquàm ſuæ civitatis, ſed reverà Perſicæ) in talem hominem projeciſſe, ac in mala ſignificatione primos uſurpâſſe. Aventinus lib. I. ann. & Joh. Picardus Toutrerianus de Celtopæd. lib. II. c. LVIII. â Druyde ſeu Dryio dictos putant, cujus meminit Beroſus, lib. V. antiqq. Schedio placet derivatio è Rabbinico דרושן i. e. Concionator de DIS Germ. lib. II. c. III. Is. Pontanus non malè è Brittannorum linguâ *Try* arbor, & *Wiis* ſapiens deducit; ut eſſent Druidæ Waldweiſen. gloſſ. priſc. Gall. p. 292. Vide

I 3 Eſ.

† *Vide Noſtrum Saubert. in Palæſtr. p. 65.*

Eſ. * Puſendorferum diſſ. pecul. cap. I. Sunt, qui emanare putant â Dru vel Drau i. e. fide; quod eis tanquàm Sacerdotibus fides adhiberetur. Trauen/ vertrauen / eſt cònfidere: adhuc apud Italos *Drudo* amicum ſignificat: einen Trauten / vertrauten; Hinc quoque noſtra terminatio nominum proprior. fœmin. *Adeldrudis*, *Ariodrudis*, *Gerdrudis*, Hinc *treves* hodiernum Gallicum, quod inducias ſignificat. Vide Abrah. Vander-Mylen addit. ad c. XXI. ornatiſſimi tract. de Lingva Belgica, Nihil hîc agunt, qui â *Truthin*, *Druthin*, *Truchthin*, *Trugthin*, *Drughtin*, *Dhruchtin*, *Drihten*, *Drychten*, *Drohtin*, *Druſtin* (toties enim variat) vel *Truuſtin*, quaſi Trau auff den / deducere nituntur; quod propriè ſignificabat Dominum. Lipſius cent. III. ad Belg. ep. XLIV. poſt paganiſmum verò nomen Meſſiæ attributum, teſtibus locupletiſſimis Germanarum divitiarum theſauris Otfriedô, Willeramô, Notgerô, Alfredô & aliis, Unde legimus Druhtins volk pro Chriſtianis; Druhtinesſcalche pro rerum Deo ſacrarum miniſtris; Druhtineshauſs pro templo; Druhtintiche Tage pro die dominica &c: Ita Matthias Flacius Illyricus Druidas, quaſi Trutas, i. e. divinos nominatos adſtruit. Nos in prima radice Dru perſiſtimus, â qua Druhtin / ejuſdem generis ſtolo cum Druidis.

Initia eorum ſi reſpiciamus, quidam â Beleno i. e. Apolline Noricorum deo ſatos autumant. Auſonius in profeſſ. Burdigal. carm. IV. v. 7.

Tu Bajocaſſis ſtirpe Druidarum ſatus,
Beleni ſacratum ducis è templo genus.

E Brit-

* *lege Puſendorſium.*

E Brittannia in Galliam translatos ait Cæſar, lib. VI. de B. G. c. XII. Hector Boëthius lib. I. rerum Scot. Fynnanum, Joſinæ F. X. Scotorum regem, primum ſacerdotes inſtituiſſe tradit, *Durcerglios* dictos, qui apud Hiſpanos *Truduli* & *Truditani* vocantur. Quidam primordia ſua Druidas debere Uſtavo ſeu Iſtævoni, Ingævonis filio, IV. Germ. regi contendunt; alii ejus Patri Ingævoni; alii Hermioni Iſtævonis filio; alii ipſi Tuiſconi; alii Samothi Celtarum regi; alii Sarroni Vide Tacitum in vita Agr. Aventinum, lib. I. Ann. Alſtedium chron. Schol. 30. Middendorpium, lib. VI. Acad. Micrælium, Synt. hiſt. lib. I. ſect. III. Puſendorferum de Druidibus, c. II. Ipſi ſe Druides unà cum ceteris Gallis â Dite prognatos dicebant, ut teſtatur Cæſar, lib. VI. de B. G. c. XVII. Quod neque intellexêre Romani & Græci ſcribtores: Neque Forcatulus, lib. I. de imp. & phil. Gall. Joh. Picardus Toutr. lib. II. de priſc. Celtopæd. & alii. Non enim â Dite ſive Plutone Romanorum ortos ſe aliis perſvadebant; verùm â Deo, quem illi *Diet* vel *Theut* vocârunt, ut laudabiliter notat Puſendorfer. l. c. Unde adhuc nomen Germanicum Dietrich; & Britannis hodiedum *Dyth* æternum ſignificat, teſte Camdenô deſcribt. Brit. Ejecit eos è civitate Auguſtus; Claudius verò planè delevit. Suet. in Claud. *Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantùm civibus ſub Aug. interdictam, penitus abolevit.* c. XXV. quod tamen Plinius Tiberio adſignat: *TiberI principatus ſuſtulit Druidas Gallorum, & hoc genus vatum medicorumque* H. N. lib. III. * c. I. in

I 4 fin.

* *Hunc locum neqvidqvàm ibi qvæſivi. Torrentius in notis ad*

ſin. Medicorum nomine ſic magia eorum indigitatur, quam ſignificationem illius vocis cùm apud alios auctores, tum præcipuè in Jure invenias; de quo, fatis opitulantibus, alibi. Quomodo autem Druidæ ſublati, variè conjiciunt Lipſius, notis in lib. XII. Ann. Taciti. Voſſius, de Idol. lib. I. c. XXXV. Pithœus adverſ. ſubſec. lib. I. c. III. Levinus Torrentius ad Svet. Puſendorf. c. VIII.

Fuêre Sacerdotes hi nobiles. Pomp. Mela ait diſertè, *non ex plebe, ne ex ingenuis quidem, ſed ex prima nobilitate fuiſſe eos, qui ad ſapientiæ arcana, futuraque ſacerdotia admitterentur.* † lib. III. c. II. Et majoris quidem, quàm reliqui nobiles exiſtimationis, quod ex Cæſaris verbis colligo: *Eorum hominum, qui aliquô ſunt numerô atque honore, genera ſunt duo: Nam plebs penè ſervorum habetur locô* &c. *ſed de his duobus generibus alterum eſt Druidum alterum nobilium ſeu equitum.* lib. VI. de B. G. c. XII. Juniorumque Deo conſecratorum Doctores. Cluverius: *Hujusmodi priſcûm Germanorum fuêre ſcholæ, hujusmodi juventutis eruditio; nempe apud Sacerdotes, ubi nulli erudiebantur, niſi quibus ſacrorum arcana committi fas erat.* Germ. ant. lib. I. c. XXIV. quos diſcipulos Aventinus *Sanannos* vel *Scrannos* vocat. Hos oportebat juramentum deponere, quale extat apud Vetium Valentem Antiochenum, lib. VII. Permanebantque nonnulli vicenos in diſciplina annos, intra quod tempus nec exibant, nec Parentibus aderant.

ad Claud. Sveton. c. XXV. adducit Plin. lib. II. c. I. ſed nec ibi habetur: egitur verò lib. XXX. c. I.

† *Locus eſt mendoſè adductus, neqve enim eum in lib. III. c. II. reperire potui.*

erant. Magnum etiam numerum verſuum ediſcere cogebantur. Vide Cæſarem, lib. VI. de B. G. c. XII. XIII. Schedium de D. G. lib. II. c. XVI. Pufendorferum c. VI. Suidas Druidas Gallorum Philoſophos & σεμνοθέους nuncupat: cui non refragatur Laërtius: τὸ τῆς φιλοσοφίας ἔργον ἔνιοί φασιν ἀπὸ βαρβάρων ἄρξαι. γεγενῆσθαι γὰρ παρὰ μὲν Πέρσαις μάγους, παρὰ δὲ Βαβυλωνίοις ἢ Ἀσσυρίοις Χαλδαίους, καὶ γυμνοσοφιστὰς παρὰ δὲ Κελτοῖς καὶ Γαλάταις τοὺς καλουμένους δρυΐδας καὶ σεμνοθέους. in proœm. vitt. princip. Eorum auctoritas vel inde adparet; quod omnium rerum Judices fuerint. Cæſar: *De omnibus controverſiis publicis privatisque conſtituunt. Certô etiam anni tempore in finibus Carnutum (quæ regio totius Galliæ media habetur) conſidunt in loco conſecrato. Huc omnes undique, qui controverſias habent, conveniunt, eorumque judiciis decretisque, parent; &, ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hæreditate, de finibus controverſia eſt, iidem decernunt & præmia pœnasque conſtituunt.* l. c. c. XII. Quôd â militia & oneribus civilibus liberi fuerint. Id: *Druidæ â bello abeſſe conſueverunt, neque tributa unà cum reliquis pendunt: militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. ibid.* c. XIII. Martem etiam conlaturi Germani Druidis jubentibus deſiſtebant; illis, ut & melicis poëtis, tàm hoſtes, quàm amici auſcultabant. Hi enim inter adverſas ſæpe acies, dum ſtrictis enſibus & protentis haſtis exercitus propugnabant, in medium progreſſi, ac ſi beſtias incantamentis cicurarent, prælia dirimebant, teſtibus Strabone, lib. IV. & Diodorô Sic. lib. V.

Agite, perveniamus ad ſacerdotium, ſacrificia, ac

 reli-

religionem Druidarum; de quibus Cæſar: *Druidæ rebus divinis interſunt, ſacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur.* lib. VI. B. Gall. c. XII. Idem, *Adminiſtris ad ſacrificia Druidibus utuntur.* ibid. c. XV. Diodorus: *Mos illis eſt ſacra nulla ſine philoſopho peragere*; lib. V. De Pontifice eorum Maximo, & ratione capeſſendi ſacerdotium, Cæſar: *Ideò omnibus Druidibus præeſt unus, qui ſummam inter eos habet auctoritatem. Hôc mortuô, ſi quis ex reliquis excellit dignitate, ſuccedit; at ſi ſunt plures pares, ſuffragiô Druidum adlegitur: Nonnunquàm etiam de principatu armis contendunt. l. c.* c. XII. Sacrificales quosdam eorum ritus Plinius nobis ſubgerit: *Nihil*, inquit, lib. XVI. c. ult. *habent Druydæ (ita ſuos adpellant Magos) viſcô & arbore in qua gignatur (ſi modò ſit robur) ſacratius* &c. Obiter hic notandum, quod Hotomanus, comm. ad lib. VI. B. G. & Guilhelmus Paradin, Hiſt. Lugd. lib. I. c. XXI. obſervârunt, veterem illam Gallorum conſvetudinem etiam nunc in multis Galliæ locis retineri, cùm anni initiô clamitant. *Au guy l' an neuf.* i. e. ad viſcum annus novus. Redimus ad Plinium: *Jam per ſe*, ſpergit, *roborum eligunt lucos, nec ulla ſacra, ſine ea fronde conficiunt, ut inde adpellari quoque interpretatione Græcâ poſſint Druides videri. Enimverò quicquid adnaſcatur illis, è cœlo miſſum putant, ſignumque eſſe electæ ab ipſo deo arboris: Eſt autem id rarum admodùm inventu, & repertum magnâ religione petitur, & ante omnia ſextâ Lunâ, quæ principia menſium annorumque his facit, & ſeculi, poſt triceſimum annum; quia jam virium abundè habeat, nec ſit ſui dimidia. OMNIA SANANTEM adpellantes ſuô vocabulô. Sacrificiis epulisque ritè ſub arbore præparatis, duos admovent*

Digitized by Google

movent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primùm vinciantur. Sacerdos candidâ veſte cultus arborem ſcandit, falce aureâ demetit; candidô id excipitur ſagô. Tum deinde victimas immolant; precantes, ut ſuum donum Deus proſperum faciat his, quibus dederit, Fœcunditatem eô potô dari cuicunque animalium ſterili arbitrantur; contraque venena omnia eſſe remedio. Tanta gentium in rebus frivolis plerumque religio eſt. Hiſt. Nat. lib. XVI. c. ult. in fin.

Dogmata eorum Philoſophica, & religionis capita ſi requiras, docebit te Diog. Laërt: καὶ φασι, ſcribit, τοὺς μὲν γυμνοσοφιστὰς καὶ Δρυΐδας αἰνιγματωδῶς ἀποφθεγγομένους φιλοσοφῆσαι, σέβειν θεοὺς, καὶ μηδὲν κακὸν δρᾷν, καὶ ἀνδρείαν ἀσκεῖν. l. c. Addit quædam J. Cæſar: *Inprimis*, inquit, *hoc volunt perſuadere, non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios, atque hôc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglectô. Multa præterea de ſideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac poteſtate diſputant, & juventi transdunt.* lib. VI. B. G. c. XIII. Idem hoc memorat Marcellinus: *Inter hos Druidæ ingeniis celſiores, ut auctoritas Pythagoræ decrevit, Sodaliciis adſtricti conſortiis, quæſtionibus occultarum rerum altarumque erecti ſunt, & deſpectantes humana, pronunciârunt animas immortales.* lib. XV. c. X. De Philoſophia morali Strabo: *Eximiò in honore ſunt Bardi, Vaties, & Druidæ: Druidæ præter cauſſarum naturalium ſtudia moralem diſciplinam exercent.* lib. IV. Geogr. Statuiſſe eos mundi creationem, ex Juſtini lib. II. c. I. de contentione Aegyptiorum cum Scythis ob vetuſtatem,

con-

conſtat: Cujus etiam conſummationem per ignem & aquam credebant. Strabo: *Ignem & aquam aliquando ſuperaturos adfirmant*, lib. IV. Reſurrectionem quoque mortuorum futuram edocebant. Ita Deus Flintz eam formam præ ſe ferebat, quâ mortis imago pingi ſolet: ſed longô palliô erat tectus, manu geſtans baculum, cum tumente ſuis veſica: Siniſtrô humerô ſedebat Leo, per quem tandem â mortuis excitandos ſe confidebant. Vide Schedium de D. G. lib. III. c. VII. Egregiè de iis egregius Pharſaliæ Encomiaſta, lib. I. v. 450. ſ.

Et vos barbaricos ritus moremque ſiniſtrum
Sacrorum Druidæ poſitis repetiſtis ab armis:
Solis nôſſe Deos & cœli Numina vobis,
Aut ſolis neſcire datum: Nemora alta remotis
Incolitis lucis; vobis auctoribus umbræ
Non tacitas Erebi ſedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt; Regit idem Spiritus artus
Orbe aliô; longæ (canitis ſi cognita) vitæ:
Mors media eſt. Certè populi, quos deſpicit Arctos
Felices errore ſuô, quos ille timorum
Maximus aut urget lethi metus; inde ruendi
In ferrum mens prona veris, animæque capaces
Mortis, & ignavum eſt reditura parcere vitæ.

In antepenultimo verſu aut coactum, aut nullum video ſenſum. Ita igitur eum emungo: *Maximus haut urget &c*: vel potiùs: *haud* † *urget*; nec ſine grano ſalis. Haut ſiquidem præcedit vocem â Conſonante incipientem; at, ſi ſequens dictio â vocali in-

† *Ita lege in omnibus meis, quæ habeo, exemplis. Quatuor autem numera.*

incipiat, Haud eſt ſcribendum. Celeberrimus Popma de uſu ant. locut lib. I. c. III. Hæc differentia, quamvis hodienum paucis notata, fugit etiam graviſſimum litterarum atque veterum Cenſorem J. C. Scaligerum, quem adi lib. I. de Cauſis L. L. c. XXII. Litteris Druidæ Græcis utebantur: Sed & aliquas proprias habebant; quod præter Aventinum, lib. I. Ann. & P. Crinitum lib., XVII. c. I. de honeſta diſcipl. etiam teſtantur ſereniſſimus ſcribtor Guſt. Selenus in cryptogr. Tritthemi. Joh. Magnus, Hiſt. Svec. lib. I. c. VII. Lindenberg. comm. rerum memorabilium, Schottelius in Gramm. Germ. qui ipſos nobis veterum Germanorum characteres ſiſtunt. Druidas illos, (vel, quod malim, Scrannos) â Germanis die fahrende Schüler i. e. ſtudioſos peregrinantes nominatos fuiſſe, Muſarum filius non ineptè conjicit. Magiam quippe Salamanticæ in Hiſpania edocebantur; tandemque in Chriſtiana Theologia informati Witdoden ſeſe dici voluerunt, i. e. ſapientes amicos, vel philoſophos. Videatur Teutonum Amphion ac Orpheus, Joh. Clajus notis ad Lobred der deutſchen Poet. cum carmine ei præfixo, Viri θεοκράντι, quem, pol! nemo ſatis mirabitur; incomparabilis patriæ columinis, Magni Georgi Philippi Harstorferi, quem de cœlo delabſum præcocia nimis fata cœlo nuper reddidêre; eripiendo ita toti litterato Orbi inreparabile Lumen; meis verò Muſis, proh dolor! Spem firmiſſimam, & Fulcrum invidendum: cujus in me benevolentiam atque humanitatem incredibilem, quâ olim ſtudia mea non ſolùm amuſſitatis conſiliis (præfiſcinè loquar!) ſed & ipſâ ſupellectile librariâ adjuvit, perpetim exoſculabor.

No-

Nobiliſſimis interim favillis, & ſanctiſſimo cineri æternô deſideriô ferale illud: VALE! VALE! VALE! triſtis adclamo. Sed ut ad priora revertamur: Manſit â Druidis nomen arci Drutenheim, ubi eos habitâſſe multi cenſent.

Properamus ad alios, quos producit Ammmianus: *Per hac loca hominibus paulatim excultis viguêre Studia laudabilium doctrinarum inchoata per Bardos, & Eubages, & Druidas.* lib. XV. c. IX. Non tamen *Eubages* in Sacerdotum ſed philoſophorum potiùs ordinem conlocaverim, cùm l. c. dicantur tantùm ſcrutantes ſumma, & ſublimia naturæ pandere conantes. Certiores de BARDIS ſumus, quorum ſic meminit Prudentius: -- *Quem non Bardus pater aut avus augur Rem docuêre Dei.* -- in apoth. v. 364. Commendantur præprimis â cantu: v. g. apud Marcellinum: *Bardi fortia virorum inluſtrium facta, heroicis compoſita verſibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitârunt.* l. c. & apud Lucanum, lib. I. Pharſ. v. 449. *Plurima ſecuri fudiſti carmina Bardi.* Ita de iis Strabo: *Bardi laudationibus, rebuſque poëticis ſtudebant.* lib. IV. Diodorus Sic: *Sunt etiam apud hos carminum melicorum poëtæ, quos Bardos nominant. Hi ad inſtrumenta lyris non diſſimilia, aliorum laudes, aliorum vituperationes canunt,* lib. V. Biblioth. A Bardorum cantionibus his & hodie cantilenarum magiſtri Meiſterſänger videntur perſiſtere Berneggero, Quæſt. in Tac. VI. Videatur de Bardorum cantibus ampliſſimæ famæ Criticus, JCtus nominatiſſimus, JOH. STRAUCH, diſp. I. in Tacit. de M. G. c. III. Georg. Buchananus Bardorum & functionem & nomen adhuc perſeverare apud omnes nationes, qui veteri Britannorum linguâ

utan-

utantur, adſtruit. Vide eum omnino, lib. II. rerum Scoticarum. Ab iis abhuc loco circa Albim nomen Bardovici, Bardenereich / ubi habitârint, ſentit Schedius de D. G. lib. II. c. XLI. Diodorus vocat *Saronidas*, ſed vitiô, ut περιφραδέως monet Cl. Ortelius, vel amanuenſium, vel typothetarum. Scribturam legimus variatam: σαρώνιδα, σαρόννιδαι, σαρουΐδαι. Si poſtremam hanc recipimus, textumque, qui eſt: ὅυς σαρουΐδαι, inſpicimus; non temerè ſuſpicatur vir doctiſſimus, Diodorum poſuiſſe Δρουΐδαι; librarios verò primum elementum Σ in voce σαρουΐδαι, â præcedentis dictionis ὅυς ultimo malè adtexuiſſe, atque Δ in Α ob formæ quodammodo ſimilitudinem negligenter immutâſſe. Videatur Sublimis Geographorum aquila in Thes. Geogr. Eadem monet Laur. Rhodomannus, conjectt. ad. Diod. Sic. lib. V. p. 360.

Nominis ſi primitias involvimus, obtrudunt alii Bardum, Regem Abrahamo coævum, qui canendi apud Germanos artem, diesque feſtos, die Dantztäge, primus inſtituit. Alii Bardos, certum cultrorum genus, quibus animalia Luno, Iſidi, Teutati, Tanſanæ mactabant. Adhuc nobis in uſu ſunt: Eine Barde, Hellebarde, Bardiſane. Multi Baritum, Barritum, Blarritum, aut (quæ lectio Beat. Rhenano probatur, unde ei etiam vox Teutonum ein Wort deducitur) Barditum, i. e. carmina, quorum relatu Germani accendebant animos, futuræque fortunam pugnæ ipſô cantu augurabantur &c: Nec tàm vocis ille quam virtutis concentus videtur. Tacitus de M. G. Ammianus *clamorem* nominat *ipſô fervore certaminum à tenui ſuſurro exorientem, paulatimque adoleſcentem, qui ritu extollitur fluctuum cautibus in-*

inliſorum lib. XVI. c. XII. erant autem hi Sacerdotes celebres ſimul Poëtæ & Muſici, ac fortè carminum illorum auctores. Non pauci dignitatem, æſtimationem, den Wehrt / ut Bardi ſint quaſi Wehrte / Würdige: Paſſimque noſtrô obtinet ævô, paſtoribusque in Eccleſia competit titul. Reverendi, Ehrwürdig. Meminit etymi hujus Maibomius comm. de Bardovic. in not. Alii tandem Barbas † prolixiores,

† Barbas] *Pertinet ad auctoritatem barbam alere ac comam, omniſqve Græcia id ſervabat: ubi & barbati Philoſophi, qvos* Caſcos *Ennius vocat, barbam aluerunt. Vide B. Mich. Waltherum filium, in Analectis Philoſophiæ Mathematicæ, §. 9. Hinc pro majoribus* barbatos *dixit Cicero pro Murena, c. XII.* Antiqvi illi qvaſi *barbati*, ut nos de noſtris ſolemus dicere. *Id. IV. de Finib. c. XXIII. Item pro Cœlio c XIV.* Aliqvis mihi ab inferis excitandus eſt, ex *barbatis* illis, non hac *barbula*, qvâ iſta delectatur; ſed illa horrida, qvam in ſtatuis antiqvis & imaginibus videmus. *Omitto locum ex Orat. pro Sextio. Pòſt, Punici belli temporibus, tonſores è Sicilia in Urbem adduxit P. Ticinius Mena ad Annum Urbis Cond. CCCCLIV. ut Varro, II. R. R. c exIr & Plinius teſtantur in VII. c. LIX. Dehinc conſvetudo increbuit, ut barbam alerent juvenes, raderent ſenes. Hinc* barbatulos juvenes, *qvi ſuâ lanugine ſibi placerent, conjurationis reos vocat idem Tullius, Catil. II. c. X. lib I. Attic. Ep. XIV. ubi vide Gronov. in notis. Xiphilinus qvoqve è Dione Cæſares omnes ad Hadrianum uſqve barbam ponere ſolitos obſervavit. Eſt in Biblioheca mea liber, qvi inſcribitur Barba Majeſtas, hoc eſt, de Barbis elegans, brevis & accurata deſcriptio, in qva ſignificatur, qvalis barba virum deceat, qvantumque decus, auctoritatem, commoditatemqve illi adferat, an abradenda ſit, nec ne? an Veteres illud in more habuerint, qviſve primus tonſores Romam adduxerit, barbamque radi curaverit. Ultimo qværitur: an ſacerdotibus barbam geſtare conveniat? conſectus dicitur per M.*

res, etiam â Græcis philoſophis nutritos, in auctoritatis, bonitatis, ac ſapientiæ ſignum. Inclytus Socrates Perſio eſt *κατ' ἐξοχὴν Barbatus magiſter*. Sat. IV. v. 1. Prudentius in apoth. v. 268. *Conſule barbati deliramenta Platonis* i. e. Vide, quàm Plato, aliàs ſapientiſſimus, ineptierit. Arnobius AeſculapI barbam vocat *ampliſſimam. boni ponderis, & philoſophicæ denſitatis*, lib. VI. adverſ. Gent. Catullus: *Egnati opaca quem bonum facit barba.* Epigr. XL. v. 13. Ex eo Ammianus, Poëta Græcus in Philoſophos luſit ſeqvente epigrammate:

> οἴει τὸν πώγωνα φρενῶν ποιητικὸν εἶναι,
> καὶ διὰ τοῦτο τρέφεις φίλτατε μυοσόφην;
> Κεῖρον ἐμοὶ πειθεὶς ταχέως, οὗτος γὰρ ὁ πώγων
> φθειρῶν ποιητὴς, οὐχὶ φρενῶν γέγονεν,

Et Paliadas:

> εἰ τὸ τρέφειν πώγωνα δοκεῖ σοφίαν περιποιεῖν.
> καὶ τράγος εὐπώγων, εὔστολός ἐστι Πλάτων.

Romani tamen inprimis in alendis barbis curioſi; Unde Fortunam Barbatam venerabantur, ut cultorum ſuorum malas ſpecioſiùs veſtiret; â quibus autem ſperneretur, glabros redderet. Auguſtin. lib. VI.

 de

M. Joann. Barbatium, Barbarum amatorem. Prodiit *Francof. 1614. in 4to, lectu non indignus. De ultima qvæſtione agit &* B. *noſter Finckius in Qvæſtionib. Illuſtrib. Theologic. Q. LIII. p. m. 292. ſ. ubi oppidò erudita pro more habet. Adde & Petr. Martyrem in Commentar. in Judic. p. 125. b. In primis verò* B. *Jo.* Conr. *Dietericum in Antiqvitat. p. 797. a. b. & Hadr. Junium de Coma, c. II.*

de C. D. c. I. Involvatur * Eraſmus in proverb. *Barbatenus ſapiens.* Aliter longè ſentiunt Ebræi, teſte R. Ackibhâ in Gemara : זלד קן סביב עבד קן קוד טמן i. e. *Rarâ barbâ, callidus; densâ barbâ, ſtultus.* Item Ben. Syra S. Jeremiæ nepote, Siracidis, ut putant, filio : זלל קן ועבד קן אל תהי מהם כי לא תדע מה נגזר: i. e. *Rarus barbâ, & denſus barbâ, ne ſis ex illis; quia non nôſti, quid decretum.* Ridenti ἔτυμον Poëtarum, Philoſophorum, ſacerdotum, â Barbis; ſimile promemus è libro, ut vetuſtiſſimo, ita antiquitatibus ſpecialiſſimis, nec cuivis facilè obviis, redundantisſimo Herm. BruſchI P. L. & Com. Palat. Cæſ. qui inſcribitur: *Monaſteriorum Germaniæ Chronologia: Fuit*, inquit, *eo ipſo in loco* (de Cœnobio Heilsbrunn. ſermo eſt, mediô ferè itinere inter Norimbergam & Onoldisbachum ſito) *antequàm Cœnobium ædificaretur, pagus Hagelsbrunn, quaſi fons grandinis dictus: id nomen poſteà ob inſignem ejus loci uberrimorum fontium ſalubritatem in melius immutatum eſt: habuitque hoc cœnobium antiquitus fratres etiam converſos Laicos, quos â barbis, quas gerebant, illa tota vicinia Bärtlingos vocabat.* cent 1. lit. F. voc. Fons Salutis. Repetendum hîc ex ſuperioribus, Theologiæ Germanorum ſtudioſos ob itinera die fahrende Schüler appellatos fuiſſe, ubi Geſnerus Bardos non ineptè quaſi Fahrende dictos ſuſpicatur.

τεκτοσάγων Ptolemæus mentionem facit: Nos eos fuiſſe aruſpices, vates, ariolos, ariolamur. Adſcribamus Abrah. Mylii verba de illis accurata: *Tectoſages quis dubitet quin dicantur quaſi* Dectesagers *vel* De-

* *leg. Evolvatur.*

Dectefeggers, i. e. *arcanorum & tectarum rerum indicatores? Studioſi erant Celtæ Galliqne vaticiniorum, ut de Druidibus Gallicis docent hiſtoriæ. Hodie Germanis* Sagen, *belgis* ſeggen, *eſt dicere, indicare*; decken *tegere.* c. XXI. de Lingva Belg. Sunt & aqud Strabonem & Diodorum *Vaties*, quos Schedius inconvenienter eosdem cum Vatibus Romanorum putat Ego, ſi quid conjicio, mendum ruditate typographorum aut amanuenſium inſerpſiſſe autumarem, & legerem pro ουάλεις, Ευβάγες. *Samotheos* Schedius lib. II. c. XLII. unà cum Georgio Morellio Tilian. proprium Sacerdotum genus conſtituit, dictos â Samothe Dite, qui aliàs Tuiscon adpellatur: Et hos arbritatur eſſe, quos Clemens Alexandr. lib. I. Strom. *Semanæos* vocat, de quibus videri poteſt Bardeſanes Babylonius, Hiſtoricus. Sacerdos idoli Germanici Prono ſive Brenni, Miche dicebatur, de quo Crantz. & Schedius, lib. IV. c. XI.

Alia Sacerdotum Germaniæ duo genera nobis ſiſtit ex Dione Jornandes de reb. Get. *Sacerdotes ſibi ex Gothis qui Zarboſtes & Pileati vocabantur, eligebant.* c. V. Scythas Philoſophos ſuos Tarboſteſcos, item Pileatos adpellâſſe è quibus ſacerdotes & reges creare confveverint, referunt Joh. Magnus, lib. I. c. XXXIII. Saxo Gramm. lib. I. Bonfinius lib. II. dec. I. De illis altum in hiſtoriarum reliquiis ſilentium: At horum Jornandes etiam c. XI. dilucidiùs meminit: *Diceneus Gothis fecit Sacerdotes, nomen illis Pileatorum contradens, ut rem; quia opertis capitibus tiaris, quos pileos aliò nomine nuncupamus, litabant.* l. c. Notanter: *tradens nomen Pileatorum.* Quid ſi indicarentur Bardi? Quid ſi illi intellige-

rentur pilei, quos Bahrete vocant? Dicti hi fortè ſunt â Bahren, i. e. ferre, verbô Germanorum plane obſoletô, ſed in Derivatis & Compoſitis adhuc uſitatô, qualia ſunt: eine Bähren, vel eine Bahr, feretrum: Unde eine Miſtbahr, Leichenbahr, Todtenbahr. Item eine Bärmutter, matrix ſive uterus, qui fert fœtum: nec non Gebähren, entbähren, Geburt, Bürde &c: atque terminatio illa notiſſima bar, v. g. Achtbar, danckbar, fruchtbar, heilbar, koſtbar, laſtbar, mannbar nutzbar, offenbar, & infinitia alia. Hinc fortè *Birota* vehicula duabus rotis, quibus Chriſtianorum corpora ad ſepulcra deferebantur. Caſalius de ritt. vett. Chriſtianorum, c. LXVI. Hinc quidam ortum credunt Cimbrorum nomen, nobilis illius Germaniæ populi. Denuò Mylio attendemus: *Dicitur Cymber, quaſi* Cumber, *id eſt vix ferendus.* Cum (u *latè pronunciatô*) *quaſi* oum *Saxonibus inferioribus hodie adhuc vix ſignificat*: beer *vel*beur *iisdem*, *& Anglis* beare *fero*, *porto*; *unde Belgicum* bery. *i, e. feretrum*, c. XXVI. de Lingv. Belg. Et Sigiſmundus Gelenius, in antiquiſſimo ſuo Lexico Symphono (quod â magnis litteratoribus admodùm commendari video) teſtatur, lingvâ Sclavonicâ *beru*, idem eſſe quod fero, ſive *φέρω*. Quod ſi hæc non fuerint ad palatum, aliter procedam, dicenturque mihi *Pileati* quaſi Sacerdotes dr' hüte i. e. pileorum; & hôc modô Druidarum etymon verum primi aperiremus. Poſſunt de Germanorum Sacerdotibus pluribus videri Pomp. Mela * lib. IV. Cæſ. lib. VI. de B. G. Strabo lib. IV. Marſil. Ficinus de relig. Chriſt. c. X. Tacitus, Ci-

* *Falſa eſt hæc adlegatio.*

Cicero, Beroſus (cujus ſcribta ſunt Annii Viterbienſis) Althamerus, Lazius, Geſnerus, Waſerus, Aventinus, Crantzius, Saxo Gramm. Ubbo Emmius, Gorop. Becanus, Cluverius, Voſſius, Becmannus, Helvigius, Beat. Rhenanus, Schedius & alii.

CAPUT VIII.

Mulieres ſacerdotes: Antiſtitæ: Quænam ad Sacerdotium admiſſæ? De ServI ſcholiaſtæ Virg. editionibus judicium. Pronubæ quænam? Alia ſacrificiorum nocturnorum ratio. Meliſſæ. Meliſſeus primus ſacrificulus. Virginum Dianæ Epheſiæ nomina varia. Io. Flaminicæ Diales. Regina Sacrorum; Gulielma ſacerdos: Item S. Domna. Virgg. Veſtal. initium. A Veſta Græcorum ſacrificia cœpta & finita cur? Primarum Veſtt. nomina. Plutarcho AgellI locus opponitur. Veſtalium numerus: Quæ & quomodo captæ? Capiendi formula: A Lipſio modeſtè diſceditur. Veſtt. cur Capi *dictæ: Earum ex atrio Veſtæ proceſſus: Gerebant curam perpetui ignis: Negligentes quomodo punitæ? Gerebant & aquæ curam. Ubi ſepultæ? Sepulcralium locorum electores. Veſtt. ſervabant pignus Imperii: Quamdiu eis virginitas injuncta: Proverbium explicatur. Devir-*

ginatarum pœnæ: Quomodo inceſtus ſuſpicionem removerint? Defoſſionis Veſtalium ſtupatrarum auctor: modus: locus: Sceleratus campus, Cur defodiendis aliquid cibi additum? Chriſtianorum moniales ſimiliter olim muris incluſæ. Sacra Veſt. arcaniſſima: Earum hydriæ: Sacrificabant Bonæ Deæ. Sacrificium pro populo. *Juſtus Lipſius & alii Viri magni vehementer perſtringuntur. Duo loca de DRACONE, circa quæ Lipſius & alii palpârunt, enodantur. Damium ſacrificium. Feſtus carpitur. Druiadæ Germ. quænam, & unde dictæ? Sacerdotium vaticinandi ſtudio ut plurimùm junctum.* Aurıniæ *quæ, & unde? Sacerdotes vett. plerumque benefici. O cur in AV mutatum in voce Auriania? Is. Pontani lectio exploditur.* Alrunæ *quæ, & unde dictæ? Vox Theſſala. Amazones. Hunnorum origo.* Velleada *virgo vates. Sacerdotes Deorum inſtar honorati.* Velledæ *etymon.* Heid *quid? Geſneri conjectura laudatur.* Camma. Cenæ.

Tanta mulierculis apud vett. gratia & æſtimatio obtigit, ut neutiquàm ſacrariis excluderentur aut aræ illis obſepirentur, cujuſmodi femellas Tullius

lius teſte Agelliô, lib. XIII. c.XX. *Antiſtitas*, Græci *βωμιστείας* vocant. Aliter verò res ſe habebat cum bis nubtis, de quibus Servius ad illud Virg. *Subcumbere culpæ: Nam antiqui repellebant â Sacerdotio bis nubtas.* lib. IV. v. 19. Aen: quæ verba ab aliis longè aliter citantur. Certè Servius ſcholiaſta floridiſſimus, cui plurimùm *φιλίστορες* debent, planè novis editionibus deperditus, hîc fœdè lancinatus, illic inutiliter ſubſertus, ac vix minimâ ſui parte extare videtur: quod alibi, ſi Apollo adriſerit, clarabimus. Nec etiam niſi univiram fas erat ſimulacrum (quod in templi dedicatione, & ſæpiùs poſteà locutum Plutarchus & Lactantius teſtantur:) fortunæ muliebris tangere. Pronubæ quæ conlocârunt novam Nubtam in lecto, fiebant in nubtiis eæ, quæ ſemel tantùm nubſiſſent. Feſtus. Catullus, carm. LXII. v. 186.

Vos unis ſenibus bonæ
Cognitæ benè feminæ
Conlocate puellulam.

Contraria autem erat conſvetudo, in ſacris Bacchi, Bonæ Deæ, & quibusdam nocturnis; de quibus Minucius Felix: *Alia ſacra coronat univira, alia multivira, & magnâ religione conquiritur, quæ plura poſſit adulteria numerare,* in Octav. vide not. Elmenhorſtl in h. l.

Matris magnæ Deûm ſacerdotes vocabantur *Meliſſæ*. Pind. *ταῖς ἱεραῖς Μελίσσαις τέρπεται*: & quidem â primâ, Meliſſâ, Amaltheæ ſorore, filiâ Meliſſei Cretenſium regis, quem omnium primum Diis ſacrificâſſe Didymus auctor eſt. Virgines Dianæ Epheſinæ ante Sacerdotium *μελλιεραὶ*, dein *ἱεραὶ*, poſt

παρθενοι dictæ ſunt. Stuck. f. 70. Io Junonis Sacerdos apud Argivos erat, quæ imprægnata & in vaccam mutata i. e. furioſa aufugit in Aegyptum. Palæphat. de fabb. c. XLIII. de Io Ovid. lib. I. Metam. v. 628. Sed Voſſius tradit navis inſigne vaccam fuiſſe, in qua Io in inſulam aufugerit. de Idol. lib. I. c. XIV. Flaminicarum Dialium ſacerdotium legesque recenſet Agellius in Noctib. Att. lucernam verè redolentibus, lib. X. c. XV. Regis ſacrificuli uxor *Regina* dicta eſt; ut maritus, Rex. Ante ejectionem enim regum, rex ipſe ſacra faciebat: Pòſt, ne nomen minus auguſtum ſonaret, in ſacris ſacrificulo attributa eſt adpellatio. Vide Livium; lib. II. ab U. C. c. II. Guilielma in Ethnicorum Bacchanalibus fuit ſacerdotiſſa; & S. Domna gentilitiis Deorum ſacrificiis per XXIV. annos præfecta perhibetur â Baronio, Tom. II. A. C. CCXCIII.

Inter omnes tamen, ἑςιάδας, Virgg. Veſtales principatum obtinuiſſe, notius eſt, quàm ut dici debeat. Et quidem primus inſtituit Numa (Corvin. de Aug. prog. c. XIV. Victor, de viris ill. c. III. Suidas voc. Νυμᾶς) Veſtæ (â qua Græci quoque ſacrificia inchoabant, in eaque deſinebant, quod Veſta i. e. terra omnia producat, in eamque quævis reſolvantur: Phorn. de N. D. c. XXVII. Lipſ. de Veſt. c. II.) ſacerdotes duas Greganiam al. Geganiam, & Bereniam al. Veroniam; quibus addidit Camillam, aut, ut alii legunt, Canulejam & Tarpejam: Mox propter VI Romæ partes ſex creabantur, teſte Plutarchô. Lipſ. c. V. Sed Agellius repugnare videtur, qui ſingulas Veſtales inter capiendum *amatas*, â nomine primæ Veſtalis, â Pontifice dictas tradit. Tandem ad XXIV.

ex-

excreſcebant: Neque minor annis VI capiebatur, nec X major, aut corporis parte mutilata, labeque (quæ Lex in eligendis Sacerdotibus etiam apud Romanos & alias gentes obſervata: Senec. VI. Controv. II.) inſignita &c: Adi Agellium. lib. I. c. XII. Lipſium c. VI. Formula capiendi erat, prout Lipſius, & alii quidam eam legunt: SACERDOTEM. VESTALEM. QVÆ. SACRA. FACIAT. QVÆ. JOVIS. SIET. SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPLO. ROMANO. QVIRITIBUS. Q. UTI. QVÆ. OPTUMA. LEGE. FOVIT. ITA. TE. AMATA. CAPIO. Sed neſcio annon majori eam fide vetuſtiores AgellI Codd. recenſeant; quomodo v. g. Schureriana editio Argent. M. D. XVII: *Sacerdotem Veſtalem, quæ ſacra faciat, quæ juſſi, & Sacerdotem Veſtalem facere pro Po. Ro. Quiritibus; uti, quod optumâ lege fiat, ita te Amata capio. Capi* dicebantur, quia Pont. Max. manu prehenſam ab illius Parente velut captam bellô abducebat in atrium Veſtæ, Lipſ. c. VII. è quo præcedentibus facibus prodibant, obviumque mortis damnatum liberare poterant. Oldendorp. in Ll. XII. Tabb. Perpetui ignis cûſtodia eis demandara fuit. Jornand. de R. S. c. V. Florus lib. I. c. II. Vell. Paterc. lib. II. c. ult. Ovid. lib. VI. Faſt. Arnob. lib. II. adverſ. Gent. Lipſ. c. VIII. Expreſſa XII. Tabb. Lex. cap. de Hoſt. & Obſ. Sacerd. tit. de Relig: VIRGINES. VESTALES. IN. URBE. CUSTODIUNTO. IGNEM. FOCI. PUBLICI SEMPITERNUM. Albricus Veſtam depingit cum igne in utroque latere incenſo. de Deorum imagg. c. XVII. Ideô quod

vis ignea mundi per Veſtam i. e. terram ſubſiſtat, aut propter fœcunditatem Veſtæ i. e. terræ, matris animalium, quibus calor vitæ cauſſa eſt. Phornut. de N. D. c. XXVII. Alias tamen picturas adfert Lipſ. c. III. Hunc ignem, ſi minùs ſedulò curâſſent, flagris â Pontif. Max. cædebantur. Suidas etiam aquæ præpoſitas dicit. voc. Νυμαῆ: Sepeliebantur veluti Impp., aut quibus honoris virtutisque cauſſa tribuebatur, in urbe; cum reliqui homines extra portas in viis & agris; quæ loca ſepulcralia Augures ac Pontifices deſignabant. Servabant Imperii pignus, & pluribus fungebantur dignitatibus; de quibus Lipſius, c. IX. X. &. XI. Virginitas eis ad XXX. usque annum inlibata injungebatur, hinc proverb: *Veſtalium thorô purior*, de caſtimonia ſingulari. Hadr. Jun. cent. VII. adag. LI. Compreſſæ, vel ſuſpendebantur, veluti Caparronia. P. Diaconus, miſc. lib. II. c. XXIV. vel vivæ defodiebantur, ut Ilia teſte Liviô; † Porphyria. Diac. lib. I. c. X. Sextilia, lib. II. c. XX. vel capite multabantur, vel lapidibus obruebantur, vel ad necem virgis cædebantur. Veneris Verticordiæ templum extra Collinam, viâ Salariâ, cùm tres Veſtales unô tempore inceſtum commiſiſſent, ut puellarum animos laſcivos ad caſtitatem verteret, extructum, adſignat Julius Obſequens, c. XCVII. Vide Ovid. IV. Faſt. Iſtud crimen ut à ſe Livia Claudia repelleret, Zonâ ſimulacrum Matris Deûm movit. Aur. Vict. de vir ill. c. XLVI. P. Diaconus, lib. I. c. XII. Aliæ ferrum candens manibus

† *Tu vide de Minucia Veſtali Liv. lib. VIII. c. XV. De Opimia atque Floronia lib. XXII. c. LVII.*

bus portârunt &c. Vide Heinl diſſ. de probatione, quæ fieri olim ſolebat per ignem & aquam, cùm ferventem tùm frigidam.

Defoſſionis illius auctor erat Tarquinius Superbus, cùm anteà tantùm virgis cæderentur, teſte Plut. & Dionyſ. Halicarnaſſ. Locum ſupplicii ad portam Collinam locant, intra tamen urbem, *Sceleratum Campum* dictum, ubi ſubterranea domus mediocris fuit, in quam è loco ſuperiore deſcendebatur. Jacebat in ea ſtratus lectulus, & lucerna ardens, primitiæque rerum earum, quæ ſunt ad victum breves quædam: Panis, aqua in vaſe, lac, oleum; quaſi caveret ipſa domus, ne fame ejus corpus interiret, quæ maximis expiationibus dedicata eſſet: vel, ut Canterus N. L. lib. VII. c. IV. inquit, ne inediâ hominem conficere viderentur, quod piaculo ſibi ducebant. Ipſa igitur devirginata, feretro impoſita, obtecta, loriſque ligata, per forum vehebatur, amicis eam cum fletu, ceteris cum mœrore ſummo ac ſilentio ad tumulum præmittentibus, ubi ſolutis à miniſtris vinculis Princeps Sacerdotum precatus arcana quædam, ſublatiſque ad cœlum manibus adducebat eam ante ſupplicium, caput opertam, conſtituebatque in ſcalis in domicilium deferentibus; deinde ipſe cum aliis ſacerdotibus avertebatur, Cùm autem illa deſcendiſſet, & ſcalæ tollerentur, multâ deſuper injectâ humô, domicilium operiebatur, ut locus is reliquo tumulo æqualis eſſet. Vide Catanæum, comm. in Ep. XI. lib. IV. Plinl. Lipſ. c. XIII. Idem Chriſtianorum Veſtalibus, quas Moniales vocant, conſtupratis olim ferè accidiſſe non dubitamus. Vidi ego locum urbis cujuſdam florentiſſimæ, in cujus tabulatis

latis ſcheda aranearum & pulveris ſqualore obducta reperta aliquando fuit, quæ inibi virginem cum determinato cibo & potu incluſam muris indicavit. Nec fidem fefellit, apertis ſiquidem muris, viſum cadaver, adparuêre hydriæ, ſuperfuêre patinæ. Erat autem ipſe locus conclave in abſtruſiori quadam Monaſterii parte, planè inhoſpitale, & nulli habitatum. Additam inſuper ſchedæ fuiſſe conditionem Virginis, culpam, annum, diemque pœnæ, ii, qui illa omnia revelârunt, narrabant.

Sacra Veſtalium nulli licebat ſcire. Proditum tamen eſt, uti eas conſveviſſe, muriâ, ſale in pila tritô, in ollam fictilem conjectô, in furno percoctô, denique in aquam miſſô. Aquæ ſcyphos in terram ponere non poterant, ſed manibus tenere cogebantur, quia anguſtô erant fundô. Lactantius * lib. VIII. Sacrificabant etiam Bonæ Deæ, quod *pro populo* fieri dicebatur. Cicero de aruſp. Reſp. c. XVIII. *Sacrificium Bonæ Deæ per Virgg. Veſtales pro populo, ſeu pro ſalute populi Romani fiebat.* Idem lib. I. ep. XII. ad Atticum: *P. Claudium Appi filium te credo audiiſſe cum veſte muliebri deprehenſum domi C. Cæſaris, cum ſacrificium pro populo fieret.* Et Ep. XIII. ejusd. libri: *Credo te audîſſe, cùm apud. Cæſarem pro populo fieret.* Seneca: *Violatis religionibus ejus Sacrificii, quod pro populo fieri dicitur.* ep. XCVII. Dio: ὑπὸ τῶν ἀειπαρθένων ὑπὲρ τοῦ δήμου ποιηθέντων. lib. XXXVII. Juvenalis. *Pro populo faciens quantum Laufella bibebat.* Sat. IX. v. 117. Agellius: SACERDOTEM. VESTALEM. FACE-

* *Hic locus effugit diligentiam meam; Tu tamen vide lib. I. c. XXI. XXII.*

FACERE. . PRO. POPOLO. ROMANO lib. I. c. XII. vide Briſſ. lib. I. Form. Mirabundus hîc intueor Viros quoſdam Eruditos, qui apertis adeò caligârunt oculis, ut tàm turpiter ſeſe darent, neque locorum, quos citavi, clariſſimorum, Ciceronis, Dionis, AgellI, in mentem veniret, Veſtales Bonæ Deæ pro populo feciſſe: Inter quos Princeps eorum, limatiſſimi homo judicii, Juſtus Lipſius, qui in lucis medio, dum de ipſis ageret Veſtalibus, ita vacillavit: *Simili in ambage vel nube eſt, quod in Silveſtri Pontificis Actis quibusdam legitur*, Draconis eum ora clauſiſſe, & perpetuo ergaſtulo mancipâſſe, cui Calendis ſingulis â Virginibus Veſtæ ſuppeditari ſolita ſint alimenta. *Nam quis veterum tale aliquid? eoque ſperni aut abjici â magnis viris, ut falſa, video: me cunctante, an non Tertullianus huc adſpexerit hiſce verbis*: Romæ quidem, quæ Ignis illius inextingvibilis imaginem tractant, auſpicia pœnæ ſuæ cum ipſo DRACONE CURANTES, de Virginitate cenſentur. lib. I. ad Uxor. c. VI. *Profectò dicit & Ignem curâſſe & Draconem: utrumque in imagine futurorum. Neque nimis abhorream, talia quædam præter morem veterem, novitiâ ſuperſtitione, & cauſſâ, aut caſu aliquô adſumta: quæ ideò priſcis nec dicta. Draconem quidem unà cum Bona Dea cultum, hoc legi: Sed quid ad Veſtam?* Hæc ille ſynt. de Veſt. & Veſtall. c. X. Rectè quidem hoc; Draco nihil ad Veſtam: ſed an ideò non ad Veſtales, de quibus auctores hi, qui Draconis mentionem faciunt? Recordare, Lipſi! ſacrificii pro populo, & certiùs figes pedem, & diſcuſſa erit nubes, & ex more id eſſe veteri tibi diſpaleſcet. Adeoque veriſſimum eſſe a-

gnoſcimus illud, quod ait Fabius, lib. X. c. I. *Et magni auctores labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati: nec ſemper intendunt animum, & nonnunquàm fatigantur: cùm Ciceroni dormitare interdum Demoſthenes, Horatio verò etiam Homerus ipſe videatur* &c. Dictum eſt hoc ſacrificium *Damium*, quod fieret pro δήμῳ, non quod minimè ſit δημόσιον i. e. publicum, ut ſentit Feſtus; & propterea etiam â Viris magnis vellicatur.

In ſinu natat Patria, noſtro iterum atque iterum ſpectanda theatro: cujus Sacerdotia unà cum aliis ritibus, utinam enixiori operâ annalibus fuiſſent inculcata! Invitabo hûc ſedulò, quaſcunque antiſtitas aurea vetuſtatis rudera oſtendunt. Emergunt Gallorum *Druiadæ*, vel usque ad Chriſtianiſmum iis receptæ, dictæ ita â Druidibus; velut â Flaminibus, Flaminicæ; vates inluſtres; qualis Alexandro Imp. prius paulò, quàm â propriis conficeretur militibus, Gallicô idiomate: *Vade, nec victoriam ſpera, nec militibus crede!* adclamavit, teſte Lampridiô, c. LX. Et apud Vopiſcum Aurelianus Gallicanas Druidas: *Imperiumne futurum ſit conſtans?* conſulens, reſponſi locô retulit: *Nullius in Rep. nomen, niſi Claudi poſterorum futurum*, c. XLIV. Simile reſponſum Diocletianus quoque â Druide muliere audit. Vopiſc. in Numer. c. XIV. XV. Ita ferè ſuſpicamur fuiſſe Sacerdotiſſas, quia vates: Cùm apud tot gentes ſtudium divinandi & Sacerdotium conjuncta fuerint. Nec in tanta nocte quicquam niſi conjecturâ adſequi poſſumus.

Emicant *Aurinia*: ſed emicant tantùm, & minimâ in

mâ in hiſtoriis conſpiciuntur parte. Mihi, ſi quid ſentire licet, erunt divinæ, magæ, ſacerdotiſſæ; quia præcipuè, ut dictum, ſacrarum apud vett. rerum adminiſtratores cum Dæmonibus colloquia miſcuerunt. Subindicat aliquid origo nominis. *Aurinia* dicitur quaſi *Or runa* i. e. non altiori voce loquens, quàm quis alteri in aurem ſuſurrat. Runen ex ſuperioribus, p. 132. eſt magicè murmurare. Cauſſa immutationis O in A V eſt conſvetudo Latinorum Scribtorum; qui A V ſcribebant, & ſubinde O enunciabant. Vide Jul. Cæſ. Scalig. de Cauſis L. L. lib. I. c. VIII. Paſcaſium Groſippum i. e. Gaſparem Scioppium, in Gramm. Philoſophica; Auſ. Popmam de uſu antiquæ locut: Meminit earum Tacitus: *Vidimus ſub divo Veſpaſiano Velledam diu apud plerosque numinis locô habitam: Sed & olim Auriniam, & complures alias venerati ſunt, non adulatione, nec tanquàm facerent Deas.* lib. de M. G. c. VIII. extr. Ubi Iſaacius Pontanus perperam habet *Aurinium*. Certiores tamen evaderemus, ſi cum Gesnero *Alruna* reciperemus, qualis Clodomiro primo Francorum in Germania Regi, vel primi regis Antenoris Patri annis ante N. C. C D. XXXIII. vaticinata eſt, ut ſcribit Münſterus, lib. II. Coſmogr. Adpellatæ forſan *Alrunæ* quaſi *Altrunæ* i. e. vetulæ murmurantes, cùm canis capillos habuerint, prodente Aventinô: Vel, ſi mavis, *Helle runa* i. e. in infernum ſecretò cum Dæmonibus conloquentes. Proprium enim ferè Magorum eſt murmurare: Unde vox Theſſala, pro murmure magico apud Horatium, epod. V. v. 45. quia magis & veneficis Theſſalia abundabat, quod ex Apu-

lejo

lejo videre eſt, & ulteriùs diducit Piccart. peric. Crit. c. I. Schedius deducit ab אל & רן, quaſi excelſa canere. lib. II. c. XLIII. Earum officium erat Martios Heroum animos ad prælium clamoribus ſuis animare, fauſtaque ominari: Non enim Germani in prælium ſe committebant, niſi id vaticiniô feminarum prædictum eſſet. Vide Tacitum de M. G. Alex. ab Alex. lib. IV. c. VII. Bodinum de dæmon. lib. XI. c. V. Venuſtè nobis fœdas illas vetulas delineat ex Strab. lib. VII. Geogr. Aventinus lib. I. ann. *Erant Cimbris mulieres fatidicæ, quas patriô nomine Alironias nuncupant. Hæ recinctæ Zonis æreis, nudæ pedibus, canis capillis, linteâque tunicâ & albâ veſte, quæ ſubtus fibulis æneis adnexa erat, amictæ; captivis per caſtra ſtrictis occurrebant enſibus, quos ad humum ſternentes ad æneum pertrahebant craterem: Deinde eos in ſublime tollendo jugulum ferrô aperiebant, & profluente ſanguine in craterem, eventum belli vaticinabantur. Aliæ diſſectô ventre ex inteſtinis victoriam interpretabantur. Inter præliandum verò pelles ad carrucarum velamina extenſas crebris pultabant ictibus, ut ingens ſtrepitus cum horrore ederetur, Mazanas nos, Græci Amazonas vocant.* Animadvertamus hîc obiter vocem Mazzen in bona ſignificatione, â qua hodie deſcivit: non ſecus ac alicubi locorum nomen Dirne. Paulus Diaconus *Alyrumnas* vocat, & neſcio quæ de origine Hunnorum mira refert: *Filimer*, inquit, *rex Gothorum, reperit in populo ſuo quaſdam magas mulieres, quas Gothicô ſermone Alyrumnas vocant, eaſque habens ſuſpectas, de medio ſui proturbavit, longéque ab exercitu ſuo fugatas in ſolitudine coëgit errare:*

quas

quas ſilveſtres homines, quos nonnulli Faunos Phicarios vocant, per deſertum vagantes, dum vidiſſent, & earum complexibus in coitum emiſcuiſſent, hoc genus ferociſſimum ediderunt, quod fuit primum inter paludes Mæotidas, minutum, tetrum, atque exile quaſi inhumanum, nec alià voce notum, niſi quod humani ſermonis imaginem adſignabat. lib. XII. c. XIII. Hinc (adnotat Criticorum decus Gruterus) adhuc hodie apud nos manet *Alruna* nomen. Idem cum Paulo refert Jornandes in reb. Get. c. XXIV. ubi eas *Haliurunas* vocat. Gruterus ponit *Haliurunnas*, & ex Vulg. *Aliorumnas*. Vide Geſnerum in Mithrid. c. III.

Velleda virginis VitellI tempore fatidicæ deſcribtionem invenimus apud Tacitum: *Velleda virgo nationis Bructeræ latè imperitabat, vetere apud Germanos more, quô pleraſque feminarum fatidicas, & augeſcente ſuperſtitione arbitrentur Deas &c. Ad hanc non facile quiſquam admittebatur, habitabat enim in edita turre, & delectus è propinquis conſulta reſponſaque, ut internuncius Numinis, portabat.* lib. IV. Hiſt. LXI. 4. LXV. 9. & lib. de M. G. c. VIII. 4. Sed Sacerdotibus idem cum Diis honor habitus. Artemidorus, lib. II. Onirocr. c. LXXIV. Gutherius de Jur. Pontif. lib. I. c. IV. Numnam adpellatam concedamus quaſi Vielheidam, vel Wildheidam, aut Veldheidam, ſive Waldheidam; ut Velleda ſignificaret vel divitem agri, vel rure gaudentem, vel egregiam nutricem (Heid olim erat quæ fovet, nutrit, colit, alit; unde terminatio ſubſtantiv. & nominum proprium Weiſſheit / Klugheit / Adelheit &c; vel ruri & in agris ſacrifican-

L tem?

tem? Argutè Geſnerus depravatam vocem exiſtimat amanuenſium incuriâ, & *ſſ* in *ll* inflexâ. Hâc ratione origo certa foret, & Veſſeda eſſet Weiſzheit. *Camma*, uxor Sinati, Gallorum Aſiaticorum tetrarchæ, erat apud Gallos Sacerdos Dianæ. Plut. l. de fem. virtt. Polyænus ſtratagematt. lib. VIII. c. XXXIX. *De Cenis*, Sacerdotibus feminis Gallorum, Pomp. Mela: *Sena in Britannico mari Oſiſmicis adverſa littoribus Gallici Numinis oraculô inſignis eſt; cujus Antiſtites, perpetuâ virginitate ſanctæ, numerô novem eſſe, traduntur* * *Gallis Cenæ vocatæ* lib. III. Coſmogr. c. VI.

CA-

* *Andr. Schottus edidit in Antverpienſi ſua editione M. D. LXXXII.* Galli Senas vocant; *& Turnebus apud Iſ. Voſſium in h. l. Mela, p. 252. ita legendum putavit. qui tamen Voſſius ibidem non autumat, qvemqvam fore, qui hanc conjecturam admittat.* Qvis credat, *inqvit*, Pomponium ſcripſiſſe; inſulæ Senæ mulieres vocari à Gallis Senas? *Andr. Schottus in h. l* Galli Cenas (Corruptè, *inqvit*, *p. m.* 59. hactenus unâ dictione *Gallicenas*. Hadr. Turneb. Galliæ ornamentum, *Galli Senas*, aut ut in vet. cod. *Zenas* reſtituit in Plutarch. de defectu Oracul. à ſe converſum: qvem lege, & de facie in Orbe Lunæ. *Fredenandus Pintianus Rhetorica & utriusqve Lingvæ in Academia Salmanticenſi Profeſſor, p. m. 70. notar. in Melam:* Gallicenas *vel* Gallicinas *habet. Sanè libri manu exarati penes Voſſium habuerunt* Galligenas, *aut* Gallizenas. *Ipſe Voſſius verò ſcribit:* Barrigenas vocant. *Gloſſa antiqviſſima:* Barrigenæ peregrinæ. *In aliis:* Barrigenæ, peregrinæ, Barbaræ. *In Philoxeni, Iſidori & aliorum Gloſſariis, quæ habeo ex edit. Lugdun. Batav.* CIϽ IϽC. *in fol. cum notis Bonaventuræ Vulcanl Brugenſis, & Lutetiana Pariſior. cum notis Caroli Labbei, M. DC. LXXIX. in fol.* Barginnæ, Barginæ & Bargennæ *adpellantur.* Bargina, προσφώνησις βαρβαρική· Barginna, Νεκροφόρος·

Βάρ-

Βάρβαρος· προσφώνησις Βαρβάρȣ· Non immeritò aliqvis exiſtimet, Barginas *dictas ſacerdotes feminas viros verò* bargos. *Iidem verò ſunt bargi & bardi. Sanè Gloſſæ antiqviſſimæ Puteanorum Fratrum utrumqve rectum eſſe docent. Utut ſit, Voſſius non dubitat, qvin Barrigenæ dictæ fuerint mulieres iſtæ fatidicæ à qvibus poſteà qvicunqve barbari, & qvicumqve ſonus inconditus ſic adpellatus fuerit.*

CAPUT IX.

Sacrificulorum amictus linteus, albus. Linigeri *pro ſacerdotibus. Fecialis & Pater patratus non uſi linteô. Capri & HiginI lectio in Virgilio commendata. Limus. FarnabI notabilis hallucinatio. ServI labſus. Lintei deſcribtio, Unde fiat? Linum Peluſiacum: Indicum.* Λέντιον *eſt à linteo: veluti &* לנטית. *Linteus ſacerdotum amictus è ſindone. Byſſi æſtimatio.* Byſſina verba, *proverb. Byſſus quid? Linteones, Lintearii: Plumarii. Mendum è lege quadam Corporis civilis ſublata.* Luneburgum *unde? Etymon quorundam exigitur. Lintei uſus ſacri quis auctor? Aegyptii* Λινοποιοί *Phocenſium victimæ linteô ligatæ. Bacchæ Nebride veſtitæ, & cur?* Nebris *quid? Tigris Baccho ſacra. Poparum & Victimariorum habitus. Color veſtium ſa-*

crarum albus, & quare? Λαμπρός *i. e. albus.* Albus dies, *proverb. Jupiter albatus & miniatus. Junonis albicantes boves. Fides candida. Albi coloris dignitas. Virginum tunicæ olim cur albæ? Nigri coloris deteſtatio. Vandalorum* Belbuch *&* Zernebuch. *In infernalibus ſacris nigræ veſtes. Mirabilis hiſtoria de Sarracenorum idolo. Color in veſte Augurali & Saliorum. Forma veſtium ſacrarum. Cinctus: unde* Gabinus *dictus?* Chlamys *quid?* Poderis. *Aeoli habitus in vett. picturis.* Suffibulum. *Veſtis ſacra cur* Cinctus *dicta?* Baltheus, Paragauda. *Balthei apud milites uſus.* Diſcincti: Cingulô *exuti.* Cingulum *pro dignitate. Cur in veſte ſacra hiacynthus, byſſus, coccum & purpura?* Multiplex *veſtis. Veſtalium veſtes purpuratæ. Veſtes S. litteratæ.* Litterati *ſignificatio. Sacerdotes laticlavii. Veſtium S. varietas. Mulíebres cum virilibus immutatæ. Locus Deut. XXII. 5. explicatur. Vox* טומטום *in More-Nebochim defenſa. Forma S. veſtis apud Ethnicos â Judæis petita oſtenditur. Sacræ veſtes ſacerdotum Judaicorum: Pleræque cum illis Ethnicis conveniunt. Ephod. unde? Ejus forma. Pallia ſacerdotalia.* Tutulum.

Poi-

Ῥοισκοί *Braccæ Judæis tributæ, cur? Sacerdotes nudipedes: Unde? Sacerdd. Judaici* γυμνόποδες; *ſed cum exceptione. Diſcalceatio apud Ebræos luctus ſignum. Sacerdotes calceati. Porphyrii falſum adſertum.* Caliga *an calcei genus? Calcei Phecaſii: Sacerdd. Phecaſini. Palmeæ baxeæ. Calcei papyracei. Lintei ſocci. Calcei Druidarum lignei. SchedI nævus.* Der Drudenſus Gallicularii. Diabathra: Diabathrarii. *Calcei lunati Romanorum. Mulleorum dignitas: Unde dicti? Mullus piſcis à mulleis. Feminarum albi & tenues calceoli: Subere conſiti, & cur?* Soleæ *quid? Item* Crepidæ? Crepidarii; Calceolarii, Solearii: Soleati. Murrobathrarii. *Varia lectio in Plauto.* Myrobrecharii. *Conjectura in Legem quand. Juris Civilis depravatam. AccursI explicatio perſtringitur. Judæarum femellarum in calceorum ornatu laſcivia. Calcei clavati:* Crotalia. *Calcei lutei.* Crocotæ. *Luteus color cur feminarum & ſcortorum? Cento meretricum fortè luteus. Donati opinio erronea. Meretricum veſtes in Comœdiis luteæ.*

Promatur jam tota Syntheſis, ut amiciamus Sacrificulos noſtros veſtibus linteis, * albis: In quo omnium gentium, teſte Pieriô Valer. conſenſus fuit. Jehova Aaronis veſtes ſanctas lineas vult confici. Levit. XVI. 4. Apulejus: *Et cum dicto Juvenem quendam linteis amiculis intectum producit.* lib. II. Metam. Idem: *Antiſtites ſacrorum proceres illi, qui candidô linteamine injecti,* lib. XI. Metam. Idem: *Lintea veſtis candore purô luminoſi.* ibid. *Otho ſacra Iſidis in lintea religioſaque veſte propalam celebrâſſe fertur.* Svet. c. XII. Hinc apud Poëtas Sacerdotes *Linigeri* dicti. Juvenalis, Sat. VI. v. 535. *Cum grege linigero circumdatus & grege calvo.* Martialis, lib. XII. Epigr. XXIX. v. 19. *Linigeri fugiunt, calvi, ſiſtrataque turba.* Lucanus, lib. X. v. 175.

Linigerum placidis compellat Achorea dictis:
O ſacris devote ſenex! - -

Seneca per *linteatum* ſenem indigitat ſacerdotem. c. XXVII. de Vit. beat.

Fecialem tamen & Patrem patratum nunquàm linô uſos, Servius docet ad lib. XII. Aen. Virg. Unde ibid. v. 120. benè adducit Capri & HiginI lectionem, quæ eſt: *Velati limô &c.* additque: *Limus*

* Linteis] *Linô veſtiebantur ſacerdotes Iſidis, & qvicumqve ſupplicabant ei, caſtitatis inſigni licet inceſti eſſent; qvandoqvidem linum è Terra naſceretur, purâ illâ & hominum uſibus innocuis addictâ: Lanea veſtes autem eſſent ab animantibus domeſticis, qva nefas eſſet occidi, ut deinde qvoqve Pythagoras ſtatuebat. Vide Henr. Kipping. I. Antiqvit. Rom. c. V. §. II. p. m. 151. ſ.*


A
E
B
D
C
F
G

Limus eſt veſtis, quâ ab umbilico uſque ad pedes teguntur pudibunda poparum. Hæc autem veſtis in extremo ſui purpuream limam habet i. e. flexuoſam; unde & nomen accepit: Nam limum obliquum dicimus; unde & Terentius limis oculis dicit i. e. obliquis. Hæc ille. Præcipitanter igitur & inſipidè Farnabius, qui in Virgilium commentando, Scholiaſtam ejus vetuſtiſſimum non adſpexit; ſed ad hæc Virg. verba: *Velati linô &c.* notat: *Pro more ſacrorum feciales lineis induti veſtibus.* Quid verò Servius? *Atqui feciales & pater-patratus, per quos bella vel fœdera confirmabantur, nunquàm utebantur veſtibus lineis: Unde dicimus errore factum, ut linea veſtis contra morem adhiberetur ad fœdera* &c. Hactenus Scholiaſta. Sed & hic erravit, culpando Virgilium, quem non ſatis intellexit, loquentem de Fecialium capite, non de corpore. Vide Clarum Sylvium ad Ll. regg. Illud omninò linô ſeu lanâ & verbenis veſtiebant, cujus cauſſam habes apud Boxhornium, Quæſt. XXX.

Eſt autem linteum textum puriſſimum rebus divinis, quòd non modò indutui & amictui ſacerdotibus, ſed & opertui rebus ſacris adhibetur. Beroald. ad Apul. Plinius fruticem in Aegypto gigni ſcribit, quem alii *Goſipon* vocant, plures *Xylon*; & inde lina Sacerdotum facta xylina. lib. XIX. H. N. c. I. Oppidum autem in Aegypto, in quo lini genus omnium lectiſſimum ad Sacerdotales conficiendas veſtes, erat *Peluſium* circa Caſium montem. Silius: *Et Peluſiaco filum componere lino.* lib. III. Pun. v. 375.

* Unde etiam ſacer Ebræorum amictus, ut refert Talmud: *Mane induebantur* לובש פלוסין i. e. *veſtibus Peluſiacis*. Ubi & pretium earum notandum: של שנים עשר מנה i. e. *qua duodecim minas valebant*. Conficiebantur etiam ex lino Indico, quales Cteſias *ἱμάτια ξύλινα* adpellat. Talium idem Talmud meminit: בין הערבים הנדוין של שמנה מאות זוז דברי רבי מאיר i. e. *Veſperi induebatur Indicis, qua octingentas drachmas valebant, verba Rabbi Meir*, Joma, c. III. §. 7. Quamvis ibid. ſapientes de pretio diſſentire adnotatum ſit. Veſtes hæ Indicæ reliquis erant λεπτότεραι καὶ μαλακώτεραι, ut ait Lucianus in encom. Muſc. Vid. Scheringham in Joma. Vocabulô λεντίου i. e. Lintei utitur Johannes Euang. c. XIII. 4. 5. ubi meritò illud ab hoc deduci & uſu à Græcis civitate donatum adſerimus, cùm & in Rabbinorum lingvam inrepſerit, qui pro linteo ponunt לנטית. Adi Münſterum in ערוך p. 212.

Erat hic linteus amictus talaris duplici Sindone. Suidas in Heraiſco Oſiridis Sacerdote: *Statim cum lumine elucebant undique è ſindonibus arcana deſcribtiones*: Unde ab Hieronymo, Apuleio, & in Apocalypſi *Byſſinus* vocatur. Joſephus ſacerdotes ait ad altare templumque accedere ſolitos, *veſte byſſinâ amictos*.

* *Il. v. 24.* - - Velantur corpora linô,
Ex Peluſiaco præfulget ſtamine vertex. *Ubi rectè Cl. Cellarius notat*: Ex Ægypti præſtantiſſimo lino vitta ſacerdotis Herculei erat. *Malè verò erat prior Silii locus in editione hujus libri Jenenſi, quam expreſſimus in noſtra, alius alicujus aut melioris ignari; adductus, & pro* lino *vox* Nilo *poſita; quod frequenter fit dicta in editione M. DC. LIX. in aliis quoque vocibus ac numeris*,

ſtos, lib. VI. Bell. Jud. Vide Exod. XXVII. 9. 18. & c. XXXVI. 8. 9. Byſſina enim veſtis olim principatus, auctoritatiſque primariæ ſymbolum erat: quare olim *Byſſina verba* parœmialiter de ſplendidis, & cum Majeſtate prolatis dicebantur. Hadr. Junius, cent. III. adag. VI. *Byſſum*, inquit Pollux, *lini genus eſt apud Indos*. lib. VII. Onom. Legitur ex arbore, teſte Arriano, baſi, populo; foliis, ſalici perſimili. *Amorginum* etiam vocari legimus apud Aeſchinem contra Timarchum & Eupolim, ac Ariſtoph. in Lyſiſtr. Eſt enim lini ſpecies amorgis. Vide de Lino & Byſſo Plinium, H. N. lib. XIX. c. I. Caſaubonum, exerc. XVI. in Baron. ſect. 65. Stuckium, f. 69. Friſchmuth, de Pont. Ebr. Veſt. ſacr. c. II. Qui linteas illas veſtes conſuerent ac venderent, *Linteones* & *Lintearii* vocabantur, ut docet Jul. Firmicus, lib. III. Aſtr. Godeſc. Stewechius ad Veget. lib. I. c. VII. Ita l. 13. C. de murileg. & gynæc. &c. legitur: *Si quis ex corpore gynæciariorum vel lineariorum* &c: Inſcribtio Mediolani in templo D. Virginis in ara: T. PONTI. MAJORIS. NEGOTIATORIS. LENTIARII. Alia Lugduni, in horto Sammarcelliani:

D. M.
ET. MEMORIAE
AETERNAE
T. FLAVI. FELICIS. R
ARTIS. LINTIA-
RIAE &c.

Veluti *Plumarii*, qui è plumis avium conficerent veſtes, quorum meminit etiam L. artifices. 1. C. de excuſat. art. quo in loco quoſdam malè legere *plumbarios*, alii jam ante me monuerunt. De iis lapis

Digitized by Google

Romæ in ædibus familiæ de S. Cruce: ARTEMIDORO. PLUMARIO. CONLEGAE. A lino, quod olim magnâ copiâ circa Luneburgum creſcebat, florentiſſimam hanc urbem dictam prædicant: Quod enim Germani Lein, id Saxones Lijn appellitant. Alii à flumine derivant Lunâ ſive Elmoâ; Alii, quòd Luna ibi fuerit culta: Minutiæ! Confer Schedium de Diis Germ. ſyngt. IV. c. I. & VIII.

Uſus lintei ad ſacras veſtes inventores legimus Orphea ac Pythagoram. Quare cùm Apollini Tyaneo apud Domitianum inter cetera crimina hoc quoque objeciſſent accuſatores, quòd linteô veſtitu uteretur; ille crimen diluens, ut futile & nugatorium: *O divine Pythagora*, inquit, *tu pro me cauſſam dicito! Pro his enim in judicium vocor, quorum tu inventor, ego imitator ſum.* Pythagoras quippe Aegyptios ſacerdotes linteis amiculis veſtiri juſſit, ob quæ Aegyptii Λινοποιοὶ audierunt. Suidas voc. ἰσόῤῥαφος. Hæc Iſidis ſacerdotibus peculiaria ferè primùm fuiſſe ex Herodoto perdiſcimus, qui de iis videatur. Apud Phocenſes, in ſacris Iſidis Thitoreæ, victimæ in pyram, quæ aræ locô erat, lineis aut Byſſinis vinculis ligatæ immittebantur, teſte Pauſaniâ. Vetus StatI interpres *Nebride* i. e. hinnuli aut cervi pelle Bacchas in ſacrificiis indui adnotat ad lib. II. Theb. ex Plutarchi ſympos. Nebrida quippe (perhibente Diodorô) i. e. pellem hinnuleam, quæ varia eſt, Baccho tribuebant ſeu Libero, quòd aſtrorum tanta eſſet varietas; quorum dux Sol, cui Liberi nomen competit. Videſis Voſſium, de Idolol. lib. II. c. XXIV. Nec tamen aberraverim, ſi tigridis variâ pelle indutas eas adfirmaverim, quoniam illud animal eſt *particulirerement*

dedie

dedit à ce dieu, ut ait Choul; qui p. 129. duos oſtentat onyches, in quibus viſitur Bacchus nudus coronatus, manu dextrâ porrigens uvam, & in altero eorum (in quo etiam ad pedes ejus tigris conſpicitur) pellem tigridis: Manu ſiniſtrâ verò tigridis exuvias. Extat & p. 150. numus ubi bacchantes inſident currui, quem trahunt tigrides duæ: Et p. 151. nomiſmata, cum tigridis pictura, argenteum Philippi, & æreum Gallieni, additâ inſcriptione: LIBERO. P. CONS. AUG. i. e. *Libero Patri Conſervatori Augusti.* Victimarios pelle immolatarum victimarum veſtitos conſtat: & videbis, Lector, in tabella, quam tibi largimur ad c. XVIII. Adi inſuper Choulium, p. 300. Apud eundem è diverſis marmoribus diverſum Poparum habitum invenies, p. 312, 313, 315, 324, 326, 329.

Colorem in ſacris Sacerdotum veſtibus emicantem cernimus *album*, χρῶμα μόνον τὸ εἰλικρινὲς, καὶ ἀμιγὲς, καὶ ἀμίαντον. βαφῇ καὶ ἀμίμητον. prout laudat Plutarch. probl. XXVI. Silius, lib. III. v. 695. *Ante aras ſtat veſte ſacerdos Effulgens niveâ.* Plinius de Druidis: *Sacerdos candidâ veſte cultus arborem ſcandit*, lib. XVI. c. ult. extr. *Albus Flaminis galerus* extat apud Agellium, lib. X. c. XV. extr. *Inſulæ fratrum arvalium albæ* apud Eundem, lib. VI. c. VII. extr. Veſtalibus non niſi albâ veſte uti licitum. Suid. voc. νουμᾶς. Albâ item utebantur Germanorum Sacerdotes feminæ. Strabo, lib. VII. Et hoc boni ominis fiebat gratiâ, quia albus color præcipuè decorus Deo, ut ait Cicero, lib. II. de Ll. c. XVIII. quoniam pulcher, lætus, lucens ac ſplendens. Corn. à Lapide in Ep. Jac. II. v. 2. inde Λαμπρὸς ſæpe exponitur *albus*.

Caſaub.

Caſaub. exerc. XVI. ſect. LXXIII. & *Albus dies* proverbialiter pro felici ponitur. Hadr. Jun. cent. III. adag. LIX. Certè Jovi non niſi albato hoſtia immolabatur. Agell. lib. X. c. XV. extr. Licet facies ejus quandoque miniô in ſacrificiis inlita fuerit. Plinius, H. N. lib. XXXIII. c. VII. Arnob. lib. VI. adverſ. gent. Juno ad ſacrificia ſua albicantibus bobus trahebatur; quibus deficientibus liberi ſubſtituti, cujus laboris merces â matre eorum Sacerdote vel Antiſtitâ petita. Vide Palæphatum, lib. ἀπίστων. c. ult. De Junone. Fides apud Romanos *Candida* vocata, albiſque veſtibus culta. Rycquius de Capitol. Rom. c. XLII. Manuque albo panno involutâ ei ſacrificabatur, teſte Horatiô, lib. I. Od. XXXV. v. 21. unde â Virg. *Cana fides* dicitur. lib. I. Aen. v. 296. Servius ad Ecl. V. v. 56. *Candidus inſvetum* &c. *Candidus* i. e. *Deus; ut contrà mortuos nigros dicimus.* Daniel. VII. 9. & Apocal. VI. 2. albus color valde commendatur; imò Matth. XXVIII. 3. Angelis attribuitur. Per eum quoque olim integritas & caſtitas indicabatur, quando German. viragines lineis albiſque tunicis ornabantur; veluti hodie Italorum virgines deſponſatæ, quas *Fiances* vocant. Lazarus Bayfius de Re Veſt. Significabat & hilaritatem in conviviis, ſeu convivarum veſtibus. Vide Cic. in Vatin. Choul. p. 297. Niger contra color infeſtus, triſtis, vitiorum index. Horat. lib. I. Sermon. Sat. IV. v. 85. *Hic niger eſt.* Et paulò pòſt, v. 9. *Infeſtus nigris.* Vandali in conviviis & compotationibus ſuis pateram certis verbis conſecrabant, ſub nominibus boni & mali Dei: Illum *Bel-buch*, hunc *Zernebuch*, adpellârunt. Eſt autem illis *Bel* albus,

Zerne

Zerne niger, & *buch* Deus. Vide Munſterum, lib. III. Cosmogr. Crantzium Vand. lib. III. c. XXXVII. Niger itaque color in luctuoſis ſacrificiis non ſolùm quoad hoſtias, ſed & circa ſacerdotales veſtes obſervatus. Vide Stuck. f. 70. Seneca, Oed. Actu III. ſc. I. v. 552.

Vates amictu corpus & frontem quatit;
Lugubris imos palla perfundit pedes.

Non poſſum non hôc locô referre mirandum illud, quod habet Beatus Antoninus Martyr: *In parte ipſius montis habent Sarraceni idolum ſuum poſitum marmoreum, quod eſt candidum ſicut nix: Ibi permanet Sacerdos indutus dalmaticâ & palliô lineô. Quando autem venit tempus feſtivitatis eorum, percurrente lunâ, antequàm ſacerdos ingrediatur ad diem feſtum illorum, incipit marmor illud mutare colorem; & dum adorant idolum, fit marmor illud nigrum ſicut pix: Completôque tempore feſtivitatis revertitur in priſtinum colorem, unde & valde admirati ſumus.* In itin. p. 29. Auguris autem togam Choulius (qui & formam ejus oſtendit p. 252. 254. veluti etiam Urſinus p. 19.) coccineam fuiſſe perhibet, atque ita deſcribit: *Une double togue, ou robe Augurale, que les Romains nommerent* Lena *ou* Trabea, *qui eſtoit teincte en eſcarlatte.* p. 251. Saliorum habitum colore violaceô depingit Idem: *L' accouſtrement des Salies eſtoit une robe honnorable de couleur violette, qu' ils trouſſoyent.* p. 260.

Enucleabimus porrô formam, quæ ſ talis erat: Talaris arctiſſima, ſtrictiſque manicis vel ad crura demiſſa, ita adhærens corpori, ut in ea nulla adpareat ruga. Ita verò Sulpitius Scholiaſta Lucani: *Toga in*

in ſiniſtrum humerum ſi rejecta, ut una ejus lacinia hominem cingat. Apulejus: *Antiſtites ſacrorum proceres illi, candidô linteamine cinctum pectoralem adusque veſtigia ſtrictim injecti, potentiſſimorum domini proferebant veſtigia.* lib. XI. Metam. Beroaldus per *Cinctum* apud Varronem intelligi putat Sacerdotalem hanc veſtem. Prudent. de Sacerdote, Hym. XIV. v. 1015. περιστ. *Cinctu Gabinô ſericam fultus togam.* Lucanus, lib. I. v. 596. *Turba minor ſequitur ritu ſuccincta Gabinô.* â Gabiis nempe Latii civitate, ad dexteram viæ Præneſtinæ, ubi & Latomiæ, ut docet Strabo; cujus incolæ ſacrificantes, auditô hoſtium adventu, ita accincti in bellum euntes, victores redierunt. *Gabinus cinctus*, ait Servius, *eſt toga, ſic in tergum rejecta, ut una ejus lacinia à tergo revocata hominem cingat. Hôc autem veſtimenti genere utebatur Cos. bella indicturus; ideò quia cùm Gabii Campaniæ civitas ſacris operaretur, bellum ſubitò venit; tunc cives accincti togis ſuis, ab agris ad bella profecti ſunt, & adepti victoriam,* ad lib. VII. Aen. v. 612. Vide Stuck. f. 72. Apulejus eandem talarem *Chlamydam* vocat: *Et humeris* (Piccartus ſcribit: *Ex humeris* c. XVI. peric. Crit.) *dependebat pone tergum pretioſa chlamyda.* l. c. Sed chlamys aliàs militaris, peregrinantium, & venatoria veſtis erat, ceu id clarat P. Victorius, V. L. lib. II. c. XXI. Græcis teſte Joſephô dicitur πόδηρις, *Poderis*, inquit Heſychius & Suidas, *tunica usque ad pedes demiſſa.* Huc Virgilius reſpicere videtur: *Threicius longâ cum veſte Sacerdos.* lib. VI. Aen. v. 645. Tali ferè apud veteres præcinctus pingebatur Aeolus, ſi credimus Albrico de Deorum Imagg. c. XIII. Erat & album veſtimen-

ſtimentum *Suffibulum* dictum, oblongum, prætextatum, & quadrangulum in capite, quod fibulâ ſubnectebant: ideò Opiconſivæ Deæ ædem nulli, præter Veſtales virgines & Sacerdotem publicum, ingredi licebat; quòd hic, dum introiret, fibulâ carebat. Vide Varronem, lib. V. de L. L. Poſſem hîc varia ex Roſino, Grutero, Choulio, Urſino & aliis citare loca, in quibus Veſtes ſacrificæ variis è numis, marmoribus, ac fragmentis depictæ extarent: Sed quia ampliori hæc pede excurrerent, pergo.

Hac autem de cauſa talaris illa Cinctus dicebatur, quoniam baltheô ſeu cingulô pellis colubrinæ ſimilitudine inter pectus & umbilicum ſtringebatur: quod fuit lorum vel faſcia, qualem fermè habuêre Aureli milites apud Vopiſcum, c. XLVI. aurô & ſericô, aut linô contexta, *Paragauda* dicta, quam deſcribit Cœl. Rhod. L. A. lib. XVI. c. X. Turnebus, adverſ. lib. IX. c. XI. cujus etiam mentionem facit L. 1. & 2. C. de Veſt. olob. & aur. &c: Aliàs genuinum militum inſigne cingulum ſeu baltheus erat, qui dextro humero impoſitus obliquè ante pectus & poſt tergum deſcendebat, cui in imo enſis adligabatur. Pancirollus, V. L. lib. I. c. XI. Nec quisquam in caſtris ſine ignominiæ nota diſcinctus verſabatur. Salmuth. not. ad Pancir. Et veluti ſtatim ac quis miles evadebat, cingebatur & teſtari poterat. l. 25. ff. de milit. teſtam. Ita ut primum quispiam exauctorabatur aut mittebatur, cingulô exuebatur: Talesque inde *Cingulô Exuti* vocabantur. l. 1. C. Ne rei dom. cing. ſpol. l. 3. C. de domeſt. & protect. Poſteà *Cingulô exui* ſeu *privari*, erat dignitate dejici, exponente ita gloſſ. ex Accur-
ſio ad

ſio ad Auth. coll. 2, tit. 7. nov. 12. c. 1. Idem habet ſignificatum *Cingulorum* vox l. 11. C. de Murileg. & gynæc. &c,

Leucoparyphe illa hyacinthô, & byſſô, & coccô, & purpurâ variata mirabilique opere etiam apud Judæos texta fuit. Exod. XXVII. v. 6. 8. 15. 33. Exod. XXXIX. v. 3. 5. 8. 24. 39. Deſignabanturque eô quatuor Elementa. Hyacinthus aërem colore ſignificabat: Byſſus terram, è qua linum oritur, declarabat: Coccum ignis erat indicium: Purpura mare innuebat, eò quòd piſcium ſangvine coloratur. Hæc Beroaldus, Cœlius & alii. Joſephus: *Princeps Sacerdotum ſuperinduitur tunicâ de hyacintho factâ, quæ & ipſa talaris eſt, & Zonâ conſtringitur coloribus prædictis, floribus exornatâ, auro contextâ, variatâ.* lib III. Antiq. Fulgentius *multiplicem* veſtem vocat in mythol. Galli quoque ſtolâ *ποικίλῃ* gaviſi ſunt teſte Diod. Siculô, lib. II. Veſtalium tamen veſtimenta fuêre purpurata i. e. non variegata, ſed prætextâ & limbô in oris purpureô; quod ulteriùs perſequitur Lipſius, ſynt. d. Veſt. c. XII. Ex quo Ovidi locus dilucidatur lib. IV. Faſt. v. 339. *Illic purpureâ canus cum veſte Sacerdos.* Variis inſuper amicula illa characteribus, hieroglyphicis litteris, & imaginibus denotata erant. Apulejus: *Byſſinâ quidem, ſed floridè depictâ veſte conſpicuus.* Et paulò pòſt: *Colore variô circumnotatis inſignibar animalibus; hinc dracones Indici, inde gryphes Hyperborei, quos in ſpeciem pinnatæ alitis generat mundus alter: Hanc Olympiacam ſtolam ſacrati nuncupant.* lib. XI. Metam. Pſyche apud eundem in Junonis fano *lacinias aurô litteratas* videt, lib. VI. Metam. Plautus de Sacerd. *Nam* *hæc*

hæc litterat' eſt. Rud. II. V. 21. Ubi quidem *Litteratus* eſt litteris inſignitus atque refertus: veluti in inſcribtione Polæ in Iſtria legitur: MALLEOLO. ET. CELTE. LITERATVS. SILEX. Mirum, Patricii & Senatorii ordinis inſignia in Hierophantis conſpici; namque Herculis Sacerdotes poëta nobiliſſimus Silius Italicus *laticlavios* nobis ſiſtit lib. III. Pun. v. 26.

Diſcinctis mos thura dare, atque è lege Parentum
Sacrificam lato veſtem diſtingvere clavo.

En, Lector, veſtes ſacras: alias quidem amplas, alias anguſtas; alias candidas, alias furvas; alias verſicolores, alias ſimplices; curtas alias, alias promiſſas: Adde, alias virorum, muliebres iterum alias, ſed quas in quibusdam ſacris immutatas legas. De hujuscemodi Tacitus: *Apud Nabarvalos antiqua religionis lucus oſtenditur: Præſidet Sacerdos muliebri ornatu.* lib. de M. G. c. XLIII. 5. Marcobius: *Philochorus quoque in Attide eandem* (ſcil. Venerem) *adfirmat eſſe Lunam, & ei ſacrificium facere viros cum veſte muliebri, mulieres cum virili.* Saturn. lib. III. c. VIII. Huc reſpicere videtur Moſes, Deut. XXII. 5. *Ne ſint arma viri ſuper mulierem, nec induatur vir veſtimentô mulieris.* quæ verba citat R. Ben-Maimon in More-Nebochim part. III. c. XXXVIII. & addit: *Invenies enim in libro* טמטום (i. e. de obſtructis) *præcipi, ut vir geſtet veſtimentum muliebre coloratum, quando ſtat coram ſtella Veneris, ſimiliter ut mulier induat loricam & arma bellica, quando ſtat coram ſtella Martis,* Hæc ex Buxtorfi verſione. Quidam neſcio qualem librum artis magicæ, quem compoſuerit Centir, obtrudunt:

M In

In Ebræo tamen nihil de Centir, verùm ספר מוסמט

A Judæis Ethnicos ſacrarum veſtium formam, (cùm non adeò â ſe invicem differant) nec vice verſâ ab his illos petiiſſe, ſatis conſtat, & vel exinde probari poteſt, quod Judæis ſeverè interdictum erat in talibus gentiles imitari. Ita enim Maimonides: אין הולכין בחקות גוים ולא מדמין להן לא במלבוש ולא בשער i. e. *Non ſequentur* (Iſraëlitæ) *gentium ſtatuta, nec ſimiles erunt illis vel veſtium habitu, vel capillis.* lib. עכום c. XI. §. 1. & §. 2: לא ילבש במלבוש המיוחד להן i. e. *Non veſtem induet gentibus peculiarem.* De amictu illo Judaico vide Exod. XXVIII. 2. & XXXIX. 2. Levit. VIII. 7. In Sanctuario ſive adyto ſacerdos quatuor veſtibus uſus fuit, quæ â Talmudicis, *Albæ* adpellantur; quas finitô feſtô depoſuit, nec unquàm denuò in iisdem miniſtravit: quod contra Rabbinos & Seldenum ex Maimonidis Hilcoth Kele Hammikdaſch, c. VIII. probat Sheringham in Joma, c. III. Ceterùm exteriùs Sacerdos magnus ſemper octo veſtibus in ſacris fuit amictus, quas Talmudici *Aureas* vocant: Gregarii verò ſacerdotes tantùm quatuor. Eas recenſet R. Levi Barſellonius in Paras. Tetſauve: & Cod. Joma: כהן גדול משמש בשמנה כלים וההדיוט בארבעה בכתנת ומכנסים ומצנפת ואבנט מוסף עליו כהן גדול חשן ואפוד ומעיל וציץ: i. e. *Sacerdos magnus in octo veſtibus miniſtrabit; gregarius quatuor: In tunica, & femoralibus, & tiara, & baltheo. Sacerdos magnus his addidit pectorale, & ephod, & pallium, & laminam* c. VII. §. 5. Singularum harum explicationem latiorem habes apud Sheringham. in l. c. & Sigonium de R. E. lib. V. c. II. Adde Hieronymum ad Fabiolam, Joſephum A. J. lib. III. c. VIII. Korban Aharon,

To-

Torath Cohanim ad finem Paras. Tetſau. Maimonidem in Hilcoth Kele Hammikdaſch: Item Rabbinorum commentaria in Exod. XXVIII. 2. 4. ſ. & XXXIX. 2, 3. ſ. De Femoralibus, quibus præcordia, necnon femora ac pudenda conſtringebantur, ne malus ſudor, qui ab axillis & locis iſtis prodit, veſtes ſacras inquinaret, videri poſſunt Iſidorus, lib. XIX. c. XXII. & XXXIII. Kimchi in Ezech. XLIV. 18. Targum Jonathanis ibid. Joſephus l. c. Sheringham in l. c. Inter has obſerva Tiaram, Baltheum, Tunicam hyacinthinam, & lineam ſtrictam, quas omnes ad gentilium indumentorum formam ſartas, deſcribtio earum oſtendet, quam habet Sigonius l. c. Neque etiam ab Ethnicorum Cinctu diſcrepabat Ebræorum Ephod, quod eſt ab אפד cinxit, vel accinxit: De eo Don Is. Abravanel in hunc modum; *Ephod erat veſtis ex lino facta, ad ſimilitudinem amiculi Pontificii; fuit tamen figura ejus alia.* ad 1. Sam. III. Accuratiùs idem R. Abravanel פי׳ תורה *Ephod, cujus latitudo reſpondebat latitudini tergi Pontificis, ab humero ad humerum, fuit infra axillas ab humeralibus ſuſpenſum: Prodiit verò è regione cordis cingulum à duobus lateribus, quod amiculum ad pallium adſtringebat.* Vide de Ephod plura apud Hieronymum, ep. ad Fabiolam de veſte Sacerd. Joſephum, l. c. & lib. VI. B. Jud. Suidam voc. ἐφοδ. Zonaram in Conſtant. Copronymo, Cerdam adverſ. ſacr. c. LXIV. num. 2. Sheringh. in Jom. c. VII. 5. Greg. Francum Lex. S. voc. 431. Palliorum illorum mentio fit Exod. XXVIII. & alibi; etiam Ethnicis non incognitorum, teſte Herodotô. Ita *Tutulum* pallium erat, quô ſacerdotes caput tegebant, cùm ad ſacrificium ac-

acceſſiſſent. Vide Fulgentium. Virgil. *Et caput ante aras Phrygiô velatus amictu.* Palliorum illorum fimbriæ tintinnabulis, malis punicis & globulis aurô textis ornatæ fuêre. Exod. XXVIII. v. 34. c. XXXIX. v. 24. Hieronymus ad Fab. Sheringham ad Joma, c. VII. §. 5. eas Suidas ῥοΐσκὺς adpellat. Propter cultores tamen Baal-Peor, qui ſe retegebant, habuére Judæi braccas, quibus tegebant in ſacrificiis, quæ pudor cooperire jubet. Videatur R. ſapientiſſimus Moſes Ben-Maimon in More-Nebochim lib. III. c. XLVI. & in Miſnah Thorah tract. עכו"ם c. III. Veſtibus his ſacris Sacerdotibus Ebræorum etiam extra immolationis tempus, tàm in Sanctuario, quàm extra illud, modò non extra urbem, uti licuiſſe contra Seldenum de ſucceſſ. in Pontific. Ebr. lib. II. c. VII. iterum probat Sheringham in Joma c. VII. §. 1. חוץ מן האבנט לפי שהוא שעטנז ולפיכך אסור שלא בשעת עבודה: i. e. *Exceptô tamen baltheô, quia pannus mixtus erat, & propterea prohibitus eô tempore, quô non adminiſtrabat*; ait R. Levi Barſellonius in Paraſ. Tetſauve. Opus etiam erat inter ſingula miniſteria mutare ſacerdotem veſtes, corpus lavare, & manus pedesque bis ſanctificare. Vide Sheringham ad Joma, c. III. & VII. Ob quam crebram veſtium mutationem, & earum quidem utpote linearum tenuitatem, Sacerdd. ſæpe in graviſſimos incidiſſe morbos ex Maim. refert Cunæus de R. E. lib. II. c. XIV. Propterea ſacerdotum ſaluti præficiebatur aliquis, ממנה על החולין dictus. Ideò etiam Sacerdos, amicis convivium parabat, בשעה שיצא בשלום מן הקדש i. e. *quando in pace exierat è ſanctuario.* Joma, c. VII. §. 4. extr.

Provolvamur jam ad Sacrificulorum noſtrorum

pe-


pedes: Aliorum quidem nudos: Extat Pythagoræ ſymbolum: *Nudis pedibus rem divinam facito.* Juvenal. Sat. VI. v. 159. *Obſervant ubi feſta merô pede Sabbata reges.* Strabo Germanorum Sacerdotes *γυμνόποδας* tradit, lib. VII. Certè Cunradus Celtes è vetuſtiſſimo templi cujusdam ſaxo Druidas nobis ſiſtit nudis pedibus, capita inte&tos, græcanicô palliô & cucullatô, perulâque & barbâ ad ingvina usque promiſſâ, & circa naris fiſtulas bifurcatâ, in manibus librum & baculum Diogenium geſtantes, ſeverâ fronte, triſti ſuperciliô, obſtipô capite & figentes lumina terris, in Norimberga, c. III. Virgines è Sacerdotio Veſtæ nudô pede fugientia ſacra comitantur. Florus I. XIII. 2. Neque ſacra loca niſi nudatis pedibus calcari poſſe putabant Judæi; illisque Moſis exemplum obverſabatur, ad quem Jehova: *Solve calceamentum de pedibus tuis, quia locus, in quo ſtas, ſanctus.* Exod. III. 5. quod idem Angelus Joſuæ repetit. Joſ. V. verſ. ult. Hoc poſteà præceptum Sacerdotibus datum, R. Moſes Bar-Nachman Gerundenſis adnotat, ut nudipedes in templo ſacris operarentur. Vide Mart. Del-Rio adag. V. T. 173. Salmuth in Pancirollum R. M. Tom. 2. lit. 10. p. 440. Præcipuè verò in die expiationis jubebantur nudis incedere pedibus ex ſequenti Miſchna: יום הכפורים אסור באכילה ובשתיה וברחיצה ובסיכה ובנעילת הסנדל ובתשמיש המטה והמלך והכלה ירחצו את פניהם והחיה תנעל את הסנדל דברי רבי אליעזר וחכמים אוסרין; i. e. *In die expiationis interdictum eſt in cibo, & in potu, & in lotione, & in unctione, & in inductione calcei, & in miniſterio lecti: Rex verò & ſponſa levabunt facies ſuas, & puerpera calceos induet: Verba Rabbi Eleazaris: at*

 ſa-

ſapientes prohibent. In Joma, c. VIII. §. 1. Quod tamen de coriaceis tantùm intelligendum eſt; cùm ſocci ex panno neutiquàm prohibiti fuerint, teſte Druſiô ex Hiskuni, c. LVI. ad Levit. Arba Turim, in Hilcoth Jom Hakkippurim: מותר לילך באנפלאות של בגד לא שנא בבית שנא ברשר הרבים; i. e. *Licitum eſt* (ſcil. in die expiationis) *incedere ſoccis panni; nihil inter eſt, ſive privatim, ſive publicè.* Vide Menaſſeh ben Iſraël in theſouro dos dinim, lingvâ Hiſpanicâ ſeu potiùs Portugallicâ ab eo conſcribto, c. XCVIII. Buxtorfium ſynag. c. XXI. Seldenum de uxor. Ebr. lib. I. c. XIV. Sheringham. ad Joma, l. c. Cl. Geier. de L. E. c. XV. §. 6. Sed & coriaceis uti poterant infirmi & pede vulnerari, referente Menaſſeh ben Iſraël; Item puerperæ, ut notare licet ex Joma, l. c. & Arba Turim in Hilcoth jom Hakkippurim: Necnon ii, quibus â ſcorpionibus in loco periculum erat, atteſtante Gemarâ Babylonicâ ad cit. Miſchnam. Ceterùm veluti hîc, ita & aliàs diſcalceatio adflictionis apud Judæos ſignum erat, ut videre eſt ex 2. Sam. XV. 30. Unde lugentes apud eosdem nudis incedebant pedibus. Vide Geierum de L. E. c. XV. §. 4. Quod ipſum de hodiernis Judæis adſerunt Buxtorf. Synag. c. LIII. & Cod. Minhagim his verbis Wann das *meth* noch nicht zu *kefura* iſt kommen / darf der *afel* nicht die Schuch auſzthun: *Poſtmodùm inchoatô ſemel luctu*, muſz er die Schuch auſzthun / und ſoll ſein Weib ſtehen laſſen. c. ult. De nudis pedibus orantium Judæorum & Chriſtianorum vet. Eccleſ. vide Virum Clariſſ. D. Hildebrand. rit. or. c. VIII. §. 9. & ſeqq.

Aliorum verò de calceis varii generis munitis vide

vide numos Choull p. 283. 284. Vix hîc crediderim Porphyrio tradenti, calceos non requiri ad ſacrificia puros. Verba ejus ſunt: Οὐ γὰρ δὴ ἐν μὲν ἱεροῖς ὑπ' ἀνθρώπων θεοῖς ἀφωσιωμένοις, καὶ τὰ ἐν ποσὶ καθαρὰ δεῖ εἶναι καὶ ἀκηλίδωτα πέδιλα. lib. II. περὶ ἀποχῆς §. 46. Caliga an calceamenti genus fuerit, variè diſſerunt Viri litteratorum principes atque proceres, Seldenus, de uxor. Ebræorum, p. 103. Dilherrus, elect. lib. II. c. XIV. Rubenius, elect. lib. II. c. XIV. Berneggerus in Juſtin. lib. XXXVIII. c. X. 3. Joh. Tobias Major ad Act. XII. 8. Item Jul. Nigronius pecul. tract. de Caliga veterum. Calcei Auguralis formam lectori in tabella capiti huic præpoſita lit. E. ex antiquitate proponimus. Seneca *Phecaſios* Alexandrinorum Sacerdotum, qui inde Phecaſini dicti, calceos adfert. Vide Parrhas. adnot. in Or. Cic. pro. Mil. Apulejus juvenem quempiam *palmeis baxeis* indutum producit in medium: lib. II. Miles. quæ erant philoſophica aliàs calceamenta. Vide Lipſium, Elect. lib. I. c. XIII. Hadr. Junium in de pall. Tertull. Taubm. in Men. Plaut. II. III. 40. Herodotus apud Aegyptios calceos papyraceos à Sacerdotibus geſtari conſvetum fuiſſe refert. Marcellinus *linteis quendam indumentis amictum, calceatumque itidem linteis ſoccis* conſpiciendum præbet lib. XXIX. c. I. peculiares penè Gallorum Druidæ ex ligno geſtabant; Sed num in ſacris, ambigo: â quibus figura Mathematica



der Drudenfus adpellatur. Aventinus lib. II. Ann. Bojorum. Quod non intelligendum calceos fuiſſe pentagonos, quam opinionem Schedl rectè præſcindit Eſaias Pufendorf. c. III. de Druid.

de Druid. ſed quod iis inſculptum fuerit pentalpha, ſalutis ſymbolum; exinde poſteà Drudenfuß dictum. Vide Hermannum Lignaridum oblect. Acad. c. I. Quô etiam nomine inſignitus erat Francicus quidam numus, figuram iſtam incuſam gerens, cujus meminit Celtes in Norimb. c. III. Eos qui conficiebant *Gallicularii* dicti. Gloſſ. Iſid. Aliàs apud Græcos erat genus ſolearum *Diabathra*, cujus confectores *diabathrarii*. Feſtus. Turneb. lib. XXIII. c. XVII. Romanorum calceis præfixæ erant Lunulæ, teſte Plutarchô, probl. LXXV. cum notis BoxhornI; ubic auſſam reddit, quare lunati illi nobilium ferè fuerint. Vide & Iſaacum Grangæum comm. ad Juv. ſat. VII. Neſcio etiam annon Sacrificuli, Regibus & Summatibus omnimodò compares, adrogârint ſibi *Mulleos* ſive purpureos calceos, quibus & *Tyrrhenorum* nomen, regibus primùm & triumfantibus peculiares; referente Catone, origg. lib. VII. Item Dione, lib. XLIII. Hinc illud: DE MANUBIIS. CIMBRICIS. ET TEUTONICIS. ÆDEM. HONORI. ET. VIRTUTI. VICTOR. VESTE. TRIUMFALI. ET. CALCEIS. PUNICEIS. Poſteà Senatoribus, Patriciis & equitibus; tandem militibus communes. Servius in VIII. Aen. Dicti illi ſunt vel â μύλλειν ſubigere, vel, quod inluſtri Salmaſio adridet, â μύλλος, quod obſervante Heſychiô eſt κάμπυλον, σκολιὸν, κυλλὸν, στρεβλόν. Nominatus ab iis *Mullus*, perhibente Pliniô, H. N. lib. IX. c. XVII. piſcis albô ventre; aureas habens lineas, ſed dorſô & capite rubens: de quo Ovid. in Halieut. v. 123. & Oppianus lib. I. ἁλιευτ. Vide aureolum Muſarum caput Salmaſium ad Tertull. de pall. p. 391.

f. Voſſium

ſ. Voſſium de Idol. lib. IV. c. V.

At teneras ſemellas in caſtitatis omen & puritatis oppidò ornabant calceamenta candida, è molliori pellicula ac attenuata membrana planè ut ea delineat Apulejus: *Sumtâ veſte muliebri floridâ in ſinus floccidos abundante, mitellâque textili capite contectô, calceis fœmininis albis illis & tenuibus indutus, & in ſequiorem ſexum incertus atque abſconditus.* lib. VII. Metam. His inſerebant ſuber, ut auguſtiores viderentur. Vide Victorium, V. L. lib. XV. c. XXIII. quales ſoleæ (quæ vox omnia fermè id genus, quibus plantarum calces tantùm infimè teguntur, ceteris prope nudis & teretibus habenis junctis, ſignificat: cum ea conveniunt *Crepidarum* & *Crepidularum* vocabula: quarum ſutores vocabantur *Crepidarii* veluti calceorum *calceolarii*, ſolearum *ſolearii*. Lapis Narbonenſis: L. BRAETIUS. LITARINUS. SOLEARIUS. Et qui his induti erant. *ſoleati*. Vide Agell. lib. XIII. c. XXI. Beroaldum ad. lib. IX. Metam. Apul.) nec hodie puellis ac mulierculis ſunt inſolentes. Vergebat tandem ornatus hic in turpem luxuriam ac confertam mollitiem quando certi ad id homines conſtituti erant, *Murrobathrarii* vel *Myrobathrarii* qui calceamenta muliebria ungventis odoribus & ſuffimentis imbuebant, ut docent Turneb. not. ad Theophr. & Taubmannus, not. ad Aul. III. V. 37. alii tamen in hoc Plautino loco *myrobrecharii* ſubſtituere laborant, â myrobrechis, ungventariis vaſibus; de quibus Alciatus Lex. Plaut. voc. Myropolia; quâ etiam voce L. illam 1. C. de Excuſat. art. quæ profectò multâ egere ſpongiâ videtur, reponere non ambigo: *Signarii, fabri, myrobre-*

myrobrecharii &c: quum prius legeretur: *fabricarii, bracharii:* & hæc dictio nimis pueriliter à graviſſimo JCto Accurſio exponeretur: *à longis brachis Teutonicorum vel torcularium.* Similis luxus Judaicarum mulierum circa calceos fuit. Vide Jeſ. III. v. 16. 18. quos R. Abarbanel altos fuiſſe dicit. R. Jitzchack ait eas indidiſſe quoque balſamum & myrrham: Et hos Judaicarum calceos myrrhatos è corio molli, tenero ac elegante, in uſum virginum matronarumque delicatarum paratos, cenſet Oſiander. Vide Ezech. XVI. 10. Cant. VII. 1. & ad eos interpretes. Certè ſandalia Judith. (c. XVI. 11.) rapuiſſe dicuntur oculos Holofernis. Pro pretioſis iſtiusmodi calceis vendidêre pauperem. Vide Philologum adamuſſim Geierum de L. E. c. XV. §. 1. Eò verò laſcivia excrevit, ut & aurei conficerentur calcei, & aureis clavis confixi (*clavati* dicti) & gemmei. Vide Clem. Alex. pædag. lib. II. c. IX. Calceorum Junonis aureorum mentionem facit Gyraldus, ſynt. III. Et tales quidem margaritas indebant, quæ ſplendidum atque gratum ſonum conliſu ederent, *Crotalia* dictas, de quibus Plinius loquitur: *Quin & pedibus, nec crepidarum tantùm obſtragulis, ſed totis ſocculis addunt: Neque enim geſtare jam margaritas, niſi calcent, ac per uniones etiam ambulent, ſatis eſt.* H. N. lib. IX. c. XXXV. In genere de calceis vide Turnebum, lib. XXVIII. c. XXI. Lipſium, elect. lib. I. c. XIII. Roſinum, lib. V. c. XXXVI. & ad eum Dempſterum, Pancirollum, lib. XLIV. & ad eum Salmuth. Bened. Balduinum in calceo antiquo.

In ſcortis illis enervatis & quâvis feminâ effeminatioribus Deæ Syriæ Sacerdotibus calceos *luteos* deprehen-

prehendimus. Audiamus denuò Apulejum: *Prodeunt mitellis, & crocotis, & carbaſinis, & bombycinis linteis; quidam tunicas albas in modum lanciolarum, quoquò verſum fluente purpurâ depictâ, cingulô ſubligati, pedes luteis induti calceis*. lib. VIII. Metam. Beroaldus h. l. cauſſam adſignat, quoniam lutei coloris honos antiquiſſimus in nubtialibus flammeis, totus feminis conceſſus ſit: & paulò ante *Crocotas* i. e. tunicas infectas croceô colore, dicit eſſe veſtimenta delicata, & feminea; unde Nævius optimô epithetô *mollicinam crocotam* nuncupârit. At verò cur luteus color feminarum, inprimis malacarum, imò proſtibulorum proprius? Ne ſcil. maculæ illæ, quæ inter libidinandum veſtibus quandoque adlinerentur, alium colorem turparent: *Luteus quippe color, eſt rufus dilucidior*, ut inquit Agellius, lib. II. c. XXVI. Hujus coloris non difficulter arbritamur fuiſſe centonem, ſuper quem in fornicibus rancidæ Recelliclumiæ & Scranctiæ ſubagitarentur, de quo Calderinus ad illa Juvenalis, Sat. VI. v. 121. ſ.

Intravit calidum veteri Centone lupanar,
Et cellam vacuam atque ſuam; tunc nuda papillis
Conſtitit auratis, titulum mentita Lyciſcæ;
Oſtenditque tuum, generoſe Britannice, ventrem.
Excepit blanda intranteis, atque æra popoſcit &c:

Neque enim rem tetigit ſagaciſſimus Terentii ſcholiaſta, quando in Comœdiis veterum ideò luteis meretrices veſtibus atque amiculis in theatrum introductas cenſet, ut earum avaritia deſignaretur. præf. in Ter. Sed ne Sutor ultra crepidam!

CAPUT X.

SAcerdotum vittæ. Inſulæ: Inſulati, verbenati. Flaminis Dialis apex: Ejus forma. ChoulI conjectura leviſſima proſcinditur. Tiara, Galerus, Strophion, Strophus. Inarculum. *Aliquot aliæ mitræ Sacerdotales.* Offendices. *Ebræorum ſacerdotales pilei: Eorund. Lamina. Sacerdd: coronati cur? ςιφηφόροι. Variæ variorum Sacerdd. coronæ. Laurus Apollini ſacra. Mitræ coronis religatæ: aut torulo. Sacerdd. quidam uncti: & pigmentis colorati. Glaſtum: Luteum. Sacerdd: quidam comati. Arbor Capillata vel Capillaris. Rutilus Germanorum crinis: Ejus forma. Germanorum barbæ Sacerdd. quidam tonſi. Mulieres quomodo crinium abſciſſionem declinaverint? Sacerdd. cur* Calvi *dicti? Sacerdd. Chriſtianorum primorum tonſi. Triplex tonſura.* κȣρὰ ἐκτόρειος. *Tonſura Theſeia. Arabum tondendi modus. Sacerdd. gentiles barbam radebant: Secus omnes viri Ebræi. Barbæ quinque partes. Radentium pœna.* מוםמים *quinam? Hermaphroditorum Synonyma. Quid de eis Romanorum jus? Quid Ebræorum? Codicis*

dicis טומטום *Auctor. Ebræis extremitatem capilli auferre licebat: ſed forfice tantùm.* σκάφιον: κῆτος. *Sacerdd. raſura ab Ægyptiis orta: Cur hi radantur. Raſuræ in luctu initium: Ebræis prohibita. Lugentes tonſi. Triplex modus conſecrandi mortuis capillos. Mulieres lugentes ſolvebant crinem. Tibulli locus aliter atque aliter explicatur. Capilli in feminis ornamentum. Feminæ Lucinæ ſacrificantes ſolutis crinibus. Mortui tonſi. Explicatio quædam in Euripide reſpuitur. Veterum de agonizantibus opinio. Periclitantes tonſi. Raſuræ contemtus. Feminæ capilli ſtudioſæ. Matronarum comæ nigræ: Scortillorum rutilæ. Varia capillorum ornamenta recenſita. Ornatrices. Raſura cur turpis? Victi & ſervi raſi. Servi libertate donati raſi cur? Adulteri raſi: Raſuræ genus pœnæ: & contumeliæ. Puniendi raſi.* Bale. Calvus *convitii nomen: Locus II. Regum II. 23. explicatur. PerſI locus ſolidè enucleatur. Scholiaſtarum PersI vanæ conjecturæ. Phraſium quarundam Germanicarum ratio. Venus calva: Armata: Cluacina, Equeſtris, Maſcula*

A Calce progredimur ad caput πλεςῶν quod vix in eis nudatum planè aut apertum conſpiciemus.

Vel

Vel enim mitrâ operiebantur, quales Aaroni & Sacerdotibus Judaicis imponuntur Exod. XXVIII. 39. Lev. VIII. 9. Prudentius: *Vittatus olim Pontifex.* hym. II. περιστεφ. v. 526. Lucanus de Veſtalibus: *Veſtalemque chorum ducit vittata Sacerdos.* lib. I. Pharſ. v. 595. Vide Lipſ. c. XII. de Veſt. Ovid. Triſt. lib. IV. El. IV. v. 77.

Et jam conſtiterat ſtrictâ mucrone Sacerdos,
Cinxerat & Grajas barbara vitta comas.

Seneca: *Sed cur ſacratas diripis capiti infulas?* Agam. Actu III. ſc. II. v. 693. *Infulæ*, teſte Varrone & Feſtô, στέμματα velamenta erant lanea, quibus Sacerdotes & hoſtiæ templaque velabantur. Gloſſ. Iſidori: *Infula Sacerdotalis vitta.* Hinc Sacrificantes apud Tranquillum *infulati* & *verbenati* dicuntur. in Calig. c. XXVII. De albo Flaminis Dialis galero Varro apud Agellium, lib. X. c. XV. Dicebatur ille *Apex.* Arnob. *Diales cum apicibus Flamines*, lib. V. adverſ. Gent. Servius: *Propriè dicitur apex in ſummo Flaminis pileo virga lanata; i. e. cujus extremitati modica lana eſt, quod primum conſtat apud Albam Aſcanium conſtituiſſe; modò pro ſummitate pilei intelligimus.* ad lib. II. Aen. v. 683. Et alibi: *Flamines in capite habebant pileum, in quo erat virga brevis, deſuper habens lanæ aliquid, quod cùm per æſtus ferre non poſſent, filô tantùm capita religare cœperunt; nam nudis penitus eos capitibus incedere nefas fuerat, unde â filo, quô utebantur, flamines dicti ſunt quaſi filamines. Verùm feſtis diebus filô depoſitô pilea neceſſe erat accipere, quæ ſecundùm alios ad oſtendendam ſacerdotii eminentiam ſunt reperta: ſicut columnæ mortuis nobilibus ſuperponuntur, ad oſtendendum eorum culmen.*

Alii

Alii dicunt non propter eminentiam dignitatis hoc factum; ſed quia cùm ſacrificarent apud Laurolavinium, & eis exta frequenter aves de vicinis venientes lucis abriperent, eminentiâ virgarum eas terrere voluerunt: Exinde etiam conſvetudo permanſit, ut apud Laurolavinium ingentes haberentur virgæ, non breves, ut in urbe. ad lib. VIII. Aen. v. 664. Non igitur intellexit Choulius, qualisnam ea eſſet vitta in numo argenteo AntonI, p. 250. in numo argent. Auguſt. p. 260. & in fragm. lapidis Romani, p. 259. Hanc Flaminis Dialis, illam Saliorum; iſtam ex ſuo ingenio (ut aliquando ſolet) comminiſcitur quidem, ſed tanquàm certum tradit eſſe Augurum. Enimverò, præterquàm quod nunquàm viderim in numis aut fragmentis, neque ille: ceteroquin curioſiſſimus harunce rerum indagator, adducat Augurem ita vittatum; verè quidem hanc ait eſſe Flaminis Dialis, quam etiam habet Vir Cl. Rubenius in Electis, & nos Lectori depinximus cap. præced. in tabella lit. B. ubi obſervari poteſt apex demiſſior, laurea, ac fulmen: At reliquæ illæ duæ iisdem competebant Flamminibus, cùm extra urbem facerent, quod apex protenſior indicat; qualem habes tab. cit. lit. A. Ibidem etiam lit. C. ex antiquitate proponimus Pontificis Romani vittam. De Cybeles Sacerdotibus Juvenalis, Sat. VI. v. 516. - *Phrygiâ veſtitur bucca tiarâ. Genus eſt veſtimenti,* inquit S. Eccleſiæ Doctor Hieronymus, *rotundum pileolum, quale pictum in Vlyſſeo conſpicimus, quaſi ſphæra media ſit diviſa, & pars una ponatur in capite; hoc Græci & noſtri* Tiaram, *nonnulli* Galerum, *vocant: Non habet acumen in ſummo, nec totum uſque ad*

comas

comas caput tegit, ſed tertiam partem à fronte in opertum relinquit, atque ita in occipitio vittâ conſtrictum eſt, ut non facile labatur ex capite. Eſt autem byſſinum, & ſic fabrè operatum linteolô, ut nulla acus veſtigia forinſecus pateant. in epiſtola ad Fabiol. de veſt Sacerd. *Strophion* vel *Strophus* ab Attejo Philologe exiſtimatur eſſe & vocari ſacerdotale capitis inſigne. Regina ſacrorum, ſi ſacra faceret, ex malo punico infulæ locô gerebat virgam, quam *Inarculum* vocabant. Vide Feſtum. Refer huc & alia θυοσκόων tegumenta: *Capital, Caliptram, Arculum, Mitras;* quæ exhibet Stuckius, f. 69. Ex vittis ſive infulis iſtis amenta dependebant, quòd in ligatura ſe mutuò offenderent *Offendices* dicta. Varro. Videſis tab. cit. litt. A. & C. Ebræorum pilei dicuntur מצנפת Levit. XVI. 4. & מגבעות, Exod. XXVIII. 40. ad quam vocem Rabbi Kimichi: הם הכובעים אשר משימים על הראש לתפארת Vide Boxhornium ad probl. XI. Plut. Gerebant & eorum ſacerdotes laminam, quæ erat corona aurea. Vide Robert. Sheringam ad Joma, c. VII. §. 5.

Vel coronâ ornabantur, ex ea ratione, quia ſanctimoniam rei coronis indicabant; unde & homines quoque ſacrificantes, & dii, & victimæ, & aræ, & januæ, & Imperatores, & miniſtri ſacrorum, & domus coronabantur. Vide Paſchalium de coronis. Hinc tanta tamque ſingularis στεφηφόρων dignitas: quod ex Salmaſio docet piperati pectoris Criticus Joh. Fred. Gronovius: *Chlamydati in Græcia militantes, qui ſupra vulgum & â vulgo diſcreti. At ſupra milites ipſos cujuscunque tandem dignitatis & ordinis in militia, coronati ſeu στεφηφόροι vel στεφανοφόροι*

στεφόροι ἱερεῖς. *Hæc ampliſſima in Oriente dignitas. Singulæ ferè civitates Aſiæ Græciæque habebant tunc temporis hujuſmodi* στεφηφόρους. not. ad Sen. de beat. Vit. c. II. Oſtentat lauream ſuam Delphicus: Virg. lib. III. Aen. v. 80.

- - - - - - - Phœbique Sacerdos
Vittis & ſacrâ redimitus tempora laurô.

cùm illa Apollini fuerit ſacra. Fulgentius lib. I. Albricus de deorum imagg. c. IV. Palæphatus de fabb. c. L. de Ladon. Meurſius c. de lauro. Itemque Flamines. Prudentius in apoth. v. 551.

Flamen & ipſe ſuas miratur vertice laurus
Cedere. - - - -

Spiceam fratres arvales. Plin. H. N. lib. XVIII. c. II. Agell. lib. VI. c. VII. Ant. Thyleſius, lib. de Coronis. Pineam Galli; quod Atys ſe ſub pinu caſtrâſſet. Vide Arnob. lib. V. Mimallones hederaceam. Taxeam ſacrorum infernalium antiſtes, Seneca, Oed. Actu. III. ſc. I. v. 554.

Squalente cultu mœſtus ingreditur ſenex,
Mortifera canam taxus adſtringit comam.

Imò & quidam aureas, Stuck. f. 79. Fortiſſimus acerrimi fatuitatis idololatricæ propugnatoris antagoniſta Prudentius, Hymn. ult. περὶ στεφάν· v. 1013.

Mirè infulatus ſecta vittis tempora
Nectens, coronâ tum repexus aureâ.

Atque ex his ſæpiſſimè eos etiam ſertis inſulas mitraſque conligâſſe clarè perſpicere eſt. Nec obſcurè inſuper Plinius: *Arvorum ſacerdotes Romulus inprimis inſtituit, ſeque duodecimum fratrem adpellavit inter illos, ab Acca Laurentia nutrice ſua: Spicea corona, quâ vitta alba conligaretur, in Sacerdotio ei;*

pro religioſiſſimo inſigni data. l. c. Lucanus: *Candida Phocaicâ complectitur infula lauro,* lib. V. pharſ. v. 144. Virg. lib. VII. Aen. v. 417.

- - Induit albos
Cum vitta crines, tum ramum innectit olivæ:
Fit Chalybe Junonis anus, templique Sacerdos.

Quod ſi frondes deeſſent, torulum aut ſpiram circumduxiſſe planè arbitror; & Ammianus Marcellinus producit nobis *linteis* quendam *indumentis amictum, torulô capite circumflexô,* lib. XXIX. c. I.

De Gallis aromatibus delibutis, aliisque Sacerdotibus ungventô perunctis poſſunt evolvi Virg. lib. IV. Aen. Stuck. f. 55. Sed aromatum atque ungventorum locô ſacerdotes Matris deûm ſtercus inlinebant oculis & faciei. Apulejus eos nobis ita ſiſtit: *Die ſequenti variis coloribus induſiati, & deformiter quisque formati, faciem cœnosô pigmentô deliti, & oculis obunctis graphicè, prodeunt &c.* lib. VIII. Metam. Quamvis interpretum quidam mitiùs explicent. Brittannorum conjuges (quæ in ſacris nudæ incedebant) *Glaſtô,* plantagine, quæ atrum colorem rebus imprimebat, totô corpore inficiebantur, Aethiopes imitantes, ut ait Plinius: veluti *Luteô* herbâ ita adpellatâ, mariti earum in bellum abituri cæruleum ſibi colorem inducebant, ut horribiliores eſſent in pugna adſpectu; quod ex Cæſare (quem locum ejus primus egregiè reſtituit) P. Victorius probat, V. L. lib. XIX. c. III.

Comam non apud quasvis gentes Sacerdotibus alere licebat: Aaroni quidem calvitium capitis & barbæ â Deo inhibetur. Lev. XXI. 5. R. Maimon lib. ע״ז c. XI. & XII. Herodotus Deorum ſacerdotes

dotes alibi comatos, in Aegypto deraſos ſcribit. Marcellinus Diodorum quendam Eccleſiæ præfectum fune exanimatum refert, quòd cirros puerorum licentiùs detonderet, dum id quoque ad cultum Deorum pertinere putabat. lib. XXII. c. XI. στεφανοφόροις Græcorum promiſſam ferre comam proprium erat. Alex. ab Alex. lib. II. c. VIII. & lib. VI. c. XII. Veſtales ſemel in ingreſſu tonſæ, qui capillus ad Capillatam vel Capillarem arborem ſuſpenſus; poſteà longô & ſparſô capillitiô incedebant. Vide Lipſ. de Veſt. c. XII. Sacerdotes Germanorum, veluti Germani in genere, rutilam geſtabant cæſariem; non modò nativam, ſed & factitiam, comasque â fronte ad verticem, atque inde ad cervicem revocabant: Genas tonſurâ levigabant: barbas verò abradebant, vel modicè alebant. Myſtaces i. e. ſuperioris labri pilos demittebant, ut ora ipſorum obtegerentur. Confer Diod. Sic. lib. V. Bibl. Sveton. in Calig. Auſon. Idyll. VII. Ammianum Marc. lib. XV. Clem. Alex. pædag. lib. III. c. III. Juven. Sat. XIII. Eliam Schedium, ſynt. II. c. IV. de D. G. & Criticum multis præconiis ſpectabilem, *Joh. Strauchium*, in Tacit de M. G. diſſ. I. c. VI.

Tonſuræ autem lepidiſſimus fabularum Mileſiarum Conſertor meminit: *Hi capillum deraſi funditus magnæ religionis terrena ſidera.* lib. XI. A. A. Idem Juvenem quendam *linteis amiculis intectum, & adusque deraſô capite* producit in medium. lib. II. Metam. In Adonidis ſacris Aegyptiorum inſtar radebantur: Mulieres verò formæ ſtudioſæ tale abnuentes, unô die peregrinis ſe proſtituebant, & quod inde meruiſſent, Veneri obſerebant, Vide Lucia-

num de Dea Syria. Exinde Sacerdotes â Poëtis *calvos* proclamari teſtatur ſalvificæ fidei & amœnæ eloquentiæ flos lacteus Lactantius. Neque fallit; ita enim Martialis, lib. XII. Epigr. XXIX. v. 19. *Linigeri fugiunt, calvi, ſiſtrataque turba,* Juven. Sat. VI. v. 533. *Cum grege linigero circumdatus & grege calvo.* Neque poſteà Chriſtiana Eccleſia ab hoc ritu abhorruit. Paulus quippe S. Apoſtolus in Cenchris comam detondet, Actor. XVIII. 18. & apud Paulum Diaconum nobiliſſimi tonſi ſacerdotiô funguntur & populo communionem in feſtivitate nativitatisChriſti porrigunt. lib. VIII. c. XXIII.

Fuêre autem varia raſuræ genera. Aliud erat, quô criſtas tondendo efficiebant, in medio tantùm capillis relictis: de quo Herodotus, lib. IV. Aliud, quod vocabatur *Hectorea tonſura*, κουρὰ ἑκτόρειος, ubi circa frontem præcidebatur coma; per cervicem verò poſteriorem diffluebat. Jul. Pollux. Aliud *Theſeia* nominabatur, ubi ſolum tondebatur ſynciput. Plut. in vit. Theſ. Unum atque alterum attingit R. Moſes Ben-Maimon: לא יגדל ציצת ראשו כמו ציצת לאשם ולא יגלח מן הצדדים ויניח השער באמצע כמו שהן עשין וזהו הנקרא בלורית ולא יגלח השער מכנגד פניו מאזן לאזן ויניח הפרע מלאחריו כדרך שעושין הן i. e. *Non gentium inſtar capillis erit promiſſis; non utrimque tondebitur, relictis in medio capillis; nec à fronte præcidet capillos ab una antium ad alteram, relictâ occipitis comâ; quandoquidem is mos gentilibus.* lib. עכום c. XI. §. 2. Vide Dionyſ. Voſſium in not. ad h. l. Arabes in orbem tondebant comam. Herodotus: κείρονται δὲ ὑποτρόχαλα περιξυρεῦντες τοὺς κροτάφους. in Thalia, c. VIII. Pertinet huc etiam barbæ raſura Sacerdotibus Ethnicis valde uſitata. Vide Herod.

Herod. in Eut. c. XXXVI. R. Maimonides דרך כומרי עובדי כו"ם היה להשחית זקנם i. e. *Sacerdotes Idololatrici ſolebant barbam radere.* l. c. c. XII. §. 5. Quod iterum Ebræis viris (excipiuntur enim mulieres) tàm Sacerdotibus, quàm ceteris lege ſeverâ prohibitum erat. Dividebant autem illi barbam in quinque extremitates: Maxillæ ſuperioris & inferioris â dextro latere, totidem â ſiniſtro; ac præterea cuſpidem barbæ. Ob earum aliquam reciſam Viri vapulabant: Quod ſi quis omnes ſimul raſiſſet, quinquies vapulabat. Vide R. cit. l. c. Alia tamen ratio erat. טומטום & אנדרוגינם obſtructorum & Androgynorum. טומטום dicebatur שכרותו סתומה ולא נראה בו זכרות ולא נקבות i. e. *cujus membrum genitale eſt obturatum, ita ut non adpareat, utrum maſculus ſit, an femina.* David de Pomis. Vocabulum אנדרוגינם eſt planè Græcum *ἀνδρογύνης* ſive *ἀνδρόγυνος*, qui aliàs dicitur *γύνανδρος*, *ἑρμαφρόδιτος*, *ἀῤῥενόθηλυς* &c: Plinius, lib. VII. c. II. *Utriusque naturæ* & *utriusque ſexus* vocat, Livius lib. XXXIX. c. XXII. *Semimarem.* Apud Romanos ejus ſexus cenſebatur, qui prævalebat. l. 10. ff. de Statu hom. l. 15. §. 1. ff. de teſtibus. At Ebræorum jura in hæreditatibus adeundis ſemper deteriori ſexui & filiabus accenſent. Vide Miſnah, tit. Baba Bathra, c. IX. Seldenum, lib. ad Ll. Ebræorum de ſucceſſionibus c. IX. Dionyſ. Voſſium ad cit. loc. Maim. Cùm igitur Tomtom & Androgynus nunquàm ad Sacerdotium admiſſus fuerit; in ceteris, puta raſione capillitii; barbæ, veſtitu & ſimilibus, ſubinde mulierum privilegiis frui poterant. Dilucidè laudatus Rabbi: טומטום ואנדרוגינם הרי הן ספק נותננין עליהן חומרי חומרי האיש וחומרי האשה בכל מקום והייבן בבל ואם עברי אתם לוקין:

לוקין: i. e. *De obſtructis & Androginis dubitatur: Ubique tamen eis imponuntur onera virorum ac mulierum. Ceterùm, ſi negligant, non vapulant, lib.* עכו״ם c. XII. §. 3. Extitit olim Codex de טומטום i. e. obſtructis, cujus meminit Maimon. in More Nebochim p. 3. 38. & 41. Auctorem ejus ipſum R. Moſen deprehendimus, qui primus eum Arabicè conſcribſit, quem in Ebræum ſermonem retulit R. Samuel Aben Tybbon. Extremitatem autem capilli apud Ebræos quandoque auferre licebat, & quidem forſice, quod nos docent verba Maimonidis: לא נאסר אלא השחתה בתער: i. e. *Licet extremitatem auferre forſice, at ſcalprô non licet*, c. XII. §. 4. lib. עכו״ם Erat & apud gentes alia tonſio per pectinem; alia usque ad vivam cutem: Hæc σκάφιον; illa κῆτος vocata. Vide Turneb. adverſ. lib. XIV. c. VII.

Ritum illum tondendi Sacerdotes ceteræ gentes ab Aegyptiis, præcipuis ſacrarum cerimoniarum inventoribus, videntur hauſiſſe, de quibus Herodotus, quòd non ſolùm comas, verùm & corpus alternis diebus radere ſoliti ſint, ne inter Deorum cultum quicquam pediculorum aut alterius excrementitiæ ſordis illos pollueret. Unde Choulius: *Oultre toutes ces choſes les prebſtres auoyent la teſte raſe, à la maniere des Aegyptiens.* pag. 299. Lampridius de Commodo: *Sacra Iſidis coluit, ut & caput raderet, & Anubim portaret.* c. IX. Raſurâ autem capitis Plinius Aegyptiacos ſacerdotes Apidis ſubmerſi mortem mœrere tradit. H. N. lib. VIII. c. XLVI. Cui adſtipulatur Maternus Firmicus: *Radunt capita; ut miſerandum caſum regis ſui turpitudine capitis dehoneſtati defleant.* lib. de err. prof. relig. Qui quidem

mos

mos tondendi in luctu comam ab Ebræis fortè ad Aegyptios & ſic in ceteras pervaſit gentes. Hiob ſurgit & ſcindit veſtimenta, tonſô capite corruens in terram, c. I. 20. Jeremiæ Deus mandat, tondat capillum ſuum, & projiciat, & ſumat indirectum planctum, c. VII. 29. Vide Jeſ. III. 17. c. XV. 2. Jerem. XLVII. 5. & XLVIII. 37. Ezech. XXVII. 31. Amos VIII. 10. Mich. I. 16. CL. Geier. de L. E. c. 8. §. 6. & ſeqq. Quamvis eundem Deus Sanctiſſimus interdixerit Deut. XIV. 1. Et R. Maimon diſertis verbis prohibeat, pœnamque iis conſtituat, qui ſe mortui ergo calvum reddunt. lib. עכ"ום c. XII. §. 14. Hinc hodie Judæi lugentes intra 30. dies nec lavantur, nec tondentur. Vide Schindl. Lex. voc. פרע, Buxtorfium in ſynag. Jud.

Sed apud Gentes in afflictione, luctu & mortuorum ſacrificiis comæ detonſæ. Ita Pſyche miſella ad Parentes ſuos apud Apulejum: *Quid lachrymis inefficacibus ora mihi veneranda fœdatis; quid laceratis in veſtris oculis mea lumina; quid caniciem ſcinditis?* lib. IV. Metam. Homer. odyſſ. IV. v. 197.

Τῦτό, νυ καὶ γέρας οἶον ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι
Κείρασθαί τε κόμην, βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν.

Ovidius: *Deplanxêre domum ſciſſæ cum veſte capillos*, lib. IV. Metam. v. 545. Idem: *Parce tamen lacerare genas, nec ſcinde capillos*, lib. III. Triſt. el. III. v. 51. Vel usque ad cutem: Alcæus:

πᾶσά σοι οἰχομένῳ πυλάδῃ κωκύεται ἕλλας
ἄπλεκτον χαίταν ἐν χροΐ κειραμένη.

Vide Bonfrerium ad Deut. XXI. 12, Junium de coma, c. II. & V. & cent. IV. adag. LXXXVI. Druſium obſerv. lib. XII. c. I. Menochium de R. E.

 lib. VIII.

lib. VIII. c. VI. Quæſt. VIII. Ravanellum voc. Capillus. Kirchmannum de F. R. lib. II. c. XIV. & ſeq. Alex. ab Alex. cum notis Tiraquelli, lib. III. c. VII. lib. VI. c. XIX. Hotomannum de barba. Dempſterum in Roſin. lib. X. c. XXIX. Geierum de de L. E. c. VIII. §. 1. Qui capilli mortuis plerumque conſecrati, aut eorum pectoribus imponebantur. Statius, lib. VI. Theb. v. 194.

- - - - - Tergôque & pectore fuſam
Cæſariem ferrô minuit, ſectisque jacentis
Obnubit tenera ora comis. - - - -

Aut ſepulcro. Eurip. in Iphig. Taur.

Τύμβον ϑ' χεῦσον ἢ ἀπίδες μνημεῖά μοι,
ἢ δάκρυ, ἀδελφή, ἢ κόμας δότω τάφῳ.

Aut in rogum conjiciebantur. Ovid. lib. III. Faſt. v. 559.

Pellitur Anna domô, lacrymansque ſororia linquit
Mœnia, germanæ juſta dat ante ſua:
Mixta bibunt molles lacrymis unguenta favillæ;
Vertice libatas accipiuntque comas.

Mulierculæ verò quædam exequiis aderant ſolutis crinibus. Apud Virgilium in funereis ſacris conſpicitur *Crines effuſa ſacerdos*, lib. III. Aen. v. 509. Ovid. lib. III. de art. am. v. 431.

Funere ſæpe viri vir quæritur: ire ſolutis
Crinibus, & fletus non tenuiſſe decet.

Tibullus, lib. III. El. II. v. 11.

Ante meum veniat longos incomta capillos,
Et fleat ante meum mœſta Neæra rogum.

Idem, lib. I. El. I. v. 67.

Tu manes ne læde meos, ſed parce ſolutis
Crinibus. - -

Niſi

Niſi fortè h. l. mavis ad morem veterum reſpici, quô ſolutus in feminis atque virginibus crinis adeò deprædicabatur. Vide Apul. lib. II. Metam. Aliàs etiam femellas Lucinæ ob partum facturas Crines ſolviſſe ex Ovid. lib. III. Faſt. conſtat: *Si qua tamen gravida eſt, reſolutô crine precetur.* v. 257. Vide de ſolutione crinium Kimchi ad Jeſ. XLVII. 2. Kirchmannum de F. R. lib. I. c. XII. Crinis porrò mortuo, ut primùm animam exhalâſſet, detonſus. Scholiaſta Euripidis: ὡς ἔθους ὄντος τὸν θάνατον τοῦ μέλλοντος ἀποθνήσκειν τὴν κόμην τέμνειν. Quò etiam pertinent illa Euripidis: χαίτα τ᾽ οὔτις ἐπὶ προθύροις τομαῖος, ἃ δὴ νεκύων πένθεσι πιτνεῖ. In Alceſtide v. 99, Quidam id velle Poëtam hìc adſerunt, defuncti capillum foribus fuiſſe adpenſum. Sed fucoſa hæc excogitata. Erat & priſca opinio, morti proximos â Proſerpina primùm tonderi, & his quaſi primitiis Orco initiari, id quod cùm multis exemplis oſtendit Canterus, tum verò exinde egregiè Horatl locum illum explicat: *Nullum Sæva caput Proſerpina fugit.* lib. I. od. XXVIII. v. 19. Rationem eandem fuiſſe arbitratur, quam illius, quando victimarum ſetæ capitis abſcindebantur. N. L. lib. IV. c. XX. Adde Muretum, V. L. lib. IV. c. XVI. Schedium de D. G. lib. II. c. L. Aliàs in periculis quoque comam tonſam teſtatur Nic. Rigaltius not. ad Artemidori onirocr. De tonſura in genere evolvi poſſunt Bellarminus, Tom. II. de monach. c. XL. Sutlivius de monach c. XXX. Schultingus, theſ. antiq. eccl. Tom. I. c. LXXXII. CVIII. CCLIX. CCLX. CCLXIX. Sixtus Senenſis, lib. V. Bibl. ann. 244. Fernandus didaſc. mult. Petitus, V. L. lib. I. c. II. & III. & Vir longè Cl.

Höttingerus, lib. I. Hiſt. eccl.

Indecorum poſteà planè, ne dicam infame fuit, eſſe tonſum. Ideò tàm curioſæ erant gentes in adornandis capillis; præſertim feminæ, quibus nigras competere volebant comas, cùm impudicæ, ut eò magis amatoribus ſuis placerent, cinere capillum ut ungerent, ut rutilus fieret vel flaveſceret, de quo plurima coacervavit Schedius de D. G. lib. II. c. IV. Vide Judith. X. 3. XVI. 10. 1. Timoth. II. 9. 1. Petr. III. 3. Huc pertinent *Trecia* & *Cicadæ* aureæ crinibus innexæ; congeſtus in conum, in viris κρωβύλος καὶ κορδύλη, in mulieribus κόρυμβος dictus, in pueris σκορπίος, Romanis feminis *Tutulus*: Crines *calamiſtrati*, comæ περίθετοι Perſarum &c: Vide de his & variis formis capillorum, Clem. Alexandrinum, pædag. lib. III. c. II. Tertull de veland. virg. c. VI. & VII. cum notis Joh. Ludov. de La Cerda, Alex. ab Alex. lib. V. c. XVIII. cum notis Patritii clariſſ. Tiraquelli, Dempſterum ad Roſin. lib. V. c. XXXVII. Salmuth ad Pancirollum, lib. I. c. XLIV. Cœl. Rhod. L. A. lib. V. c. XVIII. Cunæum de R. E. lib. II. c. XVIII. Briſſonium de R. P. lib. II. p. 255. Coccejum ad tit. Sanh. & Mac. p. 117, 124. Sam. Bocharti Canaan, f. 379. Hein'sI Ariſtar. c. IV. Salmaſium de coma, Pierium Valer. in hierogl. f. 230. Geierum de L. E. c. VIII. Neque adeò ignotæ ſunt *Ornatrices* veterum, quæ matronas comebant, quarum meminêre l. item legat. ff. de legat. & fideic. l. Legatis ſervis. §. Ornatricibus ff. eod. & Inſcribtio vetus Romæ, ſextô fermè ab urbe miliari: LIVIAE. NEPEVRICIAE ORNATRIX. Alia in ædibus Marii Delphini: DOMI-

TIAE

TIAE. DOMITIANI. ORNATRICI. In Muſeo Carp. OSSA. JVLIAE. ↓ LIVIAE ↓ AVGr AVRICL AE. ORNATRIX. Ibid. APONIAEr SVCCESAEr Ar TVTVLr ORNATR. Apud Maphæos:

CALPURNIA.
L. ET. Ↄ. L. CALEAE
ORNATRIX

In S. Johanne ante portam Latinam:

CINERIBUS. HAMILLAE
ALPIONIAE. QVINTAE
ORNATRICI
FESTVS Hic viſitur M. SEPTIMI
GALLI Speculum DISPEN
CONTVBERNALI. B. M. FECIT
ET. SIBI

Unde Firmicus ſupra notanter dixit: *Radunt capita, ut miſerandum caſum regis ſui* turpitudine *capitis* dehoneſtati *defleant*, l. c. Ovidius lib. III. de art. am. v. 249.

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Cauſſas ſi perſequimur; â victoribus victos, ſervos â dominis raſos fuiſſe accipimus. Vide *Deut. XXXII.* 42. Salsè ille apud Ariſtophanem: *Servus cùm ſis, comam nutris*? Ipſique libertate donati denuò radebantur in ſignum præcedentis ſervitutis, & prioris tetræ conditionis argumentum, ut loquitur Pomp. Lætus. Apud Apulejum *homines frontes litterati* & *capillum ſemiraſi* conjunguntur. lib. IX. A. A. Quid? quòd raſio in pœnæ genus ceſſerit adulterorum. Harmenopulus: *οἱ μοιχοὶ τυπτόμενοι καὶ κουρευόμενοι ἐστρατηγήθησαν* l. 6. tit. 2. §. 20, & §. 25. *γυνὴ μοι-*

χευ-

χειϱωθεῖσα τυπτομένη καὶ κουϱευομένη. Tacitus, de Mor. Germ. *Acciſis crinibus nudatam coram propinquis expellit domô maritus*, c. XIX. 2. Philoſtr. de vit. Apoll. Tyanæi: ἄϱχεται τὸ ἐνθεῖτε τῆς ἐς τὸν ἄνδϱα ὕβϱεως, γενείων τε ἀποκείϱας αὐτὸν καὶ χαίτης ἐντὶ τοῖς κακουϱγοτάτοις δήσας. lib. VII. Apud Apulejum Venus involat in Psychen, concubinam Cupidinis filii ſui, *veſtemque plurifariàm diloricat, capillôque diſciſſô, & capite conquaſſatô, graviter adfligit*. lib. VI. Metam. Ita Longobardi in damnatos animadvertebant *Forcipe* & *Scopis*. Ex Jure Feudali pro majori æſtimatur injuria, ſi quis alteriCrinem & barbam expilaverit, quàm ſi pugnô vel manu eum percutiat: Jus Saxonicum furem minorem punit in *Cute* & *Crinibus*. Vide Salmuth. ad Pancirollum Tom. I. tit. 44. Mart. Geier. de L. E. c. VIII. §. 5. Apud Germanos reges regumque filii aliquando alendi comam jus ſolis ſibi tribuêre; ita, ut ſi quis vel de ſolio deturbandus, vel regni ſpe excludendus foret, priùs tonderetur. Unde Chlothildis regina duobus ſuis nepotibus caput quàm comam abſcindi maluit, teſte Turonenſi, lib. III. c. XVIII. Aliquando pænam præceſſit; (id quod adhuc in vilioribus illis, qui capite mulctandi abducuntur, aut qui laqueô obſtringendi longa littera fient, uſu venit:) Nicolaus Damaſcenus: τὸν δὲ μέγιϛα ἀδικήσαντα ὁ βασιλεὺς κελεύει κείϱεσθαι, ὡς ἐσχάτης οὔσης ἀτιμίας. Harmenopulus: τυπτόμενος καὶ κουϱευόμενος ἐξοϱιζέσθω. l. 6. tit. 6. §. 18. Certè *Bale*, quô Angli calvum indigitant; Belgis adhuc in compoſitis ſonat malus v g *Bal-daet* malum factum, *Bal-horich*, malè audiens &c.

Satis ex his intelligas, quare *Calvus* apud tot gen-

tes

tes convitii vox fuerit: quâ cùm Tiberius peteretur, lauream, quò obtegeret calvitiem, ferre conſvevit; ut prodit Tranquillus in ejus vita. Huc etiam pertinet, quòd puer Ebræus petulanti ſplene cachinnô venerando Prophetæ adclamat: *Adſcende Calve, Adſcende Calve*! 2. Reg. II. in fine. Nec difficulter nebuloſiſſimi Satyrici locus â nobis enodabitur, qui extat Sat. I. v. 56.

- - - Nugaris, cùm tibi, Calve!
Pinguis aqualiculus propenſô ſeſquipede extet.

Ubi ſe ſcholiaſtæ mirum in modum gyrant. Brittannicus, Badius, Foquelinus, Valentinus & plerique Calvum Poëtam nobiliſſimum â Naſone inſigniter commendatum deſignari, & ironicè in miſerandum illum verſificem transferri autumant. Inter hos circa corticem palpat J. Bond, qui jocoſè Poëtaſtrum â Perſio *calvum* dici ſcribit: Imò potiùs mordaciter, σκωπτικῶς, & uſitatô Romanis convitiô; Quod quidem frequentiſſimè quoque in poëtaſtros ac verſifices detortum, etiam ex Martiale manifeſtum eſt; qui noſtræ loci illius Perſiani explicationi plurimum momenti adfert, lib I. epigr. LXXII.

Noſtris verſibus eſſe te poëtam,
Fidentine, putas, cupiſque credi?
Sic dentata ſibi videtur Aegle.
Emtis oſſibus, Indicoque cornu:
Sic, quæ nigrior eſt cadente morô,
Ceruſſata ſibi placet Lycoris.
Hâc & tu ratione, quâ poëta es,
Calvus cùm fueris, eris comatus.

Ab eo etiam penitus eſt noſtrum, quando vappas, fungos & hujuſcemodi agaſones Kahle Kerl nominamus:

namus: Itemque phraſes illæ pervulgatæ Germanorum, ſi alter alterum injuriâ aut acerbioribus probris inſectatur: Das heiſt geſchoren? Er hat ihn tapfer herümgeſchoren. Necnon de homine, qui tetrô, ſqualidô, aut ridiculô vultu, ac detritiori ſive inſolentiori habitu incedit: Wie ſieht er ſo verſchoren auſſ? *Calvam* autem Venerem Romani colere cœpêre, cùm obſeſſis in Capitolio, deficientibus in arcubus venis, matronæ pro venis abſciſſas conferrent comas, teſte Lactantiô, lib. I. c. XX. Similis ferè ratio Veneri impoſuit nomen *Armatæ*, quod novimus ex Pauſaniæ Laconicis: Item *Cluacinæ*, *Equeſtris*, *Maſculæ &c*. Evolve Sched. de D. G. lib. I. c. IX.

CAPUT XI.

PRogreſſus ad Perſonas ſacrificia obferentes. Ritus *vox ſolemnis. Variæ perſonæ ſacrificæ.* Fors fortuna *â Fortuna differt.* Fortuna dubia. *ἀρχτέυειν. Portunus à pueris cultus, cur? Recenſentur quidam ἀπίλεςοι. Convitium German.* Schelm, *unde? Certi quidam in certis ſacris βέβηλοι. Ara Maxima Romæ. Θεὸς γυναικεῖα. Proverb.* Herculis ædem mulier non intrat. *An mulieres per Herculem, viri per Caſtorem non jurârint Agellius fallacioſus. Friſchlinus contra Pincierum defenditur. AgellI offuciæ infrin-*

infringuntur. Boxhorni ceſpitatio quædam. Templa hodie Romæ quibus feminæ excluduntur. Veſtes ſacrificantium linteæ, albæ. Sacrificantes Candidati. Candidati *qui propriè?* Annus Candidatorum: Annus Miſericordiæ. *Triumfatorum & aliorum quorundam habitus ſacrificalis. Veſtes in ſuperûm ſacris purpureæ; in inferûm albæ. Sacrificantes coronati: Variis frondibus. Varius coronandi modus. Sacerdd. & ſacrificantes manu frondes geſtabant.* ἱκετηρία. Θαλλοφόροι, *proverb. Feminæ cur caprificum geſtârint in Capratinæ ſacris? Polluti ante ſacrificia luſtrati. Luſtrationis ſynonyma: tres ſpecies. Luſtratio per aërem. Oſcilla, vannus. Luſtratio per ignem. Locus Virg. à Servio claratus.* Περισκυλακισμός. *Luſtratio cædium. Vis purgativa ignis. Luſtratio per aquam: etiam animantibus communis. Homicidæ luſtratio:* καθάρσια. *In cædium luſtratione exſpuebant. Luſtrandi ad ortum verſi. Luſtrabantur aquâ purâ fluviali. Binarius numerus expiationibus proprius. Variæ aquæ ad luſtrandum. Ramorum arboreorum in luſtrationibus uſus. Adſpergillum. Studium puritatis in gentilibus. Omnes ſacrificantes ante ſacrificia loti: Inprimis manus: Lotio*

tio earum ante preces: ante lectionem ſacrorum librorum: ante & poſt cænam. Faviſſæ. *Vas* Futile. Præfericulum. *Vaſa ſacrificalia abluta. Differentia inter inferûm & ſuperûm ſacra circa lotionem. Sordes ex lotione quónam abjectæ. Ebræorum lotiones variæ earumdemque ritus. Ante ſacrificia â conjugali conſvetudine abſtinebant. Ebræi ante gentilum ſacra ab iis nec emebant, nec vendebant; De abſtinentia Ebræorum â variis rebus in ſacrificii die.*

EXcreviſſet pagina, ſi Antiſtitibus voluiſſem lenocinari. Sed ne major thylacô! Ulterioris jam ſint curæ Sacrifici latiùs ita dicti, ſeu homines, ob quos Hierophantæ faciebant; & eorum in ſacris actiones ac *Ritus.* quæ vox ſpecialiter & propriè ad ſacrificandi morem pertinet, teſte Jac. Spiegeliô, lex. Jur. civ. voc. *Ritus*. Compareant hîc reges & terræ filii, adultiores cum junioribus, potior ſequiorque ſexus. De rege ſacrificulo conſuli poteſt Agellius, lib. X. c. XV. Infimæ conditionis homines, veluti operarii, ruſtici, ſervi (qui apud Græcos ſacris exacti) & omnes, qui ſine arte vivebant, Forti fortunæ ſacra faciebant, quæ in eo diſtulit â Fortuna; quòd illa potuerit tantùm prodeſſe, hæc etiam obeſſe; illa templum habuerit in Janiculo trans Tiberim, hæc in Aventino; & *Fortuna Dubia* dicta eſt. Vide Fabric. Rom. c. IX. Dianæ Brauroniæ vel Munichiæ virgunculæ

gunculæ non minores quinquennibus, nec decennibus majores crocotulâ indutæ ſacra faciebant, quod dixêre ἀρκτεύειν. Ariſtoph. in Lyſiſtr. In Tenedo Portunum Deum marinum pueri victimis venerabantur, quod ipſe quondam puer periſſet. Canterus not. ad Lycoph. Alexandram.

Neque verò omnibus ad aras tendere licebat. Apud Romanos enim hoſtes, vincti, ac duobus viris nubtæ, inde arcebantur; quod produnt Feſtus & Livius, lib. ult. dec. 1. Necnon illi, qui nondum eſſent expiati, de quibus paulò pòſt agemus. Apud Græcos inter βεβήλους habebantur ſervus & ſerva, mulier innubta; ære coëmtus. Apud Scythas, qui in acie nullum interemiſſent hoſtem. Vide Stuck. f. 81. Apud Germanos, qui ſcutum in bello amiſiſſet, tanquàm inhoneſtus â ſacrificiis propellebatur, teſte Tacitô de M. G. c. VI. 9. manſitque ad hoc uſque tempus enorme iſtud convitium; quô hujusmodi nebulonem, & fruges conſumere natum, cum quo vir bonus & honeſti amans verſari horret, Einen Schelm i. e. Schildenem proclamamus, qualis ſcil. olim habitus eſt, qui ſibi ſcutum in conflictu eripi permiſit. Vide Beſoldum & Gorop. Becanum. Neque etiam, quibus licebat, omnibus ad una eademque ſacra aditus patebat: Siquidem ad Matralia i. e. Matris Matutæ, quæ Græcis Leucothea, ſacra ancillis accedere non licebat. Gyrald. ſynt. XVII. Cauſſam ejus refert Plutarch. probl. XVI. Herculis Victoris ſacris ingenui tantùm intererant, teſtibus Corneliô Balbô & Serviô Gramm. ad lib. VIII. Aen. Ad Aram Maximam in foro boario (in qua decimæ de facultatibus obferebantur, & ad quam juſ-

O jurandum

jurandum fiebat, pactaque firmabantur) & ſacrificia in ea exhibita omnis ætas, ſed non omnis ordo aut ſexus admittebatur. Abigebantur emim ſervi & mulieres, proturbabantur canes, nec advolabant muſcæ. Vide FabricI Rom. c. IX. In Veſtæ templo maribus pernoctare non licuit. Lipſ. c. III. de Veſt. Caeleſtis Veneris fanum viri ne intrabant quidem. Pauſan. in Achaic. Item templum Dianæ in vico patricio. Plut. qvæſt. III. Abſtinebant Viri ſacris Cereris Eleuſiniæ & Bonæ Deæ, vel Veneris Cnidiæ, quæ inde θεὸς γυναικεία audiebat. Tibullus: *Sacra Bonæ maribus non adeunda deæ.* lib. I. El. VI. v. 22. Huc Minutius Felix reſpicit: *Quædam fana ſemel annô adire permittunt, quædam in totum nefas videre eſt, quædam viro non licet, nonnulla abſque feminis ſacra ſunt; Etiam ſervo quibuſdam cerimoniis intereſſe piaculare flagitium eſt; Alia ſacra coronat univira, alia multivira &c:* in Octavio. Vide not. Geverh. ElmenhorſtI, Lactantium, lib. III. c. XX. Cic. de aruſp. reſp. Juvenal. ſat. II. & VI. Propertium, lib. IV. Feminas contra, ſacra Martis Silvani & templum Herculis vitare neceſſe erat. Vide Caton. de R. R. c. LXXXIII. Sextum Pompejum, voc. *Exeſto*, Agellium, lib. XI. c. VI. Illud poſteà: *Herculis ædem mulier non intrat,* exivit in commune dicterium de eo, qui indignus aliquid audebat & attrectabat. Vide Hadr. Junium, adag. XIII. cent. VII. Ex hoc quoque ait Agellius eſſe id, *quòd mulieres Romanæ in veteribus ſcriptis nunquàm per Herculem jurârint, ſicuti nec viri per Caſtorem, & antiquitus per Pollucem.* l. c. Quô ipſô quidem cum adſtipulatore ſuo Varrone, viros plurimos, perquàm claros, magnoſque litterato-

litteratores, à veritate turpiter deduxit, inter quos Pincierus * doctiſſimus, qui in Otio Marp. p. 299. Nicodemum Friſchlinum adeò miſerè flagellat, quòd ignarus atque imprudens ſine ullo diſcrimine utrique juramenta hæc ſexui attribuat, contra veterum & idoneorum auctorum ſcribta, ut vult Agellius. Itane verò, mi Agelli? ac confundit te Fotis Apuleji ſcribtoris ſatis vetuſti & ſagacis; ita enim illa ad Lucium ſuum: *Specta denique quàm parvis, quámque futilibus tanta res procuretur? Hercules, aneti modicum cum lauri foliis immiſſum, rore fontanô datur lavacrum.* lib. III. Metam. Confundit illa pannucia Baucis apud eund. *Fletui adſuſpirans anus, ſic incipit. Bonô animô eſto, mehercules! nec vanis ſomniorum figmentis terreâre,* lib. IV. Metam. Pſyches ſoror apud eund: *Sic eſt, Hercules! ſic ſe gerebat.* lib. V. Si huic denegas fidem, producit Plautus ancillam ſuam Aſtraphium, quam cachinnantem audi: *Ha, ha, he, Hercl e, quievi, quia introivit odium.* in Truc. II. I. 1. Ita apud eund. Paraſitus: *Mecaſtor dignus eſt.* Aſin. V. II. 46. Quid tibi, Agelli, de Plauto videtur? Satisne hic idoneus Scribtor? Eum certè *lingvæ atque elegantiæ in verbis Latinæ principem,* lib. VII. c. XVII. Eum *lingvæ Latinæ decus,* lib. XIX. c. VIII. Eum *verborum Latinorum elegantiſſimum,* lib. I. c. VII. nominas; Eum plus vicies adlegas. Statuamus ergo cum Anſelmo Epiphyllide Agellium h. l. in noctibus ſuis dormitâſſe. Decepit interim etiam Briſſonium lib. I. Form. & lib. VIII.

 Jacobum

* *Vide quæ hoc ipſum ſuper negotium pluribus diximus in part. I. Animadverſion. noſtrarum, c. VII, §. VIII. p. 125. ſ.*

Jacobum Ebertum in hiſt. juram. p. 74. Joh. Limnæum, coroll. 6. diſſ. I. de Academiis, & alios. Boxhornius, quare Herculis ſacrum femina non fuerit ingreſſa, Quæſt. 23. aliquot cauſſas coacervat; non autem cur feminis per Herculem jurare non licuerit, prout eſt titulus quæſtionis. Sed revertamur. *Talia ſacella*, ait Fabricius, *à quorum ingreſſu ſexus muliebris arcetur, ne quid paganiſmo decedat, adhuc Romæ ſunt in divo Petro Vaticano, in divo Joanne Laterano, in S. Cruce in Hieruſalem: in divâ Praxedi, in lavacro Conſtantini, & locis fortaſſe pluribus.* in Rom. c. IX.

Habitus ſacrificantium pariter, ut Sacerdotum, erat *linteus* & *Candidus*. Tibullus, lib. I. El. III. v. 29.

Ut mea votivas perſolvens Delia laudes
ante ſacras, linô tecta fores ſedeat.

In Galliis adhuc FulgosI tempore reges depoſitis ornamentis lineis veſtibus ad ſacra pergebant. lib. I. c. I. Apud Lampridium Alex. Severo hoſtia cruenta aufugiens, albam ejus veſtem, cum qua conſtiterat, cruentavit. c. LX. Ovid. lib. III. Faſt. v. 1163. *Niveô velatus amictu.* Idem, lib. II. Faſt. v. 654. *Spectant & lingvis candida turba favent.* Idem, lib. III. Amorum, El. XIII. v. 17. *More patrum ſanctæ velatæ veſtibus albis*, Idem, lib. IV. Faſt. v. 619.

Alba decent Cererem: feſtis Cerealibus albas
Sumite.

Idem, lib. X. Metam. v. 431.

Feſta piæ Cereris celebrabant annua matres,
Illa quibus niveâ velatæ corpora veſte.

Idem, lib. III. Triſt. el. XIII. v. 13.

Scili-

Scilicet exſpectas ſolitum tibi moris honorem
pendeat ex humeris veſtis ut alba meis?

Perſius, Sat. II. v. 39.

- - - - Vota negato
Juppiter hac illi; quamvis albata rogârit:

Vide ſummum Caſaubonum comm. in h. l. & exerc. in Baron. XVI. ſect. 73. Janum Parrhaſium, comm. in lib. I. Claud. Ab hoc veſtitu ſacrificantes *Candidati* dicebantur. Plaut: - - *Aequius vos erat Candidatas venire hoſtiataſque* - - in Rud. I. V. 11. ſumtâ hâc denominatione â petituris Magiſtratum, qui abſque interiore tunica in comitia candidâ operti veſte deſcendebant, ut eô habitu ad ſupplicandum humiliores accederent, ſeu albô colore innocuos ſe oſtenderent; & hi propriè *Candidati* dicti. *Candidatorum* annus, qui & aliàs *annus Miſericordiæ* vocatus, nominabatur â ſalutifero partu M. CCC. XCIX. â ſecta quadam, quæ ex Gallia in Italiam linteis indumentis, ut â Deo Miſericordiam peteret, commeavit: Ejus auctor Romæ â Bonifacio IX. vivus combuſtus fuit. Vide Baptiſt. Fulgoſium, lib. I. memorabilum c. I. Cretes nudis pedibus quædam ſacra peragebant; nulli enim eorum niſi nuda veſtigia ædem Dianæ ingredi licebat. Solin. c. XVII. Triumfales viri habitu triumfali, coronati, nudis pedibus, & tonſâ comâ ad rem divinam accedebant. Vide Foquelium in Sat. II. PersI. Alexander M. armatus de navi proſiliens hoſtias cecîdit. Juſtinus, lib. XI. c. V. 6. Mutino Deo mulieres velatæ togis prætextatis ſolebant ſacrificare. Fabric. c. X. Rom. In ſacris Bacchi quasdam è corticibus ſibi formas fingebant, ad movendum riſum. Virg. lib. II. Georg, v. 386.

Verſibus incomtis ludunt, riſuque ſolutô,
Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis,
Et te Bacche vocant per carmina læta. - - -

Fæcibus etiam ora adſpergebant. Horat. de Art. Poët. v. 277.

Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora.

Brittannorum conjuges nuruſque nudæ in ſacris incedebant Glaſtô totô corpore oblitæ, Aethiopum colorem imitantes, ut ſuprà diximus. Menander de myſt. ſcribit in Inferorum ſacris atras, in ſuperorum Purpureas veſtes eſſe adhibitas. Vide quid de Purpura ſuprà â nobis adnotatum. De atrato in infernalibus veſtitu Apollonius, lib. III. Argon.

ἐπλάκι ἢ βεμμῷ κυροτρόφον ἐγκαλέσασα
βεμμὼ νυκτιπόλον, χθονίην ἐνέροισιν ἄνασσαν
λυγαίῃ ἐνὶ νυκτὶ σὺν ὀρφναίοις φαρέεσσιν.

Ovidius in Ibin, v. 100.

Et nigræ veſtes corpora veſtra tegent:
Tu quoque quid dubitas ferales ſumere vittas?

Capita ſimiliter cingebant coronis. Svet in Aug. c. XCVIII. *Candidati coronatique & thura libantes.* Cydonius: θύεσι ἐπινίκια καὶ σεφανῦνται. Ovidius, Triſt. lib. V. El. III. v. 3. *Feſtaque odoratis innectunt tempora ſertis.* Virg. lib. I. Georg. v. 349. - - *Cereri tortâ redimitus tempora quercu.* lib. III. Georg. v. 21. *Ipſe caput tonſæ foliis ornatus olivæ.* Id. lib. V. Aen. v. 774. *Ipeſ caput tonſæ foliis evinctus olivæ.* Id. lib. VIII. Aen. v. 774. *Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris.* Tibullus, lib. I. El. X. v. 27.

Hanc purâ cum veſte ſequar, myrtoque caniſtra
vincta geram, myrtô vinctus & ipſe caput.

Idem, lib. II. El. I. v. 15.

Cerni-

Cernite, fulgentes ut eat ſacer agnus ad aras:
Vinctaque pòſt oleâ candida turba comas.

Seneca, Hercul. Furent. Act. III. ſc. III. v. 893.

Stantes ſacrificus comas
Dilectâ tege populo.

& ſcenâ IV. v. 911.

Conferte in aras pingvis exundet vapor
Populea noſtras arbor exornet comas:
Te ramus olea fronde gentili tegat.

Idem, Agam. Actu. II. ſc. III. v. 362.

Tibi nexilibus turba coronis
Redimita venit.

Idem Hercul. Oet. Actu. III. v. 789.

Cana revinctus populo horrentem comam
Succendit aras.

Verùm coronæ hæ ex aliis ſubinde nectebantur frondibus: v. g. Dionyſiacis myrtô; Cerealibus quercu; Sacris Apollineis lauru: Herculis populo; prout nimirum hæc vel illa arbor huic vel illi Deo dicata eſſet, de qua re Benedictus Curtius Symforianus, lib. III. & V. hortorum. Et ita quidem coronabantur, ut alii tantùm capiti eas imponerent ſuperiùs, alii ad tempora deprimerent, alii ad collum usque, quæ omnia inluſtravit exemplis Nat. Comes, mythol. lib. I. c. X. Et qui eum exſcribſit Schedius de D. G. lib. II. c. XXIX. Myricâ coronabantur, teſte Nicandrô, quæ eſt antiquiſſima planta, ut tradit idem in Theriacis, & Metrodorus, lib. de conſvetud. In ſacris Bacchi florum aut herbarum vicem angves gerebant, quibus coronabantur. Clemens Alex. Διόνυσον μαινόλην ὀργιάζουσι βάκχαι ἀνεστεμμέναι τοῖς ὄφεσιν,

 admon.

admon ad Gent. Euripides; *στεφάνωσίν τε δεξιόντων στεφάνοις*. Bacch. Contra apud Indos neminem coronatum ſacrificâſſe ait Gyrald. ſynt. XVII. p. 470. Manibus ramum arboreum geſtabant, quod etiam de Sacerdotibus intelligendum ſubmoneo. Ita *ἱκετηρία* olea erat lanâ obvoluta, quam ſupplicantes in manibus ferebant. Stuck. f. 85. In Panathæneis ſenes tantùm oleaginas geſtâſſe termites, Philochorus & Xenophon confirmant: unde inutiles homines *θαλλοφόρους* proverbiô dixêre. Hadr. Junius, cent. IV. adag. LXI. Caſaubonus exerc. in Baronium XVI. ſect. II. Sacerdotes Iſiaci abſinthii marini ramum manibus verſabant. Plinius, lib. XXVII. c. VII. extr. Caprifici virgas gerebant mulieres in Junonis Capratinæ ſacris, quorum initium ab ancillis, quæ ex obſeſſa Roma ad Fidenates, omnes puellas & matresfamiliâs Romanorum minis poſcentes, dominarum locô exiverunt; hoſteſque vinô ſopitos Romanis per *ſignum è caprifico* datum prodidêre. Auctores ſunt Varro & Feſtus.

Opus inprimis erat piaculô contaminatis ac pollutis ſive hominibus, ſeu victimis, vel locis, ſive etiam vaſibus ut ad ſacra admitti poſſent, atque *θυσίαις* idonea rurſum efficerentur, mundatione aliquâ, quæ Græcis *ἀπολύμανσις, ἁγιασμὸς, ἁγνισμὸς, πλύνσις, καθοσιωσμὸς, καθαρμὸς, ἐξοργιασμὸς*; Latinis *purgatio*, *purificatio*, *ſanctificatio*, *luſtratio*, *expiatio*, *conſecratio*, *inauguratio*, *initiatio*, &c: dicta. Vide Stuck. f. 79. Fiebat illa tribus modis, ut Servius Honoratus monet, AERE, TÆDA, & AQVA. Ipſe quoque Virgil. lib. VI. Aen. v. 740.

Aliæ panduntur inanes,

Suſpenſæ

Suſpenſa ad ventos, aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Ad AEREM pertinet vannus illa & oſcilla, in ſacris Liberi ad purgationem animarum ſuſpenſa, de quibus Maro, lib. II. Georg. v. 389. *Oſcilla ex altâ ſuſpendunt mollia quercu.* Secundò luſtrabantur TÆDÆ ſive ſulfuris levi perfuſione, cui apud Romanos adjiciebantur mænides, ſcillæ vel cæpæ, crines, & ova. Hom. Il. π. v. 228.

Τὸ ῥά ποτ' ἐκ χηλοῖο λαβὼν ἐκάθηρε θεείῳ
πρῶτον, ἔπειτα ἢ νίψ' ὕδατος καλῇσι ῥοῇσι.

Ovidius, lib. VII. Metam. v. 261.

Terque ſenem flammâ, ter aquâ, ter ſulfure luſtrat.

Idem, lib. II. de art. am. v. 329.

Et veniat quæ luſtret anus lectumque locumque,
Præferat & tremulâ ſulfur & ova manu.

Idem, lib. IV. Faſt. v. 739.

Cærulei fiant puro de ſulfure fumi;
Tectaque fumanti ſulfure balet ovis;
Vre mares oleas, tædamque, herbaſque Sabinas &c:

Martialis, lib. VII. Epigr. LIV. v. 5.

Conſumſi ſalsaſque molas & thuris acervos,
Decrevêre greges, dum cadit agna frequens:
Non porcus non cortis aves non ova ſuperſunt &c:

Tibullus, lib. I. Eleg. V. v. 11.

Ipſeque ter circum luſtravi ſulfure purô.

Græci ad ſulfur adhibebant *l' aſphalte, ou bitume, & de l' eaue de mer, pource que le ſoulfre purifie pour l' acuité de ſon odeur*, ait Choul ex Proclo, p. 292. His ita peractis ſal injiciebatur aquæ: mox lauri, vel oivæ, vel arboris Deo, cui operabantur, dicatæ, ramô, in aquam illam demerſô, locus leviter

O 5 inri-

inrigabatur, ut docet Theocritus in parv. Herc. Idque ter more ceterarum luſtrationum fiebat. Adi Natal. Com. lib. I. c. XIV. Stuck. f. 78. 41. 42. Ovidius, lib. V. Faſt. v. 675.

Huc venit incinctus tunicâ mercator, & urnâ
Purus ſubfuſâ, quam ferat, haurit aquam:
Uda fit hinc laurus: laurô ſparguntur ab udâ. Omnia

Virgil. lib. VI. Aen. v. 229.

Idem ter ſocios purâ circumtulit undâ,
Spargens rore levi & ramô frondentis olivæ,
Luſtravitque viros. - -

Sed Romani Codicis lectio plus arridet, quæ eſt: *Luſtravitque domos.* Servius propter Auguſtum Poëtam pro lauro olivam ait poſuiſſe, eôdem die, quô Auguſtus, natâ, ne ſcil. ea officium lugubre præſtare videretur: fuiſſeque aliàs moris, ut de Lauro fieret. not. in h. l. Vide Choul. p. 288. & ſeqq. In myſteriorum luſtratione juxta ignem *Mel* requirebatur. Porphyrius: ὅταν μὲν οὖν τοῖς τὰ λεοντικὰ μυουμένοις, εἰς τὰς χεῖρας ἀνθ' ὕδατος μέλι νίψαϑαι ἐγχέωσι καθαρὰς ἔχειν τὰς χεῖρας παραγγέλλουσιν, ἀπὸ παντὸς λυπηροῦ καὶ βλαπτικοῦ, καὶ μυσαροῦ. Καὶ ὡς μύςῃ καθαρτικοῦ ὄντος τοῦ πυρὸς οἰκεῖα νίπτρα προσάγουσι, παραιτησάμενοι τὸ ὕδωρ ὡς πολεμοῦν τῷ πυρί. lib. de antro Nymſarum. Erat & alia luſtratio, περισκυλακισμὸς vocata, quâ catulus circa corpus ducebatur. Vide Caſaub. not. ad Theoph. charact. Ad expiandas cædes arma cremabant Vulcano, eorum fabro; Marti ac Minervæ, Diis bellicis; Luæ, deæ purgatrici. Theocr. Idyll. Λ' Δ

καθαρῷ ἢ πυρώσατε δῶμα θεείῳ
πρῶτον· ἔπειτα δ' ἄλεσσι μεμιγμένον ὡς νενόμισται.

Θάλλῳ

θάλλῳ ἐπιῤῥαίνειν ἐστεμμένον ἀβλαβὲς ὕδωρ. Habet enim ignis purgandi vim. Unde Plutarchus inter alias cauſſas, quare ſponſa in nubtiis aquam & ignem tangat, hanc quoque profert. διότι τὸ πῦρ καθαίρει καὶ τὸ ὕδωρ ἁγνίζει. Δεῖ δὲ καθαρὸν καὶ ἁγνὸν διαμένειν τὴν γαμηθεῖσαν. probl. I.

Tertius denique luſtrationis modus peragi ſolebat AQVA. Androtioni apud Plutarch. Cornelius mandavit λούσασθαι πρὸ τῆς θυσίας ἀπὸ τοῦ θύμβρεως. Νενομίσθαι γὰρ οὕτω τοὺς καλλιερῦντας. Quæſt. IV. Cicero: *Aquæ adſperſione labem corpoream tolli, & caſtimoniam corporis judicabant.* lib. II. de LL. Id. ibid. c. X. *Inceſtum adſperſione aquæ vel dierum numerô tollitur.* Ovid. lib. II. Faſt. v. 45.

Ah nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
fluminea tolli poſſe putetis aquâ.

Catullus de Gellio, homine prodigioſiſſimæ libidinis, qui matrem, ſororem, patrui uxorem, patruum, pluresque cognatas puellas unus contaminavit, carm. LXXXIX. v. 5.

Suſcipit, o Gelli, quantum non ultima Tethys
Non genitor lymfarum abluit Oceanus.

Vide Auguſtin. lib. XXI. de Civ. Dei, Pauſan. in Att. & Corinth. Herodotum, lib. I. de Adraſt. Perſ. Sat. II. Hanc luſtrationem etiam quædam animantia, præſertim Elefantos obſervare, docet Plinius & Ælianus. Manilius: *Corporaque ad Lunæ naſcentis cornua luſtrant.* lib. V. Aſtron. Vide Scalig. notas. At cædis reus manus porcelli mactati ſangvine abluebat, aliique interim porcelli, καθάρσια dicti urebantur; quod tamen vix de ea cæde intelligendum opinor, quæ in bello pro patria committebatur. Aeneas ſanè

â nece

â nece adhuc αἱμαλέος tantùm aquâ purgatur apud Virgilium, lib. II. Æn. v. 717.

Sacrâ manu patrioſque penateis
Me bello è tanto digreſſum, & cæde madentem.
Attrectare nefas, donec me flumine vivô
Abluero.

Ceterùm ad cædes expiandas ter exſpuebant. Apollonius: τρὶς δ' ἀπέλαξε φόνου, τρὶς δ' ἐξ ἄγος ἔπτυσ' ὀδόντων. lib. IV. Argon.

Duo autem præcipuè ad luſtrationem illam exigebantur: Alterum ut ad Orientem fieret Solem, devotis precibus: Confer Natal. Com. lib. I. c. XIV. Alterum, ut *vivum* & *purum* in purgatione adhiberetur flumen. Vide Briſſon. lib. I. form. Lactantius: *Flagitiis omnibus inquinati veniunt ad precandum, & ſe piè ſacrificâſſe opinantur, ſi autem laverint, tanquàm libidines intra pectus incluſas ulli amnes abluant.* lib. V. c. XIX. Virgil. *Donec me flumine vivô Abluero*, lib. II. Aen. v. 719. Ovid. lib. IV. Faſt. v. 777.

His, dea placanda eſt, hæc tu converſus ad aras
Dic quater, & vivô perlue rore manus.

(quare: *Dic quater*? Duplicat binarium, in expiationibus peruſitatum; veluti & Septenarius: Et ternarius in ſacrificiis in genere. Naſo, l. c. v. 655.

Bis caput intonſum fontanâ ſpargitur undâ
Bis ſua fagineâ tempora fronde tegit.)

Heſiodus, lib. II. ἔργ. v. 736.

πρίν γ' εὔξῃ ἰδὼν ἐς καλὰ ῥέεθρα
χεῖρας νιψάμενος πολυηράτῳ ὕδατι λευκῷ.

Commoda hujuscemodi purificationibus habebatur Camœnarum aqua Romæ; veluti aquâ MercurI ex-

tra

tra Campenam portam â perjurio ſe liberari credebantur: Plut. & Ovid. lib. V. Faſt. Adde Choul. p. 289. In Tiberi morbis gravibus ſoluti lavabantur. Petroniam Magiſtratus in campo quid acturus tranſgrediebatur, boni ominis cauſſâ. Aqua verò Juturnæ in foro præ ceteris generaliter ad ſacrificia adhibebatur; ut Callirhoë ab Athenienſibus, â Trœzeniis fons Hippocrene. In Almone vel Alcmone extra portam Oſtienſem, qui non procul ab urbe cum Tiberi miſcetur, VI. Kal. April. quotannis ſimulacrum Cybeles, & carpentum, & leones, & cultri Phrygii â Sacerdotibus abluebantur, ut teſtatur Vibius Sequeſter. Vide Ovid. lib. IV. Faſt. Lucanum, lib. I. Statium, lib. I. ſilv. Martial. lib. III. Epigr. XLVII. Fabric. Rom. c. XVI. Hinc benè Ful. Urſinus apud Cicer. pro *Anemone*, *Alcmonem* reſcribit. ac lib. III. de N. D. Quòd ſi vivus amnis (propter congelationem, ut conjicio) lotionem inhiberet, februare licebat aquâ, in qua torrem ex altari, ubi rem divinam obibant, ſumtum, reſtinxiſſent; Vide Coel. Rhod. L. A. lib. XII. c. I. & lib. VI. * c. XLIV. Choul. *Qui trempoit en l'eaue, en laquelle la torche (qui ſeruoit à l'autel, ou ils auoyent celebré les choſes diuines) auoit eſté premierement eſteinte*, p. 289. Ad hoc certi arborum rami deſtinati erant: Ovid. *Spargit & ipſe ſuos laurô rorante capillos*, lib. V. Faſt. v. 680. Apud Romanos *Adſpergillum* erat, cujus picturam, qui deſiderat, videre poterit infra in tabella, c. XVII. præfixa lit. A. Pertinet huc illud, quando Pilatus manus in tribunali, ut innocens ac purus evaderet, perluit: Matth. XXVII. 24.

* *Falſò*

Ceterùm

Ceterùm caſti omnes animô & corpore Deos volebant adire, ex lege illa: AD. DIVOS. CASTE. ADEUNTO. l. 1. de Cult. Deor. tit. de Relig. XII. Tabb. cúmque etiam Gentiles neminem immaculatum vivere agnoverint, ne conſpurcati coram Diis ſuis conſiſterent, ſinguli ſacrificaturi ante ſacra curioſè perluebantur; ſed aliter longè quàm â certo piaculo luſtrandi, quibus precibus, converſione ad Solem &c: opus fuit. De illis Plautus: *Ego eo lavatum ut ſacrificem.* Aul. III. VI. 43. Id. Ibid. *Nunc lavabo ut rem divinam faciam* IV. II. 5. Tibull. -- *Dum ſacra colis puréque lavari Te memini* -- lib. I. El. III. v. 25. In hac lotione præcipua ratio manuum habebatur. Dionyſ. χερνιψάμενοι γὰρ αὐτοὶ, καὶ τὰ ἱερὰ καθαρῷ πελαγκήσαντες ὕδατι. lib. VII. Homerus, Il. ζ. v. 266.

χερσὶ δ' ἀνίπτοισι Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
ἅζομαι.

Heſiod. lib. β. ἔργ. καὶ ἡμερῶν v. 727.

Μὴ δ' ποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
χερσὶν ἀνίπτοισιν μὴ δ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.

Et paulò poſt v. 736.

-- Πρίν γ' εὔξῃ ἰδὼν εἰς καλὰ ῥέεθρα
χεῖρας νιψάμενος -- &c.

Plautus, Truc. II. V. extr.

-- *Fer huc verbenam mihi thus & bellaria,*
Date aquam manibus --

Tibullus, lib. II. El. I. v. 13.

---- *purâ cum veſte venite;*
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Lucianus de ſacrif. Inſcribtionis mentionem facit, quâ prohibetur, ne quis intra vaſa pura conſiſtat, qui

qui manibus ſit impuris. Aliàs ante preces quoque manus lotæ. Vide Judith. XII. v. 7. 8. Homerum, iliad. Ω, Tertull. de orat. c. II. Virg. lib. XI. Aen. Ovid. IV. Faſt. Plut. lib. II. de eſu carnium, Stegerum, de Lot. R. c. V. Turcis ante Alcorani contactum præceptum erat manus abluere; unde exterius in compactura legitur: NON ATTINGAT NISI MVNDVS. Schickardus de jur. reg. Ebr. c. XXII. theor. 6. (De Turcarum lotionibus confer Heinſium in Ariſt. c. III. Hoornbec. ſum. controverſ. p. 149.) Similem morem tenuêre Chriſtiani primitivæ Eccleſiæ teſte Chryſoſtomô, hom. LII. in Joh. Tom. III. & Tom. V. hom. VII. ad pop. Antioch. Ante & poſt cœnam quoque manus lotæ. Vide R. Jacob. Baal Turim. c. CLXXXI. Buxtorfium F. diatr. de lotione manuum ante & poſt cœn. Adde Becan. anal. V. & N. T. c. XV. Quæſt. V. Menochium de R. E. lib. VI. c. III. 3. Lud. Capelli Spicil. Gilb. Gaulmyn. not. ad l. de vit & mort. Moſis, lib. II. c. VI. Buxtorfium Lex Talm. נטל Schickar. מ"ח c. V. Pocock. not. miſc. c. XI. &, qui hos ferè citat, ampliſſimæ doctrinæ atque famæ virum, Mart. Geierum de L. E. c. XXI.

Ideò templis certa vaſa, quibus aqua continebatur luſtralis, præfixa erant, Romanis *favißæ* dicta, qualium picturam adfert Guilielmus du Choul. lib. de Relig. Rom. Et nos in tabella ad C. XVII. Simile erat vas latô ore *&* fundô anguſtô, ne ſtare poſſet (quia aquam luſtralem ſuper terram poſuiſſe piaculare erat) *Futile* dictum, de quo Lactantius lib. VIII. Quædam enim præferebantur *Præfericula* exinde nuncupata, quorum formam denuò habet Chou-

Choulius l. c. Philippus Camerarius vidiſſe ſe ait Neapoli tabellam marmoream vetuſtiſſimam, in qua vetus ſacrificantium mos, ubi ſacerdos aræ rotundæ adſtet, manus lavans ex vaſe, quod in manibus puella geſtet. Hor. ſubſec. lib. II. c. I. Vide de malluviis Riberam de templo, lib. II. c. XVI. & XVII. Stegerum de lotionibus vett. Rom. c. II. Delubra exinde quidam â diluendo dicta contendunt. Confer Stuck. f. 77. 78. Idem planè de Vaſibus enunciaverim: quæ ante ſacrificia ſimiliter purgabantur, ſed non veluti ea, quæ eſſent impiata, & tædâ atque ſulfure opus habebant. Plautus: *Jube vaſa pura actutum adornari mihi.* Amph. V. I. 74. Idem: *Vaſcula intus purè propera atque elue.* Aul. II. III. 3. Diſtingvendum tamen accuratè inter cultores ſuperorum ac inferorum: Illi toti, ubi res poſtulabat, aut ſaltim manus abluebantur, hi leviter tantùm inrorabantur. De hac differentia Macrobius monet: *Conſtat Dìs ſuperis ſacra facturum corporis ablutione purgari: cùm verò inferis litandum eſt, ſatis actum videtur, ſi adſperſio ſola contingit*: Saturn. lib. III. c. I. Sordes denique in mare abjiciebantur, quoniam marina aqua ſordibus abluendis peridonea. Qui verò â mari remotiores eſſent, in aquas dulces projectabant. Videantur de hiſce Dio, lib. XXXIX. & XLVIII. Cato, origg. III. Tertull. de bapt. c. V. Seneca Herc. Fur. Apulejus, lib. IX. Aſin. A. Clem. Alex. lib. VII. Strom. Juſtinus Mart. apolog. II. Eurip. in Iphig. Taur. Ovid. V. Faſt. IV. & VII. Metam. Serv. ad VI. Aen. Stuck. f. 77. & ſeqq. Schedius de D. G. lib. II. c. XXVII. Phil. Caroli antiqq. lib. I. c. II.

Apud Ebræos oportebat omnes tàm mundos quàm immundos lavari (ubi & ſacerdos ad domum lotionis deducebatur. Joma. c. III. §. 2, 3.) & quidem ſtantes, non innitentes parieti, aut alicui ſuſtentaculo; nec ſuper ſolum, propter halitus nocivos ibi hærentes, ſed ſuper pavimentum ligneum & conſimile. Aquam elegêre non corruptam, non turbidam; qualis illa, ex qua vitrea vaſa vel cyathi perlui ſolent, vel ex qua galli gallinacei & gallinæ aut canes biberint: ſed limpidam atque claram, nulliqve alîi rei adhuc adhibitam. Pro adſpergillo, olivæ vel lauri locô, hyſſopô utebantur. Vide Buxtorfium, ſynag. Jud. c. IV. & VI. Hug. Grotium in Marc. c. VII. Munſterum in Deut. c. VIII. Schickardum de jur. reg. Ebr. c. V. theor. 18. Choulium, p. 291. Glaſſium, Phil. lib. V. tr. XIII. p. 1358. Stegerum de Lotionib. Rom. c. VI. Diſtingvebant autem illi, teſte Levi Barſellonió, in Sepher Hachinnuc Paraſ. tiſſa, inter טבילה, quæ erat totius corporis immerſio; & קדוש, quæ manuum & pedum ablutio. Hanc, ſcil. manuum, etiam in funeribus eorum fuiſſe conſvetam & adhuc eſſe, præter Maimonidem l. Efel. V. 3. Sanctium ad 2. Sam. XIX. 24. Buxtorfium, l. c. & c. XXXV. Geierum de luct. Ebr. c. VI. teſtatur quoque Cod. Minhagim. Man wäſcht die Hände / wann man das *meth* niederſtällt auff das *beth hakkefuroth*; und wann man es *Kabber* hat geweſen / da wäſcht man ſie wieder: Illa contra planè in funere fuit interdicta; quò ſpectant hæc ſeqq. ejusd. Cod. Der *afel* darf nicht baden / noch ſchmieren mit wolſchmeckendem Oele &c: Poſterior, nempe קדוש tali modô fiebat: מניחידו הימנית על גבי רגלו הימנית

ויְדו השמאלית על גבי רגלו השמאלית ומקדש: i. e. *Imponebat manum dextram, ſuper dextrum pedem; & manum ſiniſtram, ſuper ſiniſtrum pedem: & ſanctificabat.* Sed in die expiationis quinquies ſe lavare, & decies ſanctificare debebat ſacerdos, cujus cauſas vide in Torath Cohanim Paras. Acharne mot. c. VI. & apud Sheringham in Joma, l. c. Aliter autem ſe res habebat, ſi nocturnus caſus accidiſſet, quod Horatius, lib. I. ſat. V. v. 84. enunciat.

Immundô ſomnia viſu
Nocturnam veſtem maculant, ventremque ſupinum;

Ibi enim ſacerdotes ante ſacrificia in locum templi ſubterraneum deſcendebant, illicque luſtrabantur; quod deſcribit Cod. Tamid: אירע קרי לאחד מהם יוצא והולך לו במסיבה ההולכת תחת הבירה והנרות דולקין מכאן ומכאן עד שהוא מגיע לבית הטבילה ומדורה היתה שם ובית כסא של כבוד וזה היה כבודו מצאו נעול יודע שיש שם אדם פתוח יודע שאין שם אדם ירד וטבל עלה ונסתפג ונתחמם כנגד המדורה: i. e. *Si nocturnus caſus accidiſſet, ibat per cochleam ſub templo, lucentibus undecunque facibus, donec ad domum lotionis perveniſſet; & ibi ignis erat, locusque ſecretus honoris: Et iſte fuit honor ejus; ſi quis obſeratum inveniſſet, ſciret eſſe intus aliquem, ſi apertum, neminem. Deſcendebat, & lavabat; adſcendebat, & abſtergebat, & calefaciebat ſe ad ignem.*

Erant & alia, quæ Gentiles ante ſacra obſervare neceſſe erat, ut ritè præſtruerentur, & ad aras decenter accederent. Inter ea eſt, quod ante ſacrificii feſtum â concubitu conjugali, & carnali commiſtione abſtinuerint. Juvenalis, Sat. VI. v. 335.

Non abſtinet uxor
Concubitu ſacris, obſervandisque diebus.

Tibul-

Tibullus, lib. II. El. I. v. 11.

Vos quoque abeſſe procul jubeo. diſcedite ab aris,
Queis tulit heſternâ gaudia nocte Venus.

Ovid. lib. X. Metam. v. 433.

Primitias frugum dant ſpicea ſerta ſuarum,
Perque novem noctes Venerem tactusque virorum
In vetitis numerant.

Vide eundem, lib. III. amor. el. X. Inde feminæ initiandæ lectos è viticis foliis ſubſternebant, ut refrenarent libidinem. Ebræi prohibebantur. שלשה ימים לפני אידיהם של גוים לוקח מהם ולמכו להם רבר המתקיים נללות מהן ולהלוותן ליפרע מהן וליפרע להם מלוה בשטל או על המשכון: i. e. *triduô ante feſta gentilium idola colentium ab iis emere, illisve vendere rem ullam duraturam; mutuò quid accipere, vel dare; capere ſolutionem, aut ſolvere mutuum ſcribtô vel pignore.* R. Maim. lib. עכ ום c. IX. §. 1. Cauſas addit Voſſius F. 1. Ne, ſi emerint ab iis quicquam, pecuniâ illâ tempore feſti ſe oblectent. 2 Si vendiderint, lætentur gentiles ob rem bonô pretiô comparatam, ac hilariores ad feſtum contendant, Dîsque ſuis, puta Mercurio Deô lucri, aut aliis, gratias ac χαριστηρίοις obſerant. 3 Si debita ſolverint, iterum pecuniam in feſtum ac ſacra impendant: ideò etiam olera, carnes coctas, & res non durabiles eis vendere licebat, quò veniente feſtô gentiles non haberent pecuniam. Deinde ne defecatiori ſolutis debitis animô eſſent. 4. Si mutuum dederint, gentiles ad Deos colendos uterentur: Si acceperint, Ethnicus lætior ad feſtum properaret, quaſi Dîs gratias acturus, quòd tantò felicior eſſet Iſraëlitâ, ut hic ſui indigeret. Sed hoc in regione Judæorum tantùm vetabatur. Vide c. II. §. 2.

Ebræis concubitus tantùm abeſt ut fuerit interdictus ante ſacrificium; ut potiùs ſacerdotem magnum ante diem expiationis â domo ſua ſeptem diebus in domum Parhedrorum ſejunxerint, ipſique alium ſacerdotem ſubſtituerint; aliamque uxorem, ſi uxor ejus mortua fuiſſet. Vide Cod. Para, c. III. & Joma, c. I. §. 1. cum notis Sheringham. At in ipſo feſto aut ſacrificii die ſeriò erat vetitus. Menaſſeh ben Iſraël *He peccado tocar na mulher: como ſe foſſe menſtruoſa, è non podem dormir numa meſma cama por fugir à occaſion de peccar* i. e. *Peccatum eſt tangere mulierem, acſi eſſet menſtruata: nec in eodem lecto dormire poſſunt, ut fugiant occaſionem peccati.* In theſouro dos dinim. Eadem prorſus lex Moslemanis lata eſt in Alkorano, ſuratâ 2. *Licet vobis nocte jejunii coire cum uxoribus veſtris, ipſæ ſunt indumentum vobis, & vos indumentum ipſis. Novit Deus quòd vos defraudatis animas veſtras, & clementer agit vobiſcum, & parcit vobis. Itaque jam commiſcemini cum eis, & inquirite, quod præſcribſit Deus vobis; & comedite & bibite, quoad agnoſcatur vobis filum album præ filo nigro ex aurora inluceſcente. Exin complete jejunium ad noctem uſque neque commiſcemini cum eis, ſed permanete in templis.* Vide Theologum, Philologum & Philoſophum incomparabilem, cujus in Sancti ſermonis idiomate ſcientiam incredibilem & Orientalium lingvarum cognitionem ſtupendam vix ullus unquàm adæquabit, THEODORICVM HACKSPAN; quem velut olim doctorem immenſæ comitatis me fuiſſe nactum in prima felicitatis meæ parte poſui; ita Eumdem atrocitate fatorum properiter mihi nuper ſublatum, ingemiſco, indignor, & æter-

æternùm doleo: lib. de fid. & Ll. Mohammædis, poſ. VI. l. 3. Et diſſ. de paſſione dominica. Eædem ferè Ebræis leges erant in abſtinentia â cibo & potu. Sacerdotem enim magnum ante expiationis feſtum ſeparatum ſeptem diebus כל שבעת הימים לא היו מונעין ממנו מאכל ומשתה ערב׳ יום הכפורים עם חשיכה לא היו מניהים אותו לאכול הרבה מפני שהמאכל מביא את השינה: i. e. *non arcebant eum â cibo & potu, totô hoc ſeptem dierum ſpatiô: Veſperâ autem diei exptationis poſt exortas tenebras non ſinebant eum multum edere, quia cibus ſomnum inducit.* Joma, c. I. §. 4. Et quidem non ſinebant eum edere (ut inquit Gemara Hieroſolymitana.) חלב ולא בצים ולא גבינה ולא בשר שמן ולא יין ישן ולא קתריטון ולא גריסין של פול ולא ערשין: i. e. *lac, nec ova, nec caſeum, nec carnem pingvem, nec vinum vetus, nec conditum, nec fabas freſas, nec lentes.* Mandatum inſuper erat, ut pridie diei expiationis plus ſolitô ederet, quò alacrior magisque diſpoſitus eſſet ad diem ſequentem jejunii; quamvis & hic cibus concoctu facilis requirebatur, ut docet Menaſſeh ben-Iſraël in theſ. dos dinim c. XCVI. Vide Sheringham in l. c. Joma. At in ipſo die expiationis inhibitus erat cibus, omnisque operis peractio. Vide Levit. XVI. 29. & XXIII. 27. & 29. Qui cibum ſumſerit, aut opus fecerit in die hac dicitur eſſe vapulandus; in Maccoth, c. III. Et planè exſcindendus è populo, in Keritoth. c. I. Quid autem prohibitum fuerit, & quot cibi & potus; item cui licitum aut interdictum? prolixè vide in Joma, c. VIII. cum Gemara & not. Sheringh. Adde Arba Turim in Hilcoth jom Hakkippurim; necnon Maimonidem, Bartenoram, & alios. Hæc etiam in Eccleſiæ N. T. tàm Græcæ quàm Latinæ ſacris

 ac je-

ac jejuniis uſuveniſſe ex Balſamone, Leunclavio, & aliunde probat Sheringham ad Joma, c. VIII. 1. Neque ſacerdotem magnum dormire patiebantur; ſed vel in Jobo, vel Hezra, vel Zacharia, aut etiam Daniele legebant. Quod ſi verò jam dormitare inciperet, ſacerdotes juniores digitô percutiebant coram ipſo; & quidem, docente Miſchnâ Cod. Jom. c. I. §. 6. & 7. אצבע צרדה; quod Gemara, & ad eum R. Salomon; item R. Huna, R. Jochanan, Buxtorfius, & R. Sheringham de *Indice* digito vertunt: Sed R. Maimon & alii *Medium* eſſe digitum exiſtimant. Et hactenus de præliminaribus requiſitis, ac Perſonarum ad ſacrificia adornatione.

CAPUT XII.

VEhiculis quinam ad ſacrificia delati? Currus arcuatus apud Livium qualis? Sacerdotes cur vecti ad ſacrificia? Remotio βεβήλων â ſacris per lictorem. Varia βεβήλων nomina Formulæ ſolemnes ante ſacrificia. Profani funiculis â ſacrificiis excluſi. σχοινία. ἀποσχοινισμένος quid apud Demoſthenem? σχοινία puellarum juncea, cur? Commentaculum. Lituus. Sacra ἀβέβηλα. An Favete lingvis *ſilentium ſignificârit? Vallæ, Caſtalionis, & aliorum opiniones rejectæ; & Seneca cum Feſto ac Cicerone conciliatus.* Favere *i. e. bona fari.* Favere

vere *i. e. ſilere.* Paſcito lingvam *in ſacrificiis ſolemne dicterium. Formula* Favete lingvis *explicatur: Formulæ Græcorum parallelæ. Myſterii etymon. Mureti error grandis. Capitis in ſacrific. velatio: Ejus aliquot cauſſæ. (Canterus obiter coarguitur.) Flammeum quid? Cur in nuptiis uſitatum? Feminarum velatio: Et puerorum. Rica.* Velamina, Velamenta, Velata colus: *πήμματα.* Velati *qui propriè?* מצנפת *Velamenta ſubjectionis ſignum. Velatio lugentium: Ignominioſorum: Regum. Velatio unde orta? Quibuſdam* Diis *ſe non velabant. Saturni ſive* Crodonis *effigies apud Germanos capite nudô, & cur? ScheđI ratio longiùs petita.* Lucem facere *Phraſis ſolemnis. Apertio capitis honoris ſignum. Velatio in ſacris etiam hodie uſitata. Converſio in ſacris, & ejus cauſſa: Quorſum fuerit facta? Varia in Ovidio lectio exponitur. Templa & aræ cur verſus orientem? Sanctum Sanctorum in occidente: Ita & Chriſtianorum templa, & cur? Baptizandorum in prima Eccleſia mos: Vertebantur ad dextram, & cur? Galli ad ſiniſtram. Ebræorum* נוף. *Voſſius notatur. Verſio adhuc Turcis in uſu. Lapis Veneris apud Turcas. Oſculatio ma-*

nuum in ſacris. Aliquot S. Scr. locis lux adfunditur. Certus oſculandi manum modus. Adorare *unde? Voſſius de Etymologia compellatur. StuckI Etymon eliminatum: Idola oſculabantur. Oſculatio manuum olim & hodie venerationis genus.* Manu venerari: Manu ſalutare. Baiſe les mains. *Poſt preces in terram procubuêre: Ejus aliquot cauſſæ. Stuckius notatur. Cruſerio adverſus Voſſium tutela præſtita.* καθῆσθαι προσκυνήσαντας *proverb.* τὸ reſideri *mortuis exhibitum.* Τὸ προσκυνεῖν *Perſarum: Ejus derivatio.* Küſſen *unde? Locus Matth. II. 2. dilucidatur.* Προσκύνησις *ſuper lapidem figuratum: Manibus pedibusque: Judæis prohibita. Quatuor Ebræorum honoris genera. Phraſium quarund. Biblic. origo. Humiles & lugentes humi cubabant. An* προσκύνησις *in ſacris ab humicubatione diſtincta? Digitus in ſacris ori admotus: Talia ſimulacra in Coemeteriis vett. Cur in Templo Iſidis & Serapis? Harpocratis Effigies.* Traſcodrugitæ: Perticonaſati. *Quisnam ille digitus? Digitus in S. Scr. pro tota manu. Pollex pro digito: Unde dictus?* Αντίχειρ. *Pollicis dignitas. Loco Judic.* I. 6. 7. *fax præfertur, Singuli olim digiti certis Diis conſecrati. Indice ſilentium in-*

indicatum. Index digitus ſalutaris *cur? Silentium in Sacris dogma Pythagoricum. Virgili locus enodatur. Ageſilai profanum factum. Barcani pediculorum ridiculi cultores.*

Purgati itaque & condecorati actutùm ad ſacra pergebant, quò matronæ primùm vehiculis delatæ. Livius legem recenſet, quâ cautum, *Ne mulier junctô vehiculô niſi ſacrorum publicorum cauſſâ veheretur*, lib. XXXIV. c. I. Poſteà Sacerdotibus tantùm permittebatur. Virgilius lib. III. Georg. v. 532.

Quæſitas ad ſacra boves Junonis, & uris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.

Ad quæ Servius: *Mos erat Sacerdotem Argivam junctis bobus ire ad templa Junonis, & cùm ſolemni die boves non invenirentur, duo ſacerdotis filii Cleobis & Biton matrem ſubeuntes, jugô ad templa duxêre. Tunc Juno probans eorum religionem, obtulit matri, id, quod vellet, poſcere filiis: Illa piâ reſponſione ait, ut quod ſciret utile Dea mortalibus, id præſtaret. Alterô itaque die, Sacerdotis filii juvenes reperti ſunt mortui. Ex quo probatur, nihil eſſe morte peaſtantius.* Hæc ille ex Herodot. lib. I. Livius: *Ad Fidei ſacrarium Flamines bigis, curru arcuatô, vehi juſſit*, lib. I. c. XXI. Quis ille currus arcuatus? quærit Lipſius de Veſt. c. XI. & reſpondet: *Carpentum i. e. tectum ſupernè, & camera in modum. Talia enim hæc fuiſſe Numi hodie dicunt, qui plures extant: Neque à Thenſa nimis diverſum fuit. Id quoque enim vehiculum ſacrorum &c*: Cauſſam vectionis Sacerdotum

obgerit Tacitus: *Suum quoque faſtigium Agrippina altiùs extollere, carpentô Capitolium ingredi, qui mos Sacerdotibus & ſacris antiquitus conceſſus, venerationem augebat*, lib. XII. Ann. c. XLII. 3. Vide feliciſſimum Criticum Lipſium in h. l. & Lect. Antiqv. lib. II. c. XVI. Ad ſacra ubi eſſet perventum, removebantur, & exeſſe jubebantur βέβηλοι, qui aliàs, ἀμυστηρίαστοι, ἀτέλεστοι, ἀμύητοι, μιαροὶ, παμμιαροὶ, ἀνόσιοι, ἀκάθαρτοι, ἐξειργόμενοι, ἐναγεῖς, δυσαγεῖς, μυάσματα, μύση &c: Vide Stuck. f. 81. Idcircò initiò per Lictorem exclamabatur: HOSTIS, VINCTUS, MVLIER, VIRGO, EXESTO! Item-- ἑκὰς ἑκὰς ὅστις ἄλιτρος; ἑκὰς ἑκὰς ἔστε βέβηλοι! Quod Poëta Romanus vertit: *procul, o procul eſte profani*; lib. VI. Aen. v. 258. Vide Briſſ. in Form. Apud Græcos Sacerdos accedens ἱερὸν interrogabat: Τίς τῇδε; alii boni ominis cauſſâ reſpondebant: πολλοί τε, ἀγαθοί τε, Sardus de Mor. Gent. lib. III. c. XV. Adde Philippum Caroli in antiqq. Eccl. lib. I. c. XII. Ethnicos imitati Chriſtiani primitivæ Eccleſiæ, ante quorum ſacra Hypodiacono aquam manibus ſacerdotis adfundente, diaconus perſonabat: NULLUS CATECHUMENUS, NULLUS AUDITOR, NULLUS INFIDELIS, NULLUS HAERETICUS. QVI PRIMAM ORATIONEM PERFECISTIS, DISCEDITE. PUEROS RECIPITE MATRES. NE QVIS CONTRA ALIQVEM. NE QVIS IN HYPOCRISI. ERECTI AD DOMINUM CUM TIMORE ET TREMORE SINAMUS OBFERRI. Vide Conſt. Apoſt. Aliquando arcebant funiculis, qui dicebantur σχοινία, teſte Polluce, lib. VIII. Unde in ſacris ob-

obſcœnis aditus ad diobolaria Babylo niorum ſcort χοινίοις erant circumſepti, & ad feminam protenſi. Herodoto διέξοδοι χοινοτενέες vocantur. Demoſthenes, gravis atque inluſtris orator, ἀποχοινισμένα voce de eo utitur, qui forô περιχοινισμένῳ excludebatur. orat. I. adverſ. Ariſtogit. Aliàs χοινία erant impudicarum puellarum cingula juncea (ut eò faciliùs diſrumpi poſſent) quibus pudenda duntaxat operiebant, cetera nudæ. Vide Olympiodorum & Seldenum de DIS. Syris lib. II. c. VII. Flamines, concedentes ad ſacrificia, homines â ſe removebant virgâ, quæ erat *Commentaculum* teſte Feſtô. Gerebant & augures incurvum & leviter inflexum bacillum, *Lituum* dictum propter ejus, quô canitur, litui ſimilitudinem. Aliter tamen Servius: *Lituus incurvus augurum baculus, quô utebantur ad cæli ſpatia deſignanda; nam manu non licebat &c. Vel Lituum i. e. regium baculum, in quo poteſtas erat dirimendarum litium,* ad. lib. VII. Aen. v. 187. Vide Cic. I. de div. c. XVII. Agellium, lib. V. c. VIII. Wolfg. Lazium, comm. vetuſt. nemiſm. ſect. III. part. 2, Tab. 1, C. A. Rupertum ad Urſin. de fam. Rom. Ejus formam ex antiquitate manſvetiorum Muſarum cultoribus in picturarum tabella ad c. IX. lit. D. exhibemus: Inſuper etiam in numis noſtris, c. XVIII. conſpicere erit, Fuêre tamen etiam ἀβέβηλα ſacra apud Græcos, quibus profanis intereſſe licebat, de quibus Stuck. f. 81.

Dehinc Præcones imponebant ſilentium, ſed an formulâ illâ: *Favete lingvis,* nemo hactenus, qui planiùs id oſtenderet, adfirmavit. Tuebantur tamen paginis longis partes ſuas, qui â negativis ſtabant, & can-

eandem cum *Bona verba dicere* facere volebant, Viri ampliſſimæ famæ & multi ſalis, quorum primipilarii P. Valla & Joſ. Caſtalio *, magnificè de bonis ſtudiis meriti. Jactant illi pro ſe, & glorioſè efferunt duo præcipuè loca, alterum Feſti: *In ſacrificiis præcones clamantes populum ſacrificiis favere* i. e. *bona fari jubebant*; *nam favere eſt bona fari*: Alterum Ciceronis: *Omnia majores noſtri, quia valere cenſebant, idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, fauſtum, felix, fortunatumque eſſet precabantur; rebusque divinis, quæ publicè fierent, ut faverent lingvis imperabatur, inque feriis imperandis, ut litibus & jurgiis abſtinerent.* lib. I. de div. Rejiciunt oppoſitum his Annæi locum: *FAVETE LINGVIS. Hoc verbum, non ut plerique exiſtimant â favore trahitur; ſed imperatur ſilentium, ut ritè peragi poſſit ſacrum nullâ malâ voce obſtrepente.* lib. de beat. vit. c. XXVI. extr. Tanti verò non erat, ut ſapientiſſimum Philoſophum vel imperitiæ accuſarent, & ſilentium etiam hâc formulâ indictum neg tarent, vel Feſto & Ciceroni opponcrent Senecam, cùm nihil eum ab illis diverſi ſtatuere videam. Quòd enim ait *favere* hîc non â *favore* deduci, idem Feſtus innuit, quando ſcribit: *favere eſt bona fari.* Quòd pergit: *imperari ſilentium*, id ipſum in ſeqq. verbis Feſti, l. c. invenias, quæ ſunt: *favere vett. Poëtæ pro ſilere uſi ſunt.* Idem Feſtus alibi ſimilem formulam adducit quâ ſilentium mandatum. *Paſcito lingvam*, inquit, *in ſacrificiis dicebatur* i. e. *coërceto*, *contineto*, *taceto*. Quod tandem Ci-

cero

* *Decad. II. Obſervationum, c. X. p m. 118. ſ. Edit. Lugdun. M. DC. V. II. in 8t.*

cero & Feſtus de litibus & jurgiis abſtinendis, de bonis fauſtisque fandis ac precandis memorant, id Seneca exprimit his verbis: *Nullâ voce malâ obſtrepente.* Duplicis igitur erat ſignificati phraſis illa; alterum ſilere, alterum bona verba dicere denotabat: Ad hoc primariò in ludis, epulis &c: ad illud potiſſimùm reſpiciebatur in ſacrificiis, & ſonabat: *Favete lingvis* i. e. omnimodò ſolida lingvis frena injicite, ceu id ſacra iſthæc poſcunt, & ſi quiſpiam inter cæſa & porrecta, ubi fari licet, proloqui deſideraret, operam navet atque ſedulam adhibeat cautelam; ne infauſtum ac malè ominatum erumpat verbum. Hôc modô Servius cui plurima antiquitatis ſtudioſi pol! debent, ſolemnem illam Phraſin nobis exponit ad illud Virg. *Ore favete omnes & cingite tempora ramis*, lib. V. Aen. v. 71. his verbis: *ORE FAVETE; aptô ſermone & ſacris & ludis utitur; Nam in ſacris taciturnitas, in ludis neceſſarius eſt favor. Favet quis ore etiam per taciturnitatem. Horat. Favete lingvis carmina non prius audita Muſarum ſacerdos* &c: Nec malè vegetiſſimi ingenii & beati acuminis Juvenis Elias Schedius: *In ſacris taciturnitas neceſſaria erat, quod etiam præco magiſtratu ſacrificante dicebat: Favete lingvis, favete vocibus*, i. e. *bona omina habete aut tacete*, de D. G. lib. I. c. IX. Itemque Muretus illa Tibulli: *lingvâ vir mulierque fave*, lib. II. El. II. v. 2. commodè interpretatur ἤ σίγα, ἤ εὔφημα φώνει. Ita de hac formula Gyraldus: *Si enim opus facientem ſacerdotem inter ſacra videre contigiſſet temerari & pollui putabatur: Ideo ei cuſtos dabatur, qui ſacra inſpiceret: & alter, qui lingvis favere juberet*, ſynt. XVII. p. 498. Sed Choulius de ſilentio tantùm

tùm explicare videtur; cujus en verba: *Car aux ſacrifices des Dieux deuant toutes choſes, lon uſoit de taciturnité & fidelle ſilence: Comme teſmoigne Vergile ſoubs ces mots.*

Hinc fida ſilentia ſacris.

Pource qu'il manifeſte: que tous biens viennent & conſiſtant de ſilence & taciturnité. Le prebſtre commandoit favere ſacris, *ou* favere lingvis. *Et proprement* favere, *comme dit Feſtus*, eſt bona fari. *Et de ces mots Latins i' ay voulu uſer, pour ne ſortir point hors des termes de noz ſacrifices. Toutes fois les anciens Poëtes uſérent de ce mot* favere *pour monſtrer le ſilence, qu'il faloit garder pour deuëment acheuer les ſacrifices.* p. 295. Propertius: *Sacra facit vates, ſint ora faventia lingvis* lib. IV. El. VI. n. 1. Statius: *Lucanum canimus, favete lingvis,* lib. II. Sylv. VII. v. 19. Martialis: *Lingvis omnibus & favete votis,* lib. X. Epigr. LXXXVII. v. 3. Ovid. *Ore favent* (Stuckius ineptè legit: *tacent) populi, tunc cùm venit aurea pompa.* lib. III. am. el. XIII. v. 29. Idem: *Concipiamque bonas ore favente preces.* lib. III. Triſt. El. XIII. v. 18. Et lib. IV. El. II. v. 55. *Inde petes arcem & delubra faventia votis.* Necnon lib. V. El. V. v. 5.

Lingva favens adſit noſtrorum oblita laborum,
Quæ puto dedidicit jam bona verba loqui.

Idem. lib. IV. Faſt. v. 867.

Poſcite thure datô formam, populique favorem,
Poſcite blanditias, dignaque verba locô.

Id. dir. in Ibin, v. 95.

- - - - *peragam rata vota ſacerdos;*
Quiſquis ades ſacris ore favete meis.

Similes

Similes formæ erant apud Græcos: *σίγα πᾶς ἔςω λεώς.* It: *γλῶσσα τύχη, γλῶσσα δαίμων.* Necnon: *ἀλλ' ἄγε τέμνετε γλώσσας.* Vide Plut. in Iſid. ac Oſiride. Briſſon. in Form. * Unde Myſterium quaſi *μύειν τὸ ςόμα* dictum quidam volunt. Refer huc Pythagoræ ſymbola: *Cùm veneris in templum adora, nec intereà aliud quid facias:* Et: *Echemythia ſervanda, ſive, Lingvam coërceto deum imitans.* Muretus autem delirat, quando eadem de cauſſâ. *Hoc age!* inclamatum tradit, V. L. lib. XV. c. XVII. Sed de hoc nos ſuô locô.

Inde ſacrificantes ipſi veſtibus ad aures adductis caput operiebant, ne ſe inter religionem vagis aliquid obferret obtutibus; ut ait Virgilius, lib. III. Aen: v. 405.

Purpureò velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.

(Canterus, N. L. lib. I. c. VIII. Orgia prodere & abſtruſa recenſere nititur, qui ſcribit: Omnia *pro* Omina *tam crebrò legitur &c: In Virgilio primùm ſæpius hoc erratum commiſſum eſt* &c: Et inter alios etiam ultimum hunc verſum enumerat, quem tamen una cùm ceteris, ut ſuprà c. III. p. 54. memoravimus,

* lib. I. p. 8. *Cujus ceteri*, auctore Barthiô, Animadverſ. ad Statii lib. II. Silv. VII. v. 19. p. m 249. *qui hujus meminêre, ſunt Analecta.* Torrent. in notis ad Horat. III. Od. I. v. 1. p. m. 183. edit. opt. Antverp. CIↃ IↃC VIII. Dan. Heinſ: in notis ad Silii lib. XVI. p. m. 149. edit. Cantabrig. opt. 1646. in 12. Iſaac. Caſaubon. in Commentar. ad Theophraſti Charact. p m. 321. edit. Lugd. M. DC. XXXVIII. in 8t. Henr. Kipping. lib. I. Antiqvit. Rom. c. IX §. II. p m. 208. ſ:

vimus, in vetuſtis quos vidi (modernos enim ipſe excipit) Codd. non aliter reperio, nec aliô modô apud antiquos Scholiaſtas citatum aut adlegatum; quod etiam Alex. Vellutelli obſoleti Codd. confirmant) Vel ut ſentit Plutarchus in quæſt. ne pares Dîs cum mortalibus honores exhiberentur, quibus caput aperimus: aut etiam ut ſeipſos humiliores & cæciores agnoſcerent. Seneca Oct. Actu IV. ſc. I. v. 700.

Thura cum ſuperis dares,
Sacraſque gratô ſpargeres aras merô,
Velata ſummum flammeô tenui caput,

Flammeum tegmen erat ſangvineum, quô ſe virgines ipſô nuptiarum die velabant boni ominis cauſſâ, quod eô Flaminica Flaminis uxor uteretur, cui divortium facere non licebat. Vide Nonium Marcellum, Feſtum, ſcholiaſtam Juv. Sat. VI. v. 226. (Velabantur enim virgines in nubtiis & extra nubtias, ne pudicitia earum adſpectu pollueretur. Vide *Florum IV. II. 56. Val. Max. I. III. 16. Tertullianum de veland. virgg. Briſſonium de nuptt. Idem apud Turcas & Arabes etiam hodie obſervari teſtantur B. Lutheru in Gen. XXXVIII. 16. Joh. Lud. de la Cerda, adverſ. ſacr. lib. I. De Ebræorum mulieribus velatis confer Exod. III. 6. 1 Cor. XI. 10. & ſeqq. Pradûm ad Ezech. XVI. Fullerum miſcell. lib. IV. c. VII. Mart. de Roâ part. II. ſingul. lib. III. c. IV. Beierlinck theat. hum. litt. S. Geierum de L. E. c. XI. Quorum etiam pueros velatos docet Buxtorf. ſynag.

*Hi du loci ſunt mendoſi, cumprimis ultimus, tu ſubſtitue VI. III. 10. & pro Exod. *III. 6.* pone Gen. XXIV. 65.

ſynag. c. III. & VIII.) Propertius, lib. II. El. XXVIII. v. 45. *Ante tuosque pedes illa ipſa adoperta ſedebit.* Virgil. lib. III. Aen. v. 545. *Et capita ante aras Phrygiô velamur amictu.* Juvenal. Sat. VI. v. 390.

Stetit ante aras, nec turpe putavit
Pro cithara velare caput - - -

Tale velamen erat *Rica*, teſte Feſtô: Inde etiam infulæ & vittæ *velamina*, *velamenta*, ac *velata colus* adpellabantur; Græcis verò πέμματα i. e. vellera. Scaliger propriè *Velatos* dicit eſſe dictos, qui caput cinctum liciô laneô habebant; conject. ad Feſtum. Vide Petr. Colvium in lib. XI. Metam. Apuleji. Ebræi caput operiebant מצנפת i. e. cidari. Exod. XXIX. 6. Lev. XVI. 4. Vide Boxhorn. ad Plut. probl. XI. Aliàs velamenta ac infulæ ſubjectionis ac demiſſionis fuêre ſignum. Evolve aureas H. Savill notas in lib. I. Hiſt. Tac. p. 160. Apud Romanos filii parentes velatis capitibus efferebant; utpote quibus hi venerandi ſunt tanquàm dii: Unde & ſuper ſepulcris eorum ſe circumagebant. Vide Plutarch. Quæſt. XIV. Apud eosdem & ignominioſi velati. Adi Feſtum lib. XV. Druſium, obſ. lib. XII. c. XVIII. Dempſterum ad Roſin. lib. VIII. Contra apud Ebræos reges & principes recens creati velabantur. Schebhæt Jehuda; Wann der *Naſchi* geht / da iſt ſein *panim* verdeckt / mit einem ſeiden Tuch / daſz man ihm das *panim* nit ſieht. Et paullò pòſt: Als dann bringen ſie den *Naſchi* alleróberſt auff den *mighdal* und ſein *panim* iſt verdeckt.

Ritus ille velandi ſe in ſacrificiis ab Aenea ortum traxit, ut nos docet Orig. Gent. Rom: *Cùm vere-*

retur; ne ab hoſte cognitus periculum ſubiret, itemque rem divinam interrumpere ſummum nefas duceret, caput velamentô obduxiſſe, atque ita plenô ritu ſacra perfeciſſe, inde poſteris traditum morem ita ſacrificandi, c. XI. Non autem exhibebatur honos hic Herculi, teſte Briſſoniô: Neque Honori, quia ſplendidum quiddam, inluſtre, & apertum, ac latè patens eſt gloria: Plut. probl. XIII. Neque etiam Saturno; hinc ille apud Germanos quidem ſub Crodonis nomine in arce Hartesburg ad Silvam Hercyniam civitatemque Goslarienſem colebatur, imagine ſenis, ſtantis in piſce Perſico, induſiô amicti, lineô vinculô cincti, tenentis rotam ac urnam, nudis pedibus, capiteque nudô. El. Sched. lib. IV. c. II. de D. G. Capitis nuditatem Schedius ait denotâſſe colendum Deum pectore purô; cauſſâ mehercules nimis alienâ: Indicârunt potiùs, Veritatem occultari non poſſe, cujus Saturnus parens ac Deus habebatur: Vel quia Saturnus inter inferos terreſtresque deos: Vel, quia, cùm velatio Aeneæ inſtitutum ſit, Saturni ſacrificium multò ſit vetuſtius. Evolve Plutarch. probl. XI. cum notis BoxhornI. Idem Plutarch. probl. X. quærit, & multas rationes profert, quare Diis caput operiamus, honeſtis viris aperiamus? Qui hôc modô caput Deis iſtis retegebant, *lucem facere* dicebantur. Vide Cœl. Rhod. L. A. lib. XX. c. XII. De apertione capitis videſis Vincentium Turturetum in parall. diſſ. XXIX. Apud nos quidem hodie adhuc velatio quæpiam obtinet, quando in templis inter orandum, ne quicquam profani devotionem noſtram turbet, pileis, vittis, manicis, aut manibus oculos operimus.

Vela-

Velati ſe vertebant; quod tradente Plutarchô fiebat cæleſtis vertiginis quâdam imagine; vel, quod Aegyptiæ indicant rotæ, quia in humanis nihil ſtabile eſt & conſtans, & utcunque Deus volvat revolvatque vitam, nobis id libenter admittendum. Circumfertur Pythagoræ ſymbolum: *Circumactus adora*; Ubi Joh. Capnio ſive Reuchlin prudentiam circa preces mandari exiſtimat. Mercurius in Aſclepio prodit, ſacra peracturos die mediô meridiem, occiduô occaſum verſus ſe convertiſſe: Alii ex Græcis perhibent, ſi Dîs rem obirent divinam, exortivas * partes; ſi heroibus, occaſum ſpectare ſolitos. Clem. Alexandrinus: πρὸς τὴν ἑωθινὴν ἀνατολὴν αἱ εὐχαί. lib. XVII. Strom. Latinus Pacatus Drepanius: *Nam ut divinis rebus operantes in eam cæli plagam ora convertimus, à qua lucis exordium eſt.* in paneg. Theod. c. III. Virg. lib. XII. Aen. v. 172. *Illi ad ſurgentem converſi lumina Solem.* Ovid. lib. IV. Faſt. v. 777.

His Dea placanda eſt: hæc tu converſus ad ortus
Dic quater &c:

Alii h. l. *ad aras* legunt, eôdem ſenſu; quia hâc fini non ſolùm ipſa templa extructa erant, ut orientem ſtatim exciperent ſolem. Dion. Thrax. οἱ ναοὶ τῶν παλαιῶν καὶ τὸν ἥλιον ὑπερκύψαντα εὐθὺς ὑποδέχεσθαι εἰώθεσαν. καὶ τοῦ φωτὸς εὐθὺς ἐμπεμπλᾶσθαι τῶν θυρῶν ἀναπεπταμένων, ὅπου καὶ τὰ ἱερὰ ἔρρεξαν. lib. III. diæres. Verùm etiam aræ. Virtuvius: *Aræ ſpectent*

* *De ritu precandi veterum Chriſtianorum verſus Orientem elegantem edidit diſputationem Cl. Jacob. Thomaſius Lipſiæ, M. DC. LXX. quam uni Faſcium noſtrorum cum DEO inſeram. Adde & D. Henrici Mulleri Semicenturiam I. Quæſtionum Selectar Theologic. n. XXI. p. m. 101. ſ.*

ſpectent Orientem, lib. IV. c. ult. Judaicum Sanctum Sanctorum erat in parte Occidentali templi conlocatum, veluti hodie Chriſtiani templa ab occidente in Orientem ingrediuntur, non ſolùm quòd Chriſtus crucifixus Occidentem verſus ſpectaret; ſed & quia ut fulguris ab oriente in Occidentem motus, ita aliquando filii Dei adventus. Apud vett. Ckriſtianos, qui ſacro lavacro ſuſcipiendus erat, diabolum verſus Occidentem ejurabat, ac ſtatim Chriſtum in Orientem adorabat. Vide Clem. Alex. ſtrom. VII. & Reſponſ. (quæ Juſtino Martyri adſcribuntur) CXVIII. Damaſcenum de Orthod. fide, lib. IV. c. XIII. Dionyſ. Areopag. in cæl. Hierar. c. II. Angliæ eruditæ Principem Seldenum, lib. II. c. VIII. Philip. Caroli antiqq. Rom. lib. I. c. IV.

Fiebat porrò verſio illa apud Romanos & Græcos â ſiniſtra ad dextram. Unde cùm amator inſaniens Phædromus præ nimio æſtu ac angore, quò ſe verteret, neſcire ſe querebatur; ſubdit per jocum Palinurus: *Si deos ſalutas, dextroverſum cenſeo.* Plautus in Curc. I. I. 70. Hoc ad mundi, ut diximus, imitationem fiebat, cujus ortus, ut docet Plinius, eſt â læva parte in dextram præceps. Galli contra ſiniſtrorſum & in lævam partem adorantes religioſiùs ſe vertere arbitrabantur. Fervidiſſimus hiſtoriarum ac naturæ indagator: *In adorando dextram ad oſculum referimus, totumque corpus circumagimus, qvod in lævum feciſſe Galliæ religioſius creduntur.* H. N. lib. XXVIII. c. II. Apud Ebræos certum erat ſacrificii genus נוף dictum, quod fiebat agitatione verſus Orientem & Occidentem, Meridiem & Septentrionem, ad oſtendendum in quatuor mundi partibus debere

ſacrificia

ſacrificia ad laudem nominis divini obſerri, ut vett. Ebræorum ſapientes tradiderunt, Cod. Talmud. Merachoth, c. V. Cod. Succa, c. III. R. Salom. Exod. XXIX. 24. Vide Buxtorfi Lex. Hanc in ſacris circumactionem apud Romanos â Numa inventam ait Choul. p. 300. Ex his adparet, quantoperè adlidat Vir infinitæ ſcientiæ & planè ſtupendi judicii Voſſius, qui dubitare haut dubitat, ſitne adeò antiquus circumactio in ſacrificiis ritus? de Idol. lib.II. c. III. Talem in adorando verſionem Muhamedanis adhuc uſitatam, quibus Imperium Byzantinum viſum eſt, conſtanter adſerunt: Et teſtatur Euthymius Zygabenus his verbis è Græco ſcil. verſis: *Anathematizo etiam ipſam illam precationis domum in Make, in cujus medio jacere ajunt lapidem magnum, Veneris effigiem habentem. Honorari autem iſtum lapidem, quaſi Abraham ſuper eum cum Agare coierit, aut camelum ei adligaverit, quum Iſaacum ſacrificaturus erat. Eos autem qui precatum illûc eunt, alteram manum ad Lapidem extendere, alterâ verò aurem ſuam tenere, atque ita in orbem ſe circumagere, donec è vertigine obfuſis tenebris concidant*; in catech. Sarac. Idem: *Supplicant verò ex præcepto Muhamedis ad Auſtrum converſi*; in panoplia. Hoc quoque Bartholomæus Georgievitz de Turcarum feminis enarrat. Vide Salom. Schweiggeri itinerarium.

In circumgyratione illa manum inclinatô capite ſubinde oſculabantur, quod præcipuum venerationis genus exiſtimabant. Ruffinus: *Qui adorant, ſolent deoſculari manum*, lib.I. Apulejus: *Si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratiâ manum labris admovere*, Apolog. c.I. Minucius Felix: *Cæcilius ſimulacrò*

mulacrô Serapidis denotatô (ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet) manum ori admovens , oſculum labiis impreſſit, in Octav. Hinc B. Hieronymus illud Pſalm. II. 12. *Exoſculamini filium*, interpretatur *adorate. Ebræi,* inquit Beroaldus , *linguâ ſuâ deoſculationem pro veneratione ponunt.* Pertinent huc loca Scripturæ, 1 Reg. XIX. 18. *Genua , quæ non incurvata ſunt ante Baal , & omne os , quod non adoravit eum , oſculans manum.* Job. XXXI. 26. 27. *Si vidi ſolem , cùm luceret , & lunam incedentem clarè : Et lætatum eſt in abſcondito cor meum , & oſculatus ſum manum meam ore meô*, & ſimilia. Oſculabantur autem non ſolùm manum , ſed & in oſculando indicem pollici ſuperinjectum ori admovebant , ut crucem repræſentaret. Apulejus : *Admoventes oribus ſuis dexteram priore digitô in erectum pollicem reſidente ; ut ipſam prorſus Deam Venerem religioſis adorationibus venerarentur*; lib. IV. Metam. Hinc *Adorare* Viri quidam eruditi interpretantur quaſi manum ad os movere. Lipſius , Elect. lib. II. c. IV. Muretus, V. L. lib. X. c. I. Scioppius, Verſim. lib. I. c. VIII. Stuck. f. 3. quia in deorum ſalutatione eminus ſtantes, ne ore profanô Deos tangerent, manum ori admovebant ac ſvaviabantur; quæ derivatio cùm non placeat Voſſio, Inſt. Orat. lib. IV. c. VII. Sect. II. potiorem vellem adduxiſſet: Neque enim illa firma ſatis atque valens eſſe videtur, quam habet Stuckius, qui *adorare* dici refert quaſi *odorari*, f. 138. Aliquando & ipſa Idola oſculabantur. Vide Oſeæ XIII. 2. R. Maimonides: הכונפף עבו"ם והמנשק i. e. *Qui amplectitur idolum, aut oſculatur.* lib. עב"ום c. III. §. 9. Deinde Magnates eô, quô Deos, honore, oſculatione ſcil. manuum, vel manum,

num ori admovendo, proſequebantur, quod *manu venerari*, item *manu ſalutare* dixêre. Ritus hic hodiedum hîc atque aliubi præſtat; Galli *baiſe les mains* vocant. Vide de hiſce Plut. in Num. & Camill. Plin. H. N. lib. XXVIII. c. II. Lucret. lib. V. Ovid. lib. III. Faſt. Statium, lib. V. Theb. Propert. lib. I. El. XVI. Sveton. Vitell. c. II. Briſſ. lib. I. Form. Turnebum, lib. I. c. XVII. & lib. XXII. c. XXIII. adverſar. Pithœum adverſ. lib. I. c. VII.

Peractis aliquibus precibus, & piis votis depromptis, procubuêre. Quod ſatis declarat Tranqvillus: *Primus C. Cæſarem adorari ut Deum inſtituit, cùm reverſus è Syria non aliter adire auſus eſſet, quàm capite velatô, circumvertenſque ſe, deinde procumbens.* in Vit. c. II. Quô vel ratas fore preces indicabant; vel actionum noſtrarum diviſionem eſſe quietem. Quam quidem procubuitionem miror non intellexiſſe Stuckium, quando his ApollonI verbis:

Τῷ δ' ἄνεῳ καὶ ἄναυδοι ἐφ' ἑστίῃ ἀΐξαντες
Ἵζανον, ἥτε δίκη λυγροῖς ἱκέτῃσι τέτυκται.

hæc ſubjungit: *Sed illud non eſt hujus loci, neque videtur ſupplicem decere, ut ſedeat* &c. p. 88. Neque adeò cum Voſſio improbare poſſum CruſerI explicationem proverbI: καθῆσθαι προσκυνήσοντας, *Sedeas cùm adoraveris*, quâ magis ad ritum, quàm verba reſpicit, & fortè intelligit: Cùm adoraturus es, ſive vadis ad adorandum, ubi poſteà adoraveris, ſedeas. Ita certè Plutarchus: ἔτι νῦν προσευξάμενοι καὶ προσκυνήσαντες ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐπιμένει καὶ καθίζειν εἰώθασιν. probl. XXV. Illud autem Pythagoræ ſymbolum: *Adoraturi ſedeant*, pleriſque exponitur: Oportere certa vota concipere

& in optimis perſeverare. Mortui quoque quotannis Denicalibus feriis ſedendo & quieſcendo colebantur, dicebanturque *reſideri*. Vide Cic. lib. II. de Ll.

Alii malunt venerationis genus quoddam fuiſſe Perſis, Græcis & Orientalibus commune; idque vocabant προσκυνεῖν & προσκύνησιν, ἀπὸ κυνὸς, quod catelli inſtar ad pedes devolverentur; vel à κυνέω, quod idem eſt cum κύω, oſculor, ſvavior, unde & Stuckio Germ. Küſſen deducitur f. 5. Humum enim mentô contingebant, ut oſculari viderentur. Ita magi venerunt ad Chriſtum προσκυνῆσαι ἕνεκα, ut eum tanquàm Regem i. e. more illô, quô Reges ſuos ſolent Perſæ, adorarent. Matth. II. 2. Aliquando προσκύνησις illa ſupra lapidem figuratum fiebat, quod perſpicuum eſt ex Maimonide: וכן אבן משכית האמורה בתורה אע"פ שהוא ש"נ ואבן משכית לא תתנו בארצכם להשתחוות עליה מפני שהיה דרך עכו"ם להניח אבן להשתחוות עליה i. e. *Similiter qui ſe incurvat ſuper lapide figurato, de quo lex loquitur, etſi vero Deo id præſtet, vapulat: Quia dictum: Neque figuratum lapidem ponite in terra veſtra, ut vos incurvetis ſuper eo. Id enim in Idolorum cultu obtinebat, ut lapis poneretur:, ſuper quo ſe proſtenerent.* lib. Akom, c. VI. §. 8. Vide Dionyſ. Voſſ. Identidem ex R. Bahye: מנהג עובדי עבודה זרה היה שהיו מציירין אבן בציור נאה ונותנין האבן לפני הצלם ומשתחוים עליה לפניו: i. e. *Mos idololatricus erat figurare lapidem pulcræ effigiei, eumque ponere coram idolo, & ſuper illo ſe coram hoc proſternere.* Et quidem השתחויה illa fiebat, ut R. Moſes loquitur, ידיו ורגליו על האבן i. e. manibus pedibuſque ſuper lapidem. Vide R. Salomon. ad Levit.

vit. XXVI. 1. Variæ exinde, ne quid hujus προσκυνήσεως imitari viderentur, Judæis latæ erant leges: v. g. י"שב לו קוץ ברגלו לפני עב"ום לא ישוח ויטלנו מפני שנראה כמשתחוה לה. נתפזרו לו מעות בפניה לא ישה ויטלם מפני שנראה במשתחוה לה אלא ישב ואחר כך יטול: i. e. *Inſixa eſt ſpina pedi ullius ante idolum? Ne ſe incurvet ad eam evellendam, quia videretur alioqui ſe idolo incurvare. Diſperſi ſunt numi ante idolum? Ne ſe incurvet ad eos tollendos: quippe idolo videretur ſe incurvare.* Porrò: ומפני זה נהגו כל ישראל לחציה מהצלאות בבתי כנסיות הרצופות באבנים או מיני קש ותבן להבדיל בתיהן ובין האבני ואם לא מצא דבר מבדיל בינו ובין האבן הולך למקום אחר ומשתחוה או שוחה על צדו ימטה כדי שלא ודביק פניו באבן; i. e. *Hanc ob cauſſam ſolebat omnis Iſraël in Synagogis, quæ lapide eſſent ſubſtratæ, Storeas ſternere, aut ſtraminis genus, quò inter ipſos & lapides aliquid intermedium foret. Quod ſi deeſſet, quô lapides contegerent; alium in locum ibant, atque ibi ſe proſternebant; vel in latus inclinabant, ne facie lapides contingerent.* הגדול הרב i. e. Rabbi magnus, ceu eum Kimchi vocat, Moſes lib. cit. c. II. §. 10. Inclinatio hæc ad terram expanſis manibus pedibuſque refertur ab Ebræis ad honoris cultum; cujus quatuor erant ſpecies. Prima dicebatur קדד, quando verticem tantùm incurvabant, ut docet R. Salomo ad Geneſ. XLIII. 28. Altera כלע, quæ erat, notante Kimchiô, demiſſio capitis cum quadam parte corporis, ſive, cum ſuperiore corpore uſque in genua. Tertia ברך, ipſorum genuum flexio. Quarta tandem השתחות, corporis totius proſtratio. Ita quidem enumerant Talmudici lib. שבועות, fol. 16. & Megilla, f. 22. Ortæ ſunt ex eo Phraſes: *Ad terram in-*

incurvari, *lingere pulverem terræ*, *de pulvere erigere*, *proſternere ſe*, Pſal. LXXII. 9. CXIII. 7. Mich. VII. 17. Eſa. XLIX. 23. III. 26. XXIX. 4. XLVII. 1. 5. LII. 2. &c. Erat enim humicubatio iſthæc tum humiliatorum & demiſſorum, tum etiam lugentium ſignum. Vide Curtium, lib. VI. Val. Max. lib. VIII. c. I. ex. 3. Geierum de Luct. Ebr. c. XVIII. An autem non alia fuerit προσκύνησις ſive השתחוה in ſacrificiis, alia iterum ſeſſio in terram poſt preces, perpendendum relinquo.

Procumbentes digitum ſimul ori admovebant; qualia ſimulacra in omnibus templis, ubi Iſis & Serapis colebantur, fuiſſe, teſtatur Varro apud Auguſtinum: *Quoniam in omnibus templis, ubi Iſis & Serapis, colebatur, erat etiam ſimulacrum, quod digitô labiis impreſſô admonere videbatur, ut ſilentia fierent*: *Hôc ſignificans, ut homines eos fuiſſe taceretur*. de Civ. Dei lib. XVIII. c. V. Similiter Aringus ſuper cœmeterialia cubicula imagg. nonnullas conſpici ait, quæ manus vel digitos ori præferant. Rom. ſubterr. lib. IV. c. XXVI. Meminit Gyraldus æneæ imagunculæ * Harpocratis, effoſſæ ex Mutinenſibus ruinis. Erat autem puer imberbis, nudus, dextræ *indice* digitô os obſignabat. Et ſic ab Ovidio, lib. IX. Metam. v. 691. deſcribitur: *Quique premit vocem digitoque ſilentia ſuadet*. Quintilliani ſive Cataphryges nominati ſunt *Traſcodrugitæ* & *Perticonaſati*, quod inter

* *Lege hîc Ampliſſ. Dn Gisb. Cuperi Conſulis & Profeſſoris quondam Daventrienſis Harpocratem, ſive explicationem Imagunculæ argenteæ antiqviſſimæ ſub Harpocratis figura, ex Ægyptiorum inſtituto Solem repræſentantis, edit. Amſtelod.* CIↃ IↃC LXXVI, *in 8t*:

inter orandum digitum indicem naſo imponerent. Vide Epiphanium, hær. XLVIII. Sed de digito, quisnam fuerit, laborandum. Arias Montanus mirandus Ebrææ lingvæ Phœnix digitum in ſacris litteris pro tota ſæpe manu poſitum obſervat, quod tamen in hunc ritum quadrare non videtur. Romana feſtivitas Plautus ſcribit: *Vultus te turbat tuus.* Epid. IV. I. 33. ubi Camerarius, Gruterus, Meurſius & Taubmannus pro *vultus* ſubſtituunt *digitus*, ac poſtremus horum *pollicem* κατ' ἐξοχὴν intelligendum cenſet; quia nempe primarius digitus, ab ipſo *pollendo* Latinis, Græcis ἀντίχειρ dictus, Oratoribus in dicendo crebrò adhibitus: Unde ob ingentem contumeliam pollices olim præciſi, quod fecit ac ipſe poſteà paſſus eſt Adonibeſek rex Cananitarum. Judic. I. 6. 7. At in noſtram rem nec pollex quicquam facit. Quid ergo? Notum, ferè ſingulos digitos diis certis fuiſſe conſecratos: ſcil. pollicem Veneri, Marti indicem, infamem Saturno, Soli annularem, auricularem Mercurio: An igitur ſingulos in ſingulorum ſacrificiis digitos ori admotos credimus? Incertum hoc; & quid de ceteris Diis factum diceremus? Fortius certè pedem in *indice* figimus, quô ori admotô ſilentium indicâſſe veteres, conſtat ex Apulejo: *At ille digitum à pollice proximum ori ſuo admovens & in ſtuporem attonitus; Tace, Tace, inquit*; lib. I. Metam. Exinde *ſalutaris* dictus, quod ſilentium res ſit maximè ſalutaris. Mart. Capella: *Quidam redimitus puer, ad os compreſſò digitô ſalutari ſilentia commonebat.* de Nubt. Philol. Qui quidem mos non tàm communis multis gentibus, quàm vetuſtiſſimus. Hiob. *Attendite me, & obſtupeſcite, & ſuperponite digitum ori veſtro.* XXI.

Digitized by Google

XXI. 5. adde c. XXXIX. v. 37. Non ergo inconveniens puto, veteres, peractô votô, ſatis verborum factum, Silentii digitô indicâſſe ſeqve hôc modô repreſſiſſe. Vide Del Rio. V. T. adag. CLXV. cùm præcipuè tanti in ſacris ſilentium fecerint, ex dogmate Aegyptiorum & maximè Pythagorico; unde Virgilianus clareſcit locus, lib. IV. Georg. v. 401.

Ipſa ego te, medios quùm Sol accenderit æſtus,
Quum ſitiunt herbæ, & pecori jam gratior umbra eſt.
In Secreta ſenis *ducam.* - -

Sed Servius de Dîs marinis exponit. Hinc neſcio quis ſibi â ſtomacho aut ſplene potiùs temperaret, profanam Ageſilai ſtoliditatem inaudiens, Palladis aræ, ut bovem immolaret, adſtantis: qui, cùm eum momordiſſet pediculus, non averſus eſt; ſed: *Per Deum*, inquiens, *equidem inſidiatorem vel in ara ipſa confodiendum puto*; adreptum palam omnibus occidit. Eraſmus, lib. I. Apophth. n. X. p. 6. Miſella iſta beſtiola Barcanorum aliquem hîc exoptâſſet, qui ei magnô vitam pretiô redemiſſet, quod vecordi illi populo Indiæ in regno Guzzarat in more poſitum legimus, ſi quis coram eo * pediculos conficere tendit: Quod ſi verò nimis ſint moleſti, incolas deſerti, quales Chriſtianis ſunt eremitæ, arceſſunt, qui eos legant, ſuisque impoſitos capitibus nutriant. Sed hæc ἐν παρόδῳ.

CA-

* *Eruditum eſt in medio Pægnion de Laude Pediculi, Joh. Henr. Urſini, quô neſcio an aliqvod eruditius eo in genere legerim, inſertum Miſcellaneis ejus ſacris & Philologicis, n. VI p. m. 305. ſ. edit. Norimberg. M. DC. LXVI. in 8t. Legitur & Laus Pediculi ad conſcriptos Mendicorum Patres in Dan. Heinſii Orationib. extr. p. m. 420. ſ. edit. opt. Amſteod. ƆIƆ IƆC LIII. in 12.*

CAPUT XIII.

Preces in ſacrificiis. Τȣ̃ *precari ſynonyma. Precantium variæ geſticulationes.* Curpes Spondæus? *Tangebant aras, & quare? Voſs I ſiniſtra lectio loci Agelliani. Precantes tenebant ſafirum, & cur? Safirus cui ſacer? Ejus virtus. Duo precantibus præpoſiti: Eorum officium. Senecæ lux. Deorum nomina in precibus varia congeſta: Præſertim in hymnis. Duo loca Scripturæ plenè inluminantur.* Seu quô aliô nomine invocari volueris, *clauſula precum. Dii aliqui* Patres *dicti. Muretus tentatur. Janus in omnibus ſacrificiis invocatus: Ejus variæ cauſſæ. Janus deorum maximus, cur?* Jani *etymon. Janus templorum inventor: Ei omne principium ſacratum: Deorum fuit antiquiſſimus. Ignis omnibus ſacrificiis invocatus: ſimiliter Meliſſa,* & cur? *Item Veſta.* Sive tu deus es, ſive tu dea; *formula.* Omina *pro precibus: alia Aſcon I explicatio. Da, vox in precibus ſolemnis. Myſteriorum ſymbola.* Κύριε ἐλέησον, *Ethnicis in ſacris uſitata formula: Canebatur etiam in bello.* יה *&* יהוה *Baccho adclamatum.* Προσόδιον. *Precatio-*

cationum in variis ſacrificiis exempla. In confederationibus utraque pars precabatur. Γλῶσσα τύχη, γλῶσσα δαίμων. *Agonizantium formula. Precum operatio in ſacris magicis & mortualibus. Preces in libatione renovatæ. Vota varia. In Lindienſi ſacrificio maledicta & convitia. Ejus origo. Lactanti commendatio. Ara* βούζυγος. Lindi ſacrum, Rhodienſe ſacrificium, *proverbb. Ebræorum ſolemnis precatio.* לעולם ועד *epilogus precum.*

CIrcumgyrationem illam manuumque deoſculationem, devotæ, priùs quàm procumberent, intercedebant preces, potiſſima, ut ait Stuckius, ſacrificiorum pars; quâ ſacra potiſſimùm impleri, confici atque vires nanciſci videbantur: Eas, qui fundebant, dicebantur deos *Orare, adorare, precari, deprecari, obſervare, obteſtari, contendere, flagitare, efflagitare, exigere, implorare, ſupplicare, vovere, vota facere.* Græcis εὔχεσθαι, ἵκεσθαι, αἰτεῖν, δέεσθαι, λίσσεσθαι, λίπεσθαι, λιτάζεσθαι, γονοῦσθαι; Ebræis שאל. Vide Stuck. f. 82. ſeqq.

Precantes primùm ipſos ubi conſideramus, videmus eos caput huc atque illuc convertere, in altum tollere, in terram dejicere, attingere, ſicut Græci mentum; voce nunc altiſſimâ, nunc ſubmiſsâ uti, verba plerumque barbara, oſca, ac obſoleta projicere; manus complicare, in crucis ſpeciem expandere, in altum tollere; quandoque & Deorum genua tangere, quæ omnia ulteriùs explanavit Stuckius, f.

86.

86. & ſeqq. & Phil. Caroli antiqq. Eccl. lib. I. c. III. Inde duæ ſyllabæ longæ *Pes Spondæus* dicuntur, quòd ſacrificantes cunctabundâ ac moroſâ voce uterentur. Imprimis verò aras manibus tangebant, genibus flexis. Extat antiquiſſima hæc Numæ Pompilii lex apud Agellium. PELEX. ASAM. JUNONIS. NE. TAGITO. SI. TAGET. JUNONI. CRINIBOUS. DEMISSIS. ARNUM. FEMINAM. CAIDITO, lib. IV. c. III. in qua Voſſius, neſcio unde, certè contra ritum pro ASAM legit ÆDEM, de Idol. lib. II. c. XXVII. Apulejus: *Tunc genu nixa & manibus aram repente amplexa.* lib. VI. Metam. Plautus: *Te obſecramus, aram amplexantes hanc tuam, lacrymantes, genibus nixæ.* Rud. III. III. 32. Virgilius, lib. VI. Æn. v. 124. *Talibus orabat dictis araſque tenebat.* Seneca, Herc. Fur. Act. III. Scen. III. v. 875.

Thebis læta dies adeſt:
Aras tangite ſupplices,
Pingves cædite victimas.

Ovidius, lib. IX. Metam. v. 771. 774.

- - - - *paſſis aram complexa capillis*
Fer; precor, inquit, opem.

Idem, lib. I. amor. El. IV. v. 27.

Tange manu menſam, quô tangunt more precantes,
Optabis meritò cùm mala multa viro.

Cauſam ſubindicat Choulius: *Le prebſtre, qui faiſoit le ſacrifice, tenoit l' autel auecques la main: Car s' il n' euſt tenu l' are, ils eſtimoyent que les dieux n' eſtoyent point appaiſez.* p. 305. Aliquando gemmam Saſirum, Apollini ſacram, ſecum gerebant, quô rata magis fieri putârunt vota, ut ex Dioſcoride notat

tat Pictorius ſcholiaſta Galli perantiqui atque doctiſſimi Marbodei, & hic ipſe etiam Marbodeus meminit de lapp. pret. c. LIII. de Saſiro:

Hæc ſacer, & meritò gemmarum gemma vocatur
Pacatumque Deum reddit, precibusque faventem.

Neque hic omittendi ſunt illi duo, qui precantibus præponebantur, quorum alter in votis verbis præiret; alter, an ſacrificans probè ac ritè dictata redderet, obſervaret: ille, ne quid in concipiendo; hic, ne quid in recitando erraretur, caveret. Vide Livium, dec. I. lib. VIII. Plinius: *Quippe victimas cædi ſine precatione non videtur referre, nec Deos ritè conſuli: Prætereà alia ſunt verba impetrantis, alia depulſoris, alia commentationis; Vidimuſque certis precationibus obſecrâſſe ſummos Magiſtratus: Et ne quid verborum prætereatur, aut præpoſterum dicatur, de ſcribto præire aliquem; rurſusque alium cuſtodem dari, qui attendat,* lib. XXVIII. H. N. c. II. princip. Ad hos ferè reſpicere videtur Seneca: *Audiat licet, quemadmodùm ſe gerere debeat in ſacrificiis,* ep. XCV. Vide amuſſitatas GronovI notas in h. l.

Deinde circumſpicimus Deos, ad quos ſolebant *Murmurque humileſque ſuſurros Tollere de templis*; quorum nomina varia omnia in invocando congerebant. Catullus; Epigr. XXXVII. v. 11.

Nunc ô cæruleô creata Pontô,
Quæ ſanctum Idalium, Urioſque apertos;
Quæque Ancona, Cnidumque arundinoſam
Colis: quæque Amathunta, quæque Colchos;
Quæque Dyrrhachium, Adriæ tabernam;
Acceptum face, redditumque votum.

Id quod inprimis in hymnis obſervabatur, qualis adhuc

adhuc habetur de Apolline vetuſtiſſimus, ſcholiô concinnô ab Alexandro Braſſicano adornatus, in quo omnia ejus nomina atque epitheta Alphabeticâ ſerie contexta reperias: Neque eum, licet prolixiorem, adducere pigebit.

Ὑμνείω Παιᾶνα, μέγαν θεὸν Ἀπόλλωνα,
Ἄβροτον, ἀγλαόμορφον, ἀκερσεκόμην, ἀβροχαίτην,
βελθύνοον, βασιλῆα, βελειαπχαρῆ, βιοδωτὴν,
γηθόσυνον, γελόωντα, γιγαντολέτην, γλυκύθυμον,
διογενῆ, διόπαιδα, δρακοντολέτην, δαφνογηθῆ,
εὔλαλον, εὐρυβίην, ἑκατήβολον, ἐλπιδοδώτην,
ζωογόνον, ζάθεον, ζηνόφρονα, ζηνοδοτῆρα,
ἤπιον, ἡδυεπῆ, ἡδύθροον, ἠπιόχειρα,
θηροφόνον, θαλερὸν, θελξίφρονα, θελγεσίμυθον,
ἰαφέτην, ἱμετὸν, ἰήϊον, ἱπποευστὴν,
κοσμοπλόκον, κλάριον, κρατερόφρονα, καρπογένεθλον,
λητογενῆ, λαρὸν, λυρογηθέα, λαμπετόωντα,
μυστοπόλον, μάντην, μεγαλήτορα, μυελόμορφον,
νεβροχαρῆ, νοερὸν, νηπενθέα, νηφάλεόν τε,
ξυνοχαρῆ, ξυνὸν, ξυνόφρονα, ξυνοδότηρα,
ὄλβιον, ὀλβιοεργὸν, ὀλύμπιον, οὐρεσιφοίτην,
πρηῢν, πανδερκῆ, παναπήμονα, πλουτοδοτῆρα,
ῥυσίπονον, ῥοδόχροον, ῥηξικέλευθον,
σιγαλόεντα, σοφὸν, σεληνογενέτην, σωτῆρα,
τερψίχορον, τιτᾶνα, τελέστορα, τιμήεντα,
ὑμναγόρην, ὕπατον, ὑψαύχενα, ὑετόεντα,
Φοῖβον, φοιβάζοντα, φιλοστέφανον, φρενογηθῆ,
χρησμαγόρην, χρύσεον, χρυσόχροα, χρυσοβέλεμνον,
ψαλμοχαρῆ, ψάλτην, ψευσίστυγα, ψυχοδοτῆρα,
ὤνυπον, ὠκυεπῆ, ὠκύσκοπον, ὠρεσιδώτην.

Similem de Baccho ex antiquitate depromit Joh. Soter in epigr. lib. I. p. 96. Adde Nonnum, lib. XL.

Dionyſ. Clarè hîc inluceſcit locus ille de ſacricolis Baalis. *Invocârunt nomen Baalis à mane usque ad meridiem*, 1. Reg. XVIII. 26. Hujuſcemodi morem Sanctiſſimus Salvator adhuc βροτοειδὴς ſeverè diſcipulis ſuis interdixit his verbis: προσευχόμενοι μὴ βαττολογήσετε ὥσπερ οἱ ἐθνικοὶ. Matth. VI. 7. Vide de βαττολογίᾳ & ejus ſpeciebus Theologos celebratiſſimos Eraſmum, lib. de modo orandi deum, Dilherrum in electis. Hildebrand. ritual. orant. c. IV. Unde uſitata precum clauſula, fuit: SEV QVO ALIO NOMINE INVOCARI VOLUERIS. Itaque qui accurati in ſuis precibus eſſe volebant vix ullô tàm multorum nominum omiſſô deôs compellabant: Sive quod hoc aliquid majeſtatis haberet; ſive quod ignorarent, quô nomine dii maximè delectarentur. Lucianus mordaciſſimus ſcurra: Ὦ Ζεῦ φίλιε, καὶ ξένιε, καὶ ἑταῖρε, καὶ ἐφέστιε, καὶ ἀστεροπητὰ, καὶ ὅρκιε, καὶ νεφεληγερέτα, καὶ εἴτι ἄλλο οἱ ἐμβρόντητοι ποιηταὶ καλοῦσι, καὶ μάλιστα ὅταν ἀπορῶσι πρὸς τὰ μέτρα· τότε γὰρ αὐτοῖς πολυώνυμος γινόμενος ὑπερείδης τὸ πίπτον τοῦ μέτρου καὶ ἀναπληρεῖς τὸ κεχηνὸς τοῦ ῥυθμοῦ. Vide Apul. lib. de Mund. & lib. XI. Metam. Boxhorn. Quæſt. Rom. I. Aliqui autem Deorum in adoratione audiebant *Patres*, quos ferè perſtringit, Lucilius lib. I. ſatyr.

Ut nemo ſit noſtrûm, quin pater optimu', Divûm:
Ut Neptunu' pater, Liber, Saturnu', pater Mars,
Janu', Quirinu' pater, nomen dicantur ad unum.

Atque adeò falſiſſimum videtur, quod ſentit Muretus, omnes Deos ab antiquis *Patres* fuiſſe vocatos. comm. ad Catull. epigr. LXIII. de nubtiis Pel. & Thet. Inter omnes tamen præcipuè eminebat Janus, qui

qui perpetuam hanc in omnibus ſacrificiis meruit præfationem: JANE PATER! Vide Macrob. Saturn. lib. I. c. IX. Parrhaſium in epiſtolis. Vel quia aliis eſt Sol, aliis annus, aliis mundus, ideoque meritò Deorum maximus; unde & quidam nomen ejus deducere nituntur â יה, contracto ex יהוה, alii â יין, alii â Javan, aiii â Ἰάων. Confer Voſſ. de Idol. lib. I. c. XVIII. & lib. II. c. XVI. Stuck. f. 85. 86. Vel, quia primus templa Diis ſtruxit, ritusque ſacrorum inſtituit, ut prodit Macrob. lib. I. Saturn. c. IX. Vel, quia Jano omne principium conſecratum erat, unde & januas, & domuum ei ingreſſus ſacrabant. Servius ad I. Aen. Vel quia Deorum fuit antiquiſſimus, teſtibus Orpheô in hymnis, Ovidiô in Faſt. quare & tantâ apud ceteros eum deos polluiſſe auctoritate ſibi perſvadebant, ut benevolentiam eorum facilè extorqueret. Diſertè id indicat Arnobius: *Quod ſi accipiemus, ut verum ſit, ſequitur ut intelligi debeat, nullum unquàm fuiſſe Janum, quem ferunt Cælô atque Hecate prognatum in Italia regnâſſe primùm, Janiculi oppidi conditorem, patrem Ponti, Vulturni generum, Juturnæ maritum: Atque ita per vos Dei nomen eraditur, quem in cunctis anteponitis precibus, & viam vobis pandere deorum ad audientiam creditis.* lib. III. adverſ. Gent. Simili modô, quô Romani Janum, ignem Perſas in omnibus ſacrificiis invocâſſe refert Strabo: ὅτω δ' ἀῦ θύωσι θεῷ, πρώτῳ τῳ πυρὶ ἔυχονται &c: Vide Boxhorn. ad Plut. probl. XXII. Gyrald. Synt. XVII. p. 501. & ſeqq. In Peloponneſo Meliſſa Nymfa ob mellis uſum datum in ſacrorum præfatione adhibebatur; veluti apud Romanos, unà cum Jano, Veſta, ut tradit Servius l.

c. & ſubinnuit Juvenais, ſat. VI. v. 386. 392.

Cum farre & vino Janum Veſtamque rogabat:
Dic mihi nunc quæſo, dic antiquiſſime divûm
Reſpondes his Jane Pater?

Addeban etiam precationibus: * SIVE TU DEUS ES, SIVE TU DEA. Macrob. lib. III. c. IX. Atrnobius: *Nam conſvêſtis in precibus, SIVE TU DEUS ES, SIVE TU DEA, dicere. l. c.* Evolve notas Elmenhorſtii in h. l. & Meurſii not. in Caton. de R. R. c. CXXXIX. Virg. *Dique Deæque omnes ſtudium quibus arva tueri.* lib. I. Georg. v. 21. Id eò pertinebat, quòd gentiles aut ignorârint ſexum deorum, aut non putârint deos ſexu diſtingvi; vel ut ſignificarent numen ignotum. Vide Agellium, lib. II. c. XXVIII. Seldenum de D. S. proleg. c. III. & ſynt. II. c. II. Boxhorn. Quæſt. XIII.

Attendamus tandem ſacrificulorum precibus & votis, quæ, teſtibus Donatô & Marcellô, *Omina* dicebantur; quamvis hæc Aſconius auſpicia, cauſſas, excuſationes explicet; in Verr. III. Cic. Solemnem in his vocem *Da* iterari percipimus. Vide Briſſ. lib. I. Form. Lucanus: *Date felices in cetera curſus*; lib. IX. Pharſ. v. 997. Perſ. ſat. II. v. 45.

- - - *Da fortunare penateis,*
Da pecus, & gregibus fœtum. - - -

Horatius, lib. I. epiſt. XVI. v. 58.

Quandocunque Deos vel porcô, vel bove placat:
Jane Pater! *clarè, clarè cùm dixit* Apollo;
Labra movet metuens audiri: Pulcra Laverna,
Da mihi fallere, da Juſtum Sanctumque videri.

In Sacris Eleuſiniis Cereris certa erant Symbola, ut

* *Vide infra c. XIV.*

ut commemorat Clemens Alexandrinus: τὸ σύνθημα Ἐλευσινίων μυστηρίων, ἐνήστευσα· ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης ἐργασάμενος ἀπεθένην εἰς κάλαθον, καὶ ἐκ καλάθου εἰς κίστην καλά γε τὰ θεάματα καὶ θεᾷ πρέποντα. Itemque Rhetor Africæ eloquentiſſimus mox verò presbyter pientiſſimus Arnobius, qui, ut ab Epiſcopis baptizaretur, ad conteſtandam ſinceram & infucatam fidem ſuam libros adverſus gentes multifariam antiquitatis genere repletiſſimos conſcribſit: *Eleuſiniorum veſtrorum*, inquit, *notas & origines produnt urbes, & antiquarum elogia litterarum, ipſa denique ſymbola, quæ rogati ſacrorum in acceptionibus reſpondetis: Jejunavi atque ebibi lyceonem; ex ciſta ſumſi & in calathum miſi: accepi rurſus, in ciſtulam tranſtuli*; lib. V. adverſ. Gent. Ideò & in myſteriis deos aliis invocabant nominibus, quæ recenſet Porphyrius: καὶ θεοὺς δὲ τούτους δημιουργοὺς οὕτω προσηγόρευσαν. Τὴν μὲν Ἄρτεμιν λύκαιναν, τὸν δὲ Ἥλιον σαῦρον, δράκοντα ἱέρακα, τὴν δὲ Ἑκάτην ἵππον, λέαιναν, κύνα &c. de abſt. lib. IV. §. 16.

Quidam Gentiles invocârunt in εὐκταίοις Deum formulâ in Chriſtianorum hymnis ac Eccleſiis antiquiſſimâ, uſitatiſſimâ: Κύριε ἐλέησον: Arrianus: τὸν θεὸν ἐπικαλούμενοι δεόμεθα αὐτοῦ. ΚΥΡΙΕ ΕΛΕΗΣΟΝ. lib. II. c. VII. in Epict. Vide Seldenum, addend. ad Eutych. p. 172. Philippum Caroli, antiqq. eccl. lib. I. c. V. Eamdem formulam in caſtris ante prælium cantari ſolitam, videre eſt ex Mauricl Strateg. lib. III. c. XIX. cujus verba vide apud Rigaltium, Gloſſar. voce Νοβίσκουμ. In ſacris Bacchi ſanctiſſimum nomen יה & יהוה, ſive hoc enunciârint Jave, ſive Jahave, ſive Jeheve, ſive Jehova; â profanis Ido-

lo ſuo adclamatum. Voſſius tamen unà cum aliis notam illam formulam fuiſſe ſentit: ἰὴ βάκχε! lib. II. c. XIV. de Idol. Neque verò operam luſuros nos putamus, ſi ſingulas quaſdam preces propiùs luſtremus.

Illæ, quibus victimam ad aras dedêre, προσόδιον dicebantur, teſte Athenæô, lib. VI. & tales ferè erant: *Ego ſervitor tuus hæc tibi obfero, & ſacrifico, auctorem ſanctitatis te confiteor, & ad ſanctificandum invoco hanc oblationem, ut infundas ſibi virtutem ſpiritus tui alti ac honorati, ut per eam obtineamus quod petimus. Ceterùm verò ſicut res iſta præſens oblatione meâ tua efficitur, ita, ut de cetero tibi vivat ac moriatur: Ita & ego tuus efficiar, qui per hanc oblationem & communionem: per hoc, quod ad obferendum & ſacrificandum tibi venio, de familia & cultoribus tuis me eſſe profiteor.* Prætereà etiam dicebatur. *Sicut iſtud animal in poteſtate mea eſt ad occidendum ſi voluero, vel ad ſalvandum: ita in poteſtate tua eſt ad auferendum per iram tuam, vel ad largiendum per benevolentiam, id quod optamus.* Porrò orabant: *Sicut moritur iſtud animal in manu mea; moriatur in me omne vitium, omnis immunditia.* Vel: *Sic moriatur & adhibiletur tale, vel tale malum, ſive incommodum.* Item: *Sicut effunditur ſangvis hujus animalis de corpore ſuo: ita effluat à me omne vitium, omnis immunditia.* In holocauſto. *Sicut hæc oblatio igne iſtô præſenti conſumitur, ita, quòd nihil remaneat ex ea: ita conſumatur in me omne malum, ſeu tale vel tale incommodum.* Hæc ex Henr. Corn. Agrippæ de O. P. lib. III. c. LX. In προηροσίοις, agrorumque purgationibus tales preces agitatas, Tibullus adnotavit, lib. II. El. I. v. 17. ſ.

Di pa-

Dî patrii! purgamus agros, purgamus agreſtes!
Vos mala de noſtris pellite limitibus:
Neu ſeges eludat meſſem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres tardior agna lupos.
Tunc nitidus plenis confiſus ruſticus agris
Ingeret ardenti grandia ligna foco:
Turbaque vernarum ſaturi bona ſigna coloni
Ludet, & è virgis exſtruet arte caſas.
Eventura precor! - - -

Similes in Solitaurilibus exſignat Cato: *Mars pater, te precor, quæſoque, uti ſies volens propitius mihi, domo, familiæque noſtræ; quojus rei ergo agrum, terram fundum meum Suovitaurilia circumagi juſſi, ut tu morbos viſos inviſosque, viduertatem, vaſtitudinemque, calamitates, intemperiasque prohibeſſis, defendas, averruncesque; utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire, beneque evenire ſinas; paſtores pecuaque ſalva ſervâſſis, duiſque bonam ſalutem valetudinemque mihi, domo, familiæque noſtræ. Harunce rerum ergo fundi, terræ, agrique mei luſtrandi, luſtrique faciendi ergo, ſicuti dixi, macte hiſce Suovitaurilibus lactendis immolandis eſto.* de R. R. c. CXLII. Item in Robigalibus. Ovidius, lib. IV. Faſt. v. 911.

Aſpera Rubigo parcas Cerealibus herbis,
Et tremat in ſummâ lene cacumen humô.
Tu ſata ſideribus cæli nutrita ſecundis
Creſcere, dum fiant falcibus apta, ſinas.
Vis tua non levis eſt, quâ tu frumenta notâſti;
Mœſtus in amiſſis illa colonus habet.
Nec venti tantùm Cereri nocuêre, nec imbres,
Nec ſic marmoreô pallet adeſta gelu:
Quantum, ſi culmos Titan incalfacit udos,

Tunc locus eſt iræ, Diva timenda, tuæ
Parce, precor, ſcabraſque manus à meſſibus aufer;
Neve noce cultis; poſſe nocere ſat eſt.
Nec teneras ſegetes, ſed durum amplectere ferrum:
Quodque poteſt alios perdere, perde prior.
Utilius gladios & tela nocentia carpes;
Nil opus eſt illis; otia mundus agat.
Sarcula nunc, duruſque bidens, & vomer aduncus
Ruris opus niteant: inquinet arma ſitus.
Conatuſque aliquis vaginâ ducere ferrum,
Adſtrictum longâ ſentiat eſſe morâ.
At tu ne viola Cererem: ſemperque colonus
Abſenti poſſit ſolvere vota tibi!

Et paullò ante in Palilibus, v. 747. ſ.

Conſule tu pariter pecori, pecoriſque magiſtris:
Effugiat ſtabulis noxa repulſa meis.
Sive ſacrô pavi, ſedive ſub arbore ſacrâ,
Pabulaque è buſtis inſcia carpſit ovis.
Si nemus intravi vetitum, noſtriſve fugatæ
Sunt oculis Nymfæ, ſemicaperque Deus:
Si mea falx ramô lucum ſpoliavit opacô,
Unde data eſt ægra fiſcina frondis ovi:
Da veniam culpæ: nec, dum degrandinat, obſit
Agreſti fano ſuppoſuiſſe Decus.
Ne noceat turbâſſe lacus: Ignoſcite Nymfæ,
Mota quod obſcuras ungula fecit aquas.
Tu dea pro nobis, fontes fontanaque placa
Numina; tu ſparſos per nemus omne Deos.
Nec Dryadas, nec nos videamus labra Dianæ,
Nec Faunum, mediô cùm premit arva die.
Pelle procul morbos: Valeant hómineſque gregeſque;
Et valeant vigiles provida turba canes,

Nive

Neve minus multas redigam, quàm mane fuerunt;
Neve gemam referens vellera rapta lupo.
Abſit iniqua fames herba, frondeſque ſuperſint;
Quæque lavent artus, quæque bibantur aquæ.
Ubera plena premam; referat mihi caſeus æra,
Dentque viam liquido vimina rara ſero.
Sitque ſalax aries, conceptaque ſemina conjux
Reddat, & in ſtabulis multa ſit agna meis.
Lanaque proveniat nullas læſura puellas,
Mollis, & ad teneras quamlibet apta manus.
Quæ precor eveniant! & nos faciamus ad annum
Paſtorum Dominæ grandia liba Pali.

Apud Eumdem Mercator Mercurio â conſvetis iſtis propolarum præſtigiis & negotiatorum improbis ſutelis lib. V. Faſt. v. 681. ſeſe luſtrans:

Ablue præteriti perjuria temporis, inquit,
Ablue præteritâ perfida verba fide.
Sive ego te feci teſtem, falſóve citavi
Non audituri numina vana Jovis.
Sive Deum prudens alium, divamve fefelli:
Abſtulerint celeres improba verba noti.
Et pereant veniente die perjuria nobis:
Nec curent ſuperi, ſi qua locutus ero.
Da modò lucra mihi, da factô gaudia lucrô,
Et Face ut emtori verba dediſſe juvet.

Apud Virgilium Hiarbas hoſtem perſequutus, ſitique adfectus, Jovem factô ſacrificiô implorat, lib. IV. Aen. v. 206.

Juppiter omnipotens! cui nunc Mauruſia pictis
Gens epulata toris, Lenæum libat honorem:
Adſpicis hæc? an te, genitor, cùm fulmina torques
Nequicquam horremus? cæcique in nubibus ignes

Terrificant animos, & inania murmura miſcent?
Femina, quæ noſtris errans in finibus, urbem
Exiguam pretio poſuit, cui littus arandum
Cuique loci leges dedimus, connubia noſtra
Reppulit, ac dominum Aeneam in regna recepit.
Et nunc ille Paris cum ſemiviro comitatu,
Mæoniâ mentum mitrâ crinemque madentem
Subnixus, raptô potitur. Nos munera templis
Quipe tuis ferimus, famemque fovemus inanem.

In federibus autem pangendis utraque pars certas faciebat preces, quale exemplum iterum habemus apud Maronem, lib. XII. Aen. v. 176. Ubi Aeneas primò ſtrictô ſic enſe precatur:

Eſto nunc Sol teſtis, & hæc mihi terra precanti,
Quam propter tantos potui perferre labores;
Et pater omnipotens, & tu Saturnia conjux,
Jam melior, jam diva precor, tuque inclute Mavors,
Cuncta tuo qui bella pater ſub numine torques.
Fonteſque fluviosque voco, quæque ætheris alti
Relligio, & quæ cæruleo ſunt numina ponto!
Ceſſerit Auſonio ſi fors victoria Turno.
Convenit Euandri victos diſcedere ad urbem:
Cedet Iulus agris, nec poſt arma ulla rebelles
Aeneadæ referent, ferrôve hæc regna laceſſent:
Sin noſtrum adnuerit nobis victoria Martem,
Ut potiùs reor, & potiùs Dî numine firment;
Non ego nec Teucris Italos parere jubebo,
Nec mihi regna peto: paribus ſe legibus ambæ
Invictæ gentes æterna in federa mittant.
Sacra Deoſque dabo: ſocer arma Latinus habeto,
Imperium ſolemne ſocer mihi mœnia Teucri,
Conſtituent, urbique dabit Lavinia nomen!

Quem

Quem ſequitur Latinus, v. 196. *ſuſpiciens cælum, tendenſque ad ſidera dextram:*

Hæc eadem Aenea, terram, mare, ſidera juro;
Latonaque genus duplex, Janumque bifrontem,
Vimque Deûm infernam, & Diri ſacraria Ditis:
Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine ſancit!
Tango aras, medioſque ignes, & ſidera teſtor:
Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet,
Quò res cumque cadent, nec me vis ulla volentem
Avertet; non ſi Tellurem effundant in undas
Diluvio miſcens, cælumve in Tartara ſolvat,
Ut ſceptrum hoc (dextrâ ſceptrum nam fortè gerebat)
Nunquàm fronde levi fundet virgulta, nec umbras.
Cùm ſemel in ſilvis imo de ſtirpe reciſum
Matre caret, poſuitque comas & brachia ferro,
Olim arbos; nunc artificis manus ære decorô
Incluſit, patribuſque dedit geſtare Latinis.

Plures precationum formulas coaggerârunt Stuck. f. 89. & ſeqq. Gyrald. ſynt. XVII. p. 486.

Cùm Harpocrati leguminibus facerent, exclamabant: *γλῶσσα τύχη, γλώσσα δαίμων.* Plutarch. de Iſid. ac Oſir. Cauſſam ejus rei invenies apud Macrob. Sat. lib. I. c. XIX. & Seldenum de D. S. lib. I. c. I. Apud Tacitum prudentiores in vicinia mortis invocabant Jovem. his verbis. *Libemus Jovi Liberatori!* lib. XV. ann. LXIV. 3. Proſerpina ita in ſacris invocata: *πολυθύσαινε ἄρτεμι, πολυθύσαινε κῦρα:* In magicis ſacris Spiritus certis precationibus procurari credebant, ut abundè elucet ex Deo Socratico Apuleji; veluti in Inferiis animas Deosve ad tumulum trahi; qualia faſcinatoria verba adſcribſit Aeſchylus in Perſ.

Βαλὴν

Βαλὴν ἀρχαῖος βαλὴν
Ἴθι ἵκου ἔλθ' ἐπ' ἄκρον κόρυμ--
βον ὄχθου κροκόβαπτον.

Paſcebantur intereà tàm diu lingvæ, donec eis frena cum Libatione laxarentur. Nova hic ſuſpiria, & integrata murmura; de quibus Arnobius: *Operæ pretium eſt, etiam verba ipſa depromere, quibus, cùm vinum datur, uti ac ſupplicare conſvetudo eſt. MACTUS HOC VINO INFERIO ESTO*; lib. VII. adverſ. Gent. Pertinent huc etiam vota publica, quinquennalia, decennalia, vicennalia, tricennalia, quadricennalia: Quod ex aliquot numis ulteriùs perſequitur Choul. p. 274. & ſeqq.

Contraria planè in Lindienſi ſacrificio conſvetudo, non quidem preces, ſed meras rixas, jurgia, & non niſi malè ominata verba eructantium. Prodeat, & accuratiùs eam nobis tradat Firmianus, ArnobI diſcipulus, Cæſaris Criſpi præceptor, primus à Cicerone in facundia, primùm Nicomediæ, mox Romæ, Eloquentiæ Profeſſor: *Apud Lindum*, inquit, *quod eſt oppidum Rhodi, Herculis ſacra ſunt, quorum à ceteris longe diverſus eſt ritus; ſiquidem non εὐφημίᾳ, ut Græci vocant, ſed maledictis & exſecratione celebrantur, eaque pro violatis habent, ſi quando inter ſolemnes ritus vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum, cujus rei hæc ratio redditur, ſi tamen ulla eſſe in rebus vaniſſimis poteſt. Hercules, cùm eò delatus eſſet, famemque pateretur, aratorem quemdam adſpexit operantem, ab eoque petere cœpit, ut ſibi unum bovem venderet: Enim verò ille negavit fieri poſſe, quia ſpes ſua omnis colendæ terræ duobus illis juvencis niteretur. Hercules ſolitâ violentiâ uſus, quia unum accipere non potuit,*

potuit, utrumque ſuſtulit. At ille infelix, cùm boves ſuos mactari videret, injuriam ſuam maledictis ultus eſt; quod homini eleganti & urbano gratiſſimum fuit. Nam dum comitibus ſuis epulas adparat, dumque alienos boves devorat, illum ſibi amariſſimè conviciantem, cum riſu & cachinnis audiebat. Sed poſtquàm Herculi divinos honores ob admirationem virtutis deferri placuit à civibus, ei ara poſita eſt, quam de facto βȣζυγον *i. e. bovis jugum nominârunt, ad quam duo juncti boves immolarentur, ſicut illi, quos abſtulerat aratori; eumque ipſum ſibi conſtituit ſacerdotem, ac præcepit, iiſdem maledictis ſemper in celebrandis ſacrificiis uteretur, quod negaret, ſe unquàm epulatum jucundiùs.* Hactenus flos Eccleſiæ lectiſſimus, qui blanditias ſerit & mel ſpirat, Lactantius lib. I. Inſt. div. c. XXI. Hinc παροιμιακῶς de rixoſo convivio, aut diſputatione, vel quavis re malis ominibus cœptâ proclamabatur *Lindi ſacrum*, vel *Rhodienſe ſacrificium*; Vide Eraſmum & P. Manutium in adagg. Rhodi enim civitas eſt Lindus, teſte Stephanô. lib. de Urbibus. Et neſcio annon quoque huc ſpectent duo nomiſmata aureum; & æreum; in quibus Hercules duos abigit boves: Licet Choulius, p. 198. longè aliter ea explicet.

Formula precandi ſolemnis Ebræorum in expiationis feſto, cùm duas victimæ manus impoſuiſſent, talis erat: אנא השם עויתי פשעתי חטאתי לפניך אני וביתי אנא כפר נא לעונו ולפשעים ולחטאים שעויתי ושפשעתי ושחטאתי לפניך אני וביתי ככתוב בתורת משה עבדך כי ביום הזה יכפר עליכם i. e. *Obſecro Domine, deliqui, rebellis fui, & peccavi coram te ego & domus mea: Obſecro Domine, remitte nunc & delicta, & rebelliones, & peccata,*

quæ

quæ deliqui, & in quibus rebellis fui, & quæ peccavi coram te ego & domus mea: Juxta quod ſcribtum eſt in lege Moſis ſervi tui; quoniam in die hac expiabit. Joma, c. III. §. 3. Adde c. IV. §. 2. c. VI. §. 2. Ubi alii reſpondebant: ברוך שם כבוד ועד לעלם מלכותו i. e. *Benedictum ſit nomen glorioſum regni ejus in ſecula.* Quotieſcumque enim nominis Domini mentio fiebat, oportebat Iſraëlitas illud magnificare & benedicere atque ſic reſpondere. Vide R. Salom. Jarchi ad Deut. XXXII. 3. & Gemaram Babylonicam ad l. c. Joma. Notanda etiam clauſula uſitata לעלם ועד, & evolvendi Cod. Beracoth. c. IX. Sheringham ad Joma, l. c. Poſſunt videri תפלה מכל השנה qui eſt liber precum annuarum; & alius liber precum סליחות dictus: item מחזור quô continentur preces, quibus in tribus anni feſtis ſolemnibus utuntur Judæi: Qui ſinguli è ſermone Ebræo in Germanicum idioma tranſlati extant.

CAPUT XIV.

Loca ſacrificalia. Jehovæ ubi ſacrificatum? Locus Captus *quomodo ita dictus? Sacrificatum in antris: In compitis: (Hecate unde* Trivia *dicta? Herculis aliquot cognomina) in ſilvis: Antejanuam. Apollo* Ἀγυιεὺς *&c.* Ἀγυιάτιδες θεράπαιναι. *Lari Picumno in foco ſacrificatum, & cur? Ejus epitheta?* Ἥρωες κατοικίδιοι: Πατρῷοι θεοὶ, κατοικίδιοι. Lararium: *Cuivis familiæ ne-*

neceſſarium: Ejus deſcribtio. Cubiculares Statuæ. *In montibus ſacrif.* במורת *quid? Mons Quirinalis unde* Clatratus *dictus? Aventinus unde dictus collis Dianæ? Murteus: Lauretum: Remurius? Qui per montem ſacrum in ff. intelligatur?* Mons ſacer *ubi?* Clivi ſacri. *Jovi præcipuè in montibus ſacrificatum pluribus exemplis oſtenditur. Jupiter ἐπάκριος. Capitolium ubi? Ejus deſcribtio.* Capitoll *nomen latius.* MonJu *Diſtinctio inter* templum, delubrum, fanum, bidental, locum, ſacellum, ſacrarium. Templorum *vocabulum etiam generale: Eorum etymon: De eorum auctoribus variæ ſententiæ. Templum unum pluribus Diis ſacrum. Dii ὁμοχέται, σύνναοι. Templorum veterum forma. Templi Jovis Ultoris laus: Dianæ templum cornutum. Templorum limina gradibus aliquot evecta. Eorum materia: Præmuniebantur porticibus & lucis. Qualesnam porticus Ebræis licitæ? Balneæ ad templa. Senatorum in quibusdam templis conventus: unde* Curiæ *dicta? Templorum quibus cura commiſſa?* Templum *in ſtricta ſignificatione quid? Ejus nomen Chriſtianis vett. inviſum.* Delubrum *quid? Servius & Feſtus ex Aſconio notantur.*

Fa-

Fanum *quid? Differt à templo: Ejus etyma: Quædam eliminata. Malè* PHanum *ſcribitur.* Bidental *quid?* Lucus *quid? Ejus etymon: Priſciani & Quinctiliani rationes reſcinduntur. Luci Diis conſecarti.* Conlucatio : *Ejus formula. Luci quomodo profanati?* Lucuci. Lucaria. Lucar: Lucaris pecunia. *Mortuorum animæ lucorum incolæ habitæ: Lares viales creditæ.* Locorum delubra, *proverb. Lucos in villis habere opus erat. Jupiter* ἔνδενδρος. *Germani multi in lucis.* Wallfahrt *quid, & unde? item* Hagen/ Hayn, *quid, & unde? item* Hamm. Hamburgi *etymon. Pagus* Hamme: *Nobiles ab Hamme.* Sacellum *quid? Ejus etymon. Gvidonis idem cum AgellI Trebatio labſus.* Kappel *ædicula ſacra unde dicatur? Item* Kappelan? *Etyma quædam proculcata. Capellæ noſtræ à ſacellis veterum differunt. Joh. Camers notatur. Sacrarium quid?* οἶκοι τρίστοι. Sacrarium *in navi quid?* Paſtophoria. Tholus *quid?* Σηκὸς, τέμενος *&c. Serpens locis ſacris adpictus, & cur? Veterum in locis ſacris puris ſervandis cura.* Rhodienſium oraculum, *proverb. Serpens terribile inſectum. Ægyptii reges cur in coronis ſerpentem oſtentarint. Serpentum viſus acutus: Habebantur theſauro-*

ſaurorum cuſtodes. Æſculapius cur ſerpentis figurâ cultus? Ejus navis eâdem notata. Serpens ſalutis ſymbolum. Serpens æneus, Num XXI. 8. Serpens Genio ſacratus. Genius per eumdem adparebat. Oſiris ſerpentina figura. Serpentes Calecutenſibus Dæmones. Ophitæ quinam, & eorum ritus. Serpentini. Serpens aureus in ſacris Sabadiis. Arnobi locus ad limam protrahitur: Etiam magno Voſſio aliquantulum reluctante. Elmenhorſti lectio valdè ſtraminea. Firmici locus ſanatur. Sabazius *unde? Aureus coluber in ſacris Sabaziis quid ſignârit? Leo templis adpictus. Ritus hodierni origo. Ægyptiis leonis pictura quid? Leo vigilantiæ nota. Templis canes vivi incluſi & cur? Canes domeſtici.* Cave canem? *Canis catenarius. Servus oſtiarius. Anſeres templorum cuſtodes.*

HAud extra viam aut oleas vagabimur, ſi quando orbitam, quæ ſacrificulos noſtros ad ſacra perduxit loca, duobus pedibus premamus. Forteas ſagaciùs nidorem victimarum, ubi ſurgat, odorabimur.

- - - - *Quàm canis acer, ubi lateat ſus.*

Jehovam Sanctiſſimum initiò Silo in tabernaculò coram arca colebant; poſteà in templo Salomonis, in

quo ſolo Ei adoratio ſacrificiis juncta placebat; nec etiam alibi licita erat. Caſaub. Exerc. XIII. num. 27. Sigonius de R. E. lib. II. c. II. Romanis in genere locus ſacrificiis deſtinatus Locus *Captus* dicebatur, eô fortè ſenſu, quô Flamen dialis, & virgg. Veſtales *Capi* dicebantur, de quo Agell. lib. I. c. XII. Facta autem primùm apud Ethnicos in antris ſacrificia, quæ ante templorum inventionem Dîs conſecrata erant, ſicut in Creta Jovi â Curetibus, in Arcadia Lunæ ac Pani Lyceo, Dionyſio apud Naxum, Mithræ ubicunque is coleretur. Cauſſam dabit Wouwerius de umbra, quem vide, c. IX. Et Holſtenius in vita Pyth. Poſteà â ruſticis in compitis exhibebantur. Britannicus àd illud PerſI: *Qui quandoque jugum pertuſa ad compita figit*, Sat. IV. v. 27. *Ruſtici*, inquit, *finitis ſationibus in compitis aratris ſuſpenſis ſacrificia celebrabant, magnâ animorum relaxatione*. Certè Hecate ſive Proſerpina, quòd in triviis & quadriviis coleretur, ut quidam ſentiunt, *trivia* cognominata fuit. Athen. lib. VII. Serv. in Ecl. III. Virg. Veluti Hercules, quòd in ſaxeto, SAXANUS & SAXETANUS; item HERCULES IN PETRA audivit. Vid. Boxhorn. Quæſt. I. Fauno obſerebantur in ſilvis. Poëta Venuſinus: *Nunc & in umbroſis Fauno decet immolare lucis*. lib. I. od. IV. v. 11. Apollo ἀλεξίκακος ante januam colebatur; unde ipſe ἀγυιεὺς, & ἀγυιάτης, necnon προστατήριος θυρεοῦ; & aræ ejus ἀγυιάδες θέραπναι dictæ. Vide Cœl. Rhod. L. A. lib. X. c. XVIII. Sic Germani Deo ſuo Suanto Wito ante oſtium templi ſemel quotannis poſt lectas fruges immolabant. Aedem enim Sacerdos tantùm intrabat ſpiritu oris compreſſô; quem quo-

quotiens renovare opus erat, ad oſtium decurrebat. Münſt. lib. III. Coſm. Larem Picumnum in foco venerabantur. Euclio apud Plautum: *Hæc imponentur in foco Noſtro Lari*: Aulul. II. III. 16. Quia nempe erat προστάτης & θεὸς κατοικίδιος, ut ait Priſcianus, veluti Lares familiares ἥρωες κατοικίδιοι, Penates πατρῷοι θεοὶ, κατοικίδιοι vocabantur. Hinc Lar Arnobio eſt *Genius focorum*, lib. IV. adverſ. Gent. Aliud verò erat *Lararium* i. e. Larium ſacrarium quod quævis familia non modò habebat, ſed quamvis habere neceſſe erat ex L. illa XII. Tabb. ET. LARIUM. SEDES. RITUS. FAMILIÆ. PATRIÆQUE. SERVANTO. tit. de Relig. c. de templis & lucis. Beroaldus locum, in quo ſimulacra imagineſque conlocatas adorabant, *Lararium* dictum opinatur. Dexterrimè! Lampridius enim Alexandrum Imp. Rom. in larario habuiſſe narrat majore Apollonium, Habramum, Orpheum: in ſecundo Virgili & Ciceronis imagines. In Vitelli laratio Narciſſi & Pallantis effigies conſpiciebantur. c. XXXI. extr. Tales ſtatuas Tranquillus *cubiculares* vocat in Aug. c. VII. vide Figrel. de ſtatuis inluſtr. Rom. c. X. extr.

Præcipuè tamen adridebant montium colliumque cacumina, Judæis במות i. e. *Excelſa* dicta, in quibus contra legem ſacrificârunt, patiente primùm Deô, poſteà etiam aliquoties prohibente. Confer Sigon. de R. E. lib. II. c. IV. Propheta minorum maximus: *Super capita montium ſacrificârunt, & ſuper colles accendebant thymiama, ſubtus quercum & terebinthum: quia bona erat umbra ejus*, c. IV. 13. Adde Jud. VI. 25. 2 Reg. XVII. 16. Ezech. VI. 13. B. Hieronymum ad c. VII. & XXXII. Jer. & in c. X.

 Matth.

Matth. R. Moſes Ben-Maimon. התחלו על דרך זו לעשות צורות בהיכלות ותחת האילנות ובראשי ההרים והגבעות ומתקבצין ומשתחוים להם : i. e. *Et adgreſſi ſunt homines facere ſimulacra in templis & ſub arboribus, in montium verticibus & collibus: Dein congregati adorabant ea.* lib. עב"ום c. I. §. 3. In Quirinali ſive Agonio monte Apollinis Clatrati, qui & monti in quadam parte Clatrati dedit nomen, templum extabat. Fabric. Rom. c. III. Aventinus itidem mons ſacer fuit, teſte Pliniô, quia ibi templum Dianæ, unde *Collis Dianæ* apud Martialem: lib. VII. Epig. LXXII. 1. & ſacellum Veneris Murteæ, unde (niſi eum â myrteto ita dictum malis) Murteus; nec non ſilva Lauri arboris ſacræ, unde Lauretum; aliàs & â Remo Remurius cognominatus eſt. Eum in lege illa: *Eisdem temporibus, cùm plebs â patribus ſeceſſiſſet, annô ferè ſeptimodecimô poſt reges exactos, Tribunos ſibi in Monte ſacro creavit.* l. 2. §. 20. ff. de O. J. intelligi, Accurſius & alii volunt: Sed jam dudum exploſit ſententiam hanc Coraſius comm. ad. d. l. n. 3. 4. qui montem illum juxta ripam Anienis, vel trans Anienem fluvium tribus paſſuum millibus ab urbe diſtantem, Sacrum dictum, quod Jovi olim eſſet ſacratus, indigitari ait. Sacri quoque montis mentionem facit lapis Cæſenæ: A. LVCRETII. HISTORICI. AC. POETAE. CONDITORIS. VERISSIMI. CUI. OB. EXCELLENTIAM. INGENII. STATUA. CONDONATA. AC. CIVITATI. CAESENAE. ROMAN. COLONIAE. DEDVCTAE. IN. HOC. SACRO. MONTE. DEDICATA. *Clivi* verò *Sacri* Romæ erant duo: Alter in Capitolium, alter in Palatinum

montem

montem ducebat. De hoc Martialis: *Inde ſacro veneranda petes palatia clivo*; lib. I. Epigr. LXX. 5. De illo Horat. lib. IV. od. II. v. 34.

- - - - Trahet feroceis.
Per ſacrum clivum meritâ decorus
Fronde Sicambros.

Sacri dicti ſunt, quòd ſacrificantes per eos adſcenderent. Vide Fabric. Rom. c. V.

Inter omnes autem Deos inprimis Jovi, utpote Deorum ſummo, in ſummis ſacrificia incendebantur montibus. Lucanus: *Et reſidens celsâ Latialis Juppiter Albâ*; lib. I. Pharſ. v. 198. Seneca, Herc. Oet. Actu III. ſc. II. v. 782.

Heic rupe celsâ, nulla quam nubes ferit,
Annoſa fulgent templa Cenæi Jovis.

Apollonius, lib. II. Argon.

Καὶ βωμὸν ποίησε μέγαν Διὸς ἐκμαίοιο,
ἱερὰ τ' εὖ ἔῤῥεξεν ἐν οὔρεσιν ἀστέρι κείνῳ
σειρίῳ αὐτῷ τε κρονίδῃ, Διὶ δ' ἔκηπι.

Herodotus: νομίζουσι, Διὶ μὲν ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες θυσίας ἔρδειν. lib. I. c. CXXXI. Scylax Caryandenſis: Κάρμηλος, ὄρος, ἱερὸν Διός. Solinus de Olympo ſublimi Theſſaliæ monte: *Ara eſt in cacumine Jovi dicata, cujus altaribus, ſi qua de extis inferuntur, ventoſis ſpiritibus, nec humentibus pluviis diluuntur: ſed volvente annô, cujuſmodi relicta fuerint, ejuſmodi reperiuntur.* c. XV. mem. circa fin. Hinc ipſum Jovem ἐπάκριον vocari, Heſychius; & quemvis montem *Jovis* dici, auctor eſt Melanthes, lib. de ſacrif. Facit huc quòd Jupiter in Capitolio cultus fuerit, ſito in monte Tarpejo, vel Saturnino, (in quo hodie crux maleficorum ſupplicio cernitur erecta, cùm olim ex-

tra Eſquilinam portam ſupplicia ſumerentur) teſte Livio. Vopiſcus in Aurel. *Capitolium invectus eſt, ut illic caderet cervos, quos cum eodem curru captos voviſſe Jovi Opt. Max. ferebatur.* c. XXXIII. Cicero: *In Capitolio, id eſt, terreſtri domicilio Jovis*, orat. in Verr. Martialis, lib. XII. epigr. LXXVII. 1. ſ.

Multis dum precibus Jovem ſalutat,
Stans ſummos reſupinus usque in ungues,
Aethon in Capitolio pepedit.

Fuêre ibi tria ſacella; medium Jovis, Junonis ſiniſtrum, dextrum Minervæ; ſub uno tamen omnia tecto. Vide de ejus Structura Plut. in Public. Dionyſ. lib. IV. Liv. lib. VI. c. IV. & virum rariſſimæ eruditionis, acerrimique judicii; cui ſeverioris litteraturæ ſtudioſi neſciunt, quanti debeant; certè plurimùm debere fateantur, Rycquium tr. de Capitolio. Martialis cœlo comparavit; & Dionyſius ambitum habuiſſe ſcribit octo jugerum; teſtanturque poſt incendium majori reſtitutum eſſe luxu. Hodie S. Salvatori in Maximis, in ea parte, quæ occaſum verſus forum holitorium reſpicit, eſt dicatum. Erat autem & aliud templum Jovis Capitolini, vel Jovis Opt. Max. itemque Jovis Latii, & Jovis Superi, quòd in altiſſima montis parte eſſet; præ aliis omnibus celebre ac honoratum: aliudque itidem in Capitolio Jovis Sponſoris: ac rurſus aliud Jovis Tonantis in aditu Capitolii, de quo inſcribtio Preneſtina:

TARPEJO. COLERIS. VICI-
NA. TONANTI.

Poſteà qualiacunque templa primoribus dedicata diis *Capi-*

Capitolia vocata eſſe pluribus oſtendit πε<ί>πυς@ Janus Gruterus lib. ſuſpp. Extitêre porrò templa Jovis Mariani in monte Eſquilino, Jovis Statoris in Palatino, Jovis Propugnatoris in Palatio, Jovis Conſervatoris juxta Velabrum, quod Palatino adjacebat; Jovis Latialis in monte Albano, Jovis Fagutalis in Viminali. Videatur Fabricius in Rom. c. IX. & X. Unde & tot nominum ſuorum â montibus cepit, v. g. *Viminei* â Viminali colle, *Atabyrii* ab Atabyri editiſſimo Rhodi inſulæ monte, *Apeſantis* vel *Apeſantii* ab Apeſunte; item *Athoi*, *Aeneſii*, *Aetnæi*, *Ancheſmii*, *Caſii*, *Cytheronii*, *Elacathæi*, *Hynnarii*, *Hymettii*, *Cenæi*, *Maleæi*, *Parnethii*, *Scyllii*, *Temarii vel Tmarii*, *Sinopitæ* &c. Et quid de templis Jovi ſacris, quorum loca ignorantur, dicam? v. g. Prædatoris Jovis, Invicti, Cuſtodis, Arbitratoris, Pluvii, Sereni, Tyranni &c. Hodie adhuc mons in Hiſpania, ex quo Barchinoni civitati olim deſignati dicuntur Maurorum nocturni incurſus *Mon Ju* adpellatur, quem veteres *montem Jovis* dixêre, Videatur Poëta incomparabilis Joh. Secundus itin. Hiſp. p. 317.

In Sacrarum ædium contemplatione ſciendum, Veteres ſagaciter diſtinxiſſe inter Templum, Delubrum, Fanum, Bidental, Lucum, Sacellum, Sacrarium. *Templa* quidem prout in generali ſignificatione ſumimus, quâ ſingula loca, ut ſcribit Aſconius, Diis attributa notat, Varro â templando deducit; eorumque auctorem Janum Macrobius refert, lib. I. Saturnal. c. IX. quem tamen confutare videtur Arnobius, *Templorum*, ait, *ſi quæris audire quis prior fuerit fabricator, aut Phoroneus Ægyptius,*

aut Merops tibi fuiſſe monſtrabitur, aut, ut tradit in admirandis Varro, Jovis progenies Aeacus. lib. VI. adverſ. Gent. Quidam Jovem ipſum templorum auctorem efferunt, & ideò primum locum inter deos habere: Lactantius Meliſſeum Cretenſium regem, Phœnices Uſonem quempiam, Servius ex Saluſtio Cretenſes, alii Dionyſium, alii Cecropem, qui & primus victimas immolârit (quod quidam Chaldæis, quidam Cypriis attribuunt) alii Thraces, alii Arcadas, Aegyptii Iſin, alii Phryges &c. Nonnulli templa è ſepulcris initia volunt ſumſiſſe, quod ex Euſebio, Lactantio, Clem. Alex. & Arnobio diducit Gyraldus, ſynt. XVII. p. 452. Coronis dea non habebat templum; ſed cùm ei ſacrificandum esſet, ſtatua illius in fanum Veneris deferebatur, teſte Pauſaniâ. Neque verò ſingula ſingulis Diis erant ſacra, ſed ſæpiſſimè duo pluresve commune aliquod habebant. Sic ſociati leguntur unô templô Iſis & Apis; Ceres, Bacchus & Phœbus; Jupiter Capitolinus, Juno, & Minèrva; Apollo Palatinus, Latona, & Diana; Hercules & Muſæ, Venus & Cupido, Romulus & Remus, Caſtor & Pollux, Aeſculapius & Salus, Aeſculapius & Apollo, Sol & Luna, Pietas & Concordia, Saturnus & Ops, Mars & Venus, Pan & Ceres, Romulus & Herſilia; Terminus & Juventa, Roma & Libertas, Venus & Roma, Ops & Fortuna &c. Apud Choulium, p. 8. extat nomiſma, in cujus altera pàrte eſt templum cum inſcribtione: KOINON & ICIOYNIAC. Tales Dii conjuncti ὁμοχέται καὶ σύνναοι adpellabantur. Lapis Rom. in domo civis privati.

All

ΔΙΙ ΗΛΙΩι
ΜΕΓΑΛΩι
CΑΡΑΠΙΔΙ
ΚΑΙ ΤΟΙC CΥΝΝΑ
ΟΙC ΘΕΟΙC.

Atque ut ſtructuram ſacrificiorum nidori ac fumo emittendo commodam perdoceamus, reperimus Jovis Ultoris templum (quô nullum etiam ex antiquiſſimis integrius, cùm nec injectis ignibus Gothi frangere potuerint) feneſtris planè deſtitutum, extante in medio, foramine Sphæricô, æneis inauratiſque trabibus fulto, quod, ut lumen præbebat, ita certè vaporationem illam thuris facilè emittere poterat; in pavimento verò ſubjectum erat ad imbres excipiendos impluvium. Similiter Romuli & Remi templi poſterior pars erat quadrata, prior ſphærica, cum rotunda & unica tantùm feneſtra, lumen in medio tecti præbente; & excipiente pluvias factâ in pavimento foſſulâ. Hoc erat in via ſacra prope turrim Comitum. Sed & aliud in Velabro ſub Palatino Romuli templum vetus, & Sphæricum, cum rotunda feneſtra, quæ in medio tecti lumen præbebat, & cum impluvio, ad excipiendos in ſolo imbres. Vide plura exempla apud Fabricium in Rom. c. IX. in fin. Templorum varias formas aliorum rotundas, aliorum quadratas depinxêre Choulius, Urſinus, Gutherius & alii. Dianæ templis adfigebantur cornua cervorum; Aventinæ autem boum: Cauſſas vide apud Plutarch. probl. V. Acceſſus ſive Introitus ad illa templa non ſemper planus, ſed aliquando ſublatus, & gradibus evectus, quorum aliquot ante Romuli & Remi templum habebantur. Virgilius

de Junonis templo : *Aenea cui gradibus ſurgebant limina.* lib. I. magni Operis. v. 452. Ad Jovis Ultoris ædem, quæ aliquando Cybeli ſacrata, duodecim olim æneis, nunc aliquot ſaxeis gradibus adſcenditur. Apud antiquiſſimos, ut ſcribit Tacitus, * rudi cæmentô & informibus tegulis exſtruebantur templa, quæ poſteà marmore nituerunt, & radiârunt ære atque aurô, non tantùm firmis & duraturis parietibus, ſed etiam expolitis arte atque ſplendentibus. Minervæ Chalciœcæ templum, â Domitiano conditum, totum æneum fuit, de quo Livius & alii. Hiſce talibus templis additæ erant porticus è ligno, lucis conſitæ, columnis ac ſtatuis diſtinctæ, picturiſque ornatæ, de quibus prolixè agit Fabricius in Rom. c. XIV. Quæ, ut Iſraëliticis erant vetitæ, ita iis concedebantur porticus & columnæ lapideæ. R. Maimon: אסור לעשות אכסדראות של עץ במקדש i. e. *Vetitum in templis porticum facere è ligno intercolumniis diſtinctam.* שנאמר כל עץ אלא כל האכסדראות והסבכוה היוצאות מן הכותלים שהיו במקדש של אבן היו לא של עץ : i. e. *Quia dicitur* Omne lignum. *Ideoque omnia atria cum intercolumniis, & perplexum opus ad ramorum formam ex parietibus procedens è lapide non è ligno erat*; lib. de Cultu Stellarum, c. VI. §. 13. Adjectas, etiam fuiſſe balneas & hortos, colligere eſt ex Ejuſd. c. VII. §. 23. 24. Jani templum pacis tempore ſemper erat clauſum, belli apertum;

* *Malim pro Tacito, ſubſtituere Auctorem, quem vulgò Quintilianum volunt, Dialogi : An ſui ſeculi Oratores Antiquis, & quare, concedant, c. XX. 7. Licèt non neſciam, Dialogum iſtum Cornelio Tacito à multis inſcriptum eſſe.*

tum; Hortæ verò delubrum ſemper erat apertum: Rationes ejus reddit Plut. quæſt. XLVI. & Boxhorn. quæſt. XXX. In aliquibus templis ſcil. Jovis, Concordiæ, Telluris, Apollinis, & aliorum, Senatores conveniebant: Unde Saluſtius Jovis Statoris, & Lampridius Concordiæ ædem *Curiam* adpellat, in Alex. Sever. c. VI. Confer Fabricium in Rom. c. XIII. Apud Romanos, ut idem, c. IX. docet, munus tuendi ſarta tecta templorum primùm Cenſoribus, poſt eos Aedilibus demandatum. In vetuſtatis monumentis & *Conſervatores ædium ſacrarum* & *Duumviri fanorum* leguntur. Plura videri poſſunt apud Vitruvium, lib. I. III. & IV. Hoſpinianum, tr. de templis. Riberam de templo, Joh. Cunr. Dietericum antiqq. Rom. Philipp. Caroli antiqq. Eccl. lib. I. c. VIII. IX.

In ſpecie verò TEMPLUM, quatenus â ceteris diſtingvitur, deſcribitur â Frontone, *quod conſiſtat in loco augurato.* Alciatus *omnia loca ſepta unum tantùm introitum habentia templa dici* adſeverat. l. malum navis. ff. de V. S. Antiquos omnem locum, qui ab omni parte adſpici potuerit, templum adpellâſſe, docet nos ſcholiaſta Terentii vetus & perdoctus, Calpurnius, ad Heaut. Apud Chriſtianos ædes ſacræ rariſſimè *templa* vocabantur, ideò quia hoc nomen Ethnicis ſacrum; ſed vel adpellabant Κυριακάς Kirchen / vel *domus* & *dominicas* Dom / vel *monaſteria* Münſter. Vide Hildebr. de ſacris &c. prim. Eccl. c. II.

DELUBRUM Varro, dicente Macrobiô, lib. III. Saturn. c. IV. eſſe putat locum, *in quo præter ædem etiam area, in qua Deum ponerent, adeſſet, ſic dictum,*

dictum, *ut candelabrum*, *cui imponitur candela*: Fronto, *in quo homines pericula ſua diluunt:* Servius & Feſtus *fuſtem decorticatum*, *quem pro Deo venerabantur*; quod tamen Aſconius Pedianus rejicit: *Sunt*, inquit, *qui dicant*, *delubra eſſe multarum ædium ſub uno tecto â diluvio pluviæ munitarum*; *Alii delubra corporum abluendorum mortuorum*; *ut Dodonæi Jovis*, *aut Apollinis Delphici*, *in quorum delubris lebetes tripodeſque viſuntur. Sunt etiam qui delubris ligna delibrata i. e. decorticata*, *pro ſimulacris deorum more veterum poſita exiſtiment*: *ſed malè*. comm. in Cic. de div. Vide ParrhasI comm. I. in Claud. de raptu Proſerp. Spiegelium in cap. LI. XII. Tabb. de templis & lucis. tit. de relig.

FANUM videtur Frontoni Fauno conſecratum; differt â templo: Svetonius: *In Gallia fana templaque Deorum expilavit.* in J. Cæſ. c. IV. Dignus, qui videatur, Sabellicus in h. l. Adde Voſſ. de Idol. lib. I. c. XII. Nomen habet vel â Fauno, tum, quòd huic conſecratum erat; tum, quòd hic, teſte Probô Grammaticô, primus eorum conditor fuerit: Vel â fando, quod Pont. Max. ut tradit Feſtus, in dedicatione horum certa verba fatus fuerit: Vel â Fanâ ſive Fatuellâ, ut placet Gyraldo. Alii, qui abſonè per PH ſcribunt, minus convenienter ἀπὸ φανερῶ, item â φαίνω deducunt, quibus miror ſaniorem Criticum, Voſſium, calculum addidiſſe.

BIDENTAL erat locus fulmine tactus, & ove expiatus; â bidentibus ſeu hoſtiis duos dentes altiores habentibus. Vide Agell. lib. XVI. c. VI. Fiebat bidental ex loco fulmine (ut dixi) tacto. Lucanus, lib. I. v. 606.

Diſper-

Diſperſos fulminis ignes
Colligit, & tacito terrâ cum murmure condit;
Datque locis nomen. - - - -

Adi Lilium Greg. ſynt. XVII. Colligebat enim Sacerdos fulminis fragmenta, terrâque condebat, quia fulminatum tangere piaculum erat. Conferatur Ant. Volſcus Pipernas in Sat. II. PersI.

LUCUS â Frontone definitur *locus fulmine ictus, & arborum ſpiſſitate tectus*, â lucendo; non, juxta Priſcianum, propter ramorum denſitatem, & Quinctilianum, quod opacus eſſet & ſine luce, κατ' ἀντίφρασιν: ſed propter ſacrificia ibi facta, ut ſcribunt Iſidorus, lib. XIV. c. VIII. Scaliger Poët. lib. III. c. XC. Joh. Oldendorp. in Ll. XII. Tabb. Conſecrati ferè erant Numini. Foquelinus in Sat. I. PersI. Celebris præ ceteris Daphnenſis lucus in Daphne, ſuburbio Antiochiæ, Apollini & Dianæ ſacer, cujus ambitus ſtadiorum 80. perhibetur. Vide Feſtum Rufum cum notis MeibomI. Conſecrationem illam, quam *Conlucationem* adpellitabant, hâc formulâ & hôc modô factam Cato aperit: *Lucum conlucare Romanô more ſic oportet. Porcô piaculô facito, ſic verba concipito: Si Deus, ſi Dea es, quorum illud ſacrum eſt, uti tibi jus ſiet porcô piaculô facere, illiuſce ſacri coërcendi ergo. Harunce rerum ergo, ſive ego, ſive quis juſſu meô fecerit, uti id rectum factum ſiet, ejus rei ergo te hôc porcô piaculô immolandô bonas preces precor, uti ſies volens propitius mihi, domo, familiaeque mea, liberiſque meis. Harunce rerum ergo macte hôc porcô piaculô immolandus eſto.* de R. R. c. CXXXIX. Profanum contra

reddere

reddere quis poterat lucum, קרסם ממנה עלה או וירד ממנה יונק נטל ממנה מקל או שרביט או ששפאה שלא לצרכה הרי זו בטלה : i. e. *decerpendo ex eo folium, aut præſcindendo ramum, conficiendoque inde ſcipionem, aut virgam, vel putando ſuperflua. Atque hæc verè eſt profanatio.* Verba ſunt Maimonidis lib. akom, c. VIII. §. 20. Dicebantur eorum Cuſtodes *Lucuci* teſte Cœliô, L. A. lib. XII. c. I. *Lucaria* erant feſta in luco certo celebrata. Feſtus. *Lucar* æs erat quod ex lucis captabatur: Licèt alii explicent erogationem in lucis; Plutarchus præmium in ſpectaculis impenſum, quem vide, Quæſt. LXXXVII. cum notis Xylandri. *Lucaris pecunia* fuit, quæ in luco erat data. Vide Gyrald. ſynt. XVII. p. 475. Præterea etiam manes defunctorum in talibus lucis habitare credebantur, qui *Lares viales* erant, ut ait Servius ad III. Aen. Idem ad illud VirgilI: *lucis habitamus opacis* lib. VI. Aen. v. 673. ſic commentatur: *In his autem lucis heroum animæ coluntur. Inde proverbialiter*: Lucorum delubra, *de rebus, quas religioſè colebant, & anxiè obſervabant, enunciârunt*, ait Hadr. Junius, cent. II. adag. XXXI. Extremæ enim impietatis arguebatur, qui non lucum conſecratum in villa habuiſſet, quod probat amabilis Muſarum filius Joh. Wouwerius de umbra, c. IX. Referendum huc Jovis (aliis, Bacchi) epitheton ἐνδένδρυ. Vide quæ de Aſtarta habeat Seldenus de D. S. ſynt. II. c. II. De Lucis plura Bened. Curtius de Hortis, lib. III. c. XIV. & lib. IV. totô. Germaniæ litteratæ oculus Dilherrus, meus, pol! Patronus, Tom. I. diſp. VIII. cl. 1. n. 5. Schedius de D. G. lib. II. c. XXIII. Lucos imprimis amabant Germani, quos crebris ſacrificiis ſubinde relucentes

red-

reddidêre, teſtibus Tacitô, de M. G. c. IX. 3. lib. I. Ann. c. LIX. 4. necnon lib. IV. Hiſt. Lucanô lib. I. Pharſ. aliisque plurimis. Ex eo nobis remanſit vox **eine Wallfahrt**, quaſi **eine Waldfahrt**, cùm nempe deos colendi, victimasque; immolandi cauſſâ in lucos pergerent. Ipſos lucos vocitabant **Hagen**, & poſteà contractè **Hayn**, â quo hodienum oppida ac pagi infiniti nomina ſua claudunt. Eam vocem Stuckius non ineptè ab ἄγιΘ· deducere conatur. Cum ejus & ſono & ſignificatione conveniebat etiam dictio **Hamm** i. e. lucus, quæ munitiſſimæ, omniumque, quas Germania mater fovet, opulentiſſimæ civitati Hamburgenſi nomen dedit: Ad lucum quippe circa Elyſtrum & Billam, ante paucos annos graviſſimo Senatui Hamburgenſi emtum, Saxones, jam ante Caroli M. tempora, ædificatam arcem **Hamburg**, vocârunt. Exciſô etiam lucô pagus **Hamme** extructus eſt, cui nobilis familia **derer von Hamme** præfuit, quorum ultimus pagum nobiliſſimo ſenatui florentiſſimæque urbi Hamburgenſi vendidit. Vide omninò Schedium de D. G. lib. IV. c. III. Lambec. Orig. Hamburg. p. 12. & 13.

SACELLUM Corn. Frontoni eſt parvulum ædificium Diis conſecratum, Gvido definit, quòd ſit *parvum templum*, *dictum quaſi Sacra Cella.* in Adelph. Ter. Deceptus ſanè â Trebatio, cujus verba ex 2. de religg. citat Agellius: *Sacellum eſt locus parvus Deo ſacratus cum ara. Sacellum ex duobus verbis compoſitum arbitror, Sacri & Cellæ, quaſi Sacra cella.* Hæc ille. Ineptiæ! *Quis ignorat*, ait Agellius, *ſacellum & ſimplex verbum eſſe, & non ex ſacro & cella compoſitum, ſed ex Sacro deminutum?* lib. VI. c. XII.

c. XII. Feſtus: *Sacella dicuntur loca, diis conſecrata, ſine tecto*; lib. XVI. atque hôc modô â noſtris ædiculis, quas cappelas vocant (ita dictas â cucullo Kappe S. Martini, quem Germani, Clodovæi tempore primùm Chriſtiani, ob inſignia miracula acceptum, & S. Märtens Kappel nominatum, in ædicula venerabantur, quam das Kappel vocabant; unde hæc adpellatio poſteà in omnes hujusmodi ædiculas dimanavit, ut & præſides earum Kappeläne dicerentur, ceu egregiè nos antiquiſſimus B. Rhenani Codex docet. Ex quo adparet, quàm ineptiſſimè, & ut ſæpiùs ſolet, quando etymon adducit, Gloſſa in cap. concedimus de conſecr. diſt. 1. *Cappelam* â *Caprarum pellibus* derivet, quibus tuguria olim Deo ſacrata fuerint tecta. Alii mirandas faciunt ſibi plicas, & ideò â *Cappa* derivant, quòd eſſet tentoriolum, ſub quo precibus vacaretur, quaſi cappâ contectum: Quô vix poterit quicquam magis ridiculum adferri. De Cappelis, vel ut aliàs perperàm ſcribitur, Capellis, vide Paulum Lancelottum, Inſt. Juris Canonici, lib. II. tit. 22.) longè diſcrepabunt, fruſtraque erit Joh. Camers comm. in Cebetis tab. qui ſacella veterum eadem cum Cappelis noſtris eſſe, non incongruè adfirmari, incongruè adfirmat.

SACRARIUM eſt, ubi ſacræ res ponuntur, quod etiam in ædificio privato eſſe poteſt: differt â ſacro loco quod hic conſecratus ſit. Ulpianus l. 9. §. 2. ff. de R. D. Talem uſum habebant *οἶκοι* illi *τρί-στεγοι περὶ τὸ πλευρὸν τοῦ κάτω ναοῦ*, de quibus Caſaub. exerc. I. n. 22. Aliud in navi deprehendimus ſacrarium, quod velut domi Lararium erat, in quibus Dîs marinis rem divinam obibant. Vide Turnebum,

lib.

lib. XIX. adverſ. c. II. Apud vett. Chriſtianos loca, quibus Euchariſtia, veſtes & vaſa ſacra recondebantur, *Paſtophoria* dicta. Joh. Carolus Bovius ſchol. in libb. Clem.

Poteſt huc referri THOLUS, camerâ, teſte Luctatiô StatI ſcholiaſte, in mediâ templi, in quo voventium primitiæ aut exuviæ figebantur. Statius, lib. II. Theb. v. 733. *Figamque ſuperbis Arma tholis.* Vide Turneb. lib. XXI. c. XXIII. Erant autem tholi rotundi, tecta habentes in acutum deſinentia faſtigium. Heſychius. Item ΣΗΚΟΣ & ΤΕΜΕΝΟϛ, loca, in quibus ſimulacra recondita. Videatur Pollux in onom. Hier. Wolffius in tab. Ceb. Pertinent etiam huc FAVISSAE. TESQVA, PENU, PENETRALIA, CELLA, de quibus Stuck. f. 57. Legantur de hiſce omnibus ulteriùs Fronto de diff. voc. Aus. Popma de diff. verb. lib. II. Stuck. f. 56. 57. Gyrald. ſynt. XVII.

In ædibus illis, & quocunque loco ſacro, Serpentis figura vel in januis & parietibus ficta, vel in tabula depicta adpendebatur; quò tendere exiſtimant illa Velleji Pat. *Hujus grata religionis memoriam, & inſcribtio templi adfixa poſti hodieque, & tabula teſtatur area intr aadem*, II. XXV. 4. Inſpice Gruteri notas in h. l. Juſtinus: παρὰ παντὶ τῶν νομιζομένων παρ' ὑμῖν θεῶν ὄφις σύμβολον μέγα καὶ μυστήριον ἀναγράφεται. Apol. pro Chriſt. II. Orus Apollo refert apud Ægyptios quoque οὐβαῖον, ὅ ἐστιν ἑλληνιστὶ, βασιλίσκον χρυσοῦν περιτιθέασι τοῖς θεοῖς. Expliciè Perſius, Sat. I. v. 112.

Hic veto quiſqvam faxit oletum
Pinge duos angves: pueri, Sacer eſt, locus: Extra Mejite!

Veteres ſiquidem manibus pedibuſque cavebant, ne

T templa

templa ſua excrementis fœdarentur aut alvi exonerat-tione profanarentur. Hinc Rhodienſes, referente Diogenianô, peractô ſacrificiô, dies aliquot, more conſvetô ad aram deæ epulantes, Oraculum: *liceretne inferre matulam?* & poſtquàm adnuiſſet: *Utrum aream an teſtaceam?* conſulebant. Mox *Rhodienſium Oraculum* in proverbii vicem exiit, ubi quis de re minutâ nimium crebrò, nimiumque diligenter ſciſcitaretur. Evolve Eraſmi & P. ManutI adagg.

Excogitata erat pictura iſthæc I. ad terrorem, ne ſcil. quiſquam prophanus accederet, cùm ſerpens tale ſit inſectum, quod nemo non fugiat: quò reſpicit illud VirgilI: *Frigidus, O pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.* Ecl. III. v. 93. Ita reges Aegyptii coronis ſuis pictam gerebant aſpidem, ſymbolum regni invictarum virium, ut venenum *ἀνίκητον*, Aelianus de animalibus, lib. VI. c. XXXVIII. vel ut ſubditorum ſuorum erga ſe amorem indicarent, qualis eſt aſpidis cum conjuge concordia, quæ ratio Voſſio placet de Idol. lib. IV. c. LIV. imò potiùs ut auguſtiores viderentur & ſacri. II. Quoniam ſerpentes valerent viſu, proinde theſaurorum cuſtodes habebantur. Aelianus, lib. VIII. c. XII. hiſt. animal. De Draconum, qui ſerpentis genus, viſu, Porphyrius: *τὶς μὲν γὰρ ἀνθρώπων τοσοῦτον βλέπει, ὅσον ὁ δράκων; ὅθεν καὶ τὸ βλέπειν δρακεῖν λέγουσιν οἱ ποιηταί.* lib. III. de abſt. §. 8. Adde Nicandrum in Theriac. & Euſtathium ad Il. β. Unde & Dracones *παρὰ τὸ δέρκειν* plerique deducunt. Inde Aeſculapius ſerpentis figurâ colebatur, qui & ei ſacer erat, teſte Arnobiô, lib. VII. adverſ. Gent. Et prope templum ejus (in quo valetudinis recuperandæ cauſſâ cubabant

ægroti)

ægroti) in inſula Tiberina, navis erat prælonga, ex Thaſio lapide, cujus inſigne erat caput tauri, â latere ſimulacrum ſerpentis, ut refert Fabr. in Rom. c. IX. quia nempe medicum angvium more oporteat eſſe circumſpectum. Addunt alii, quoniam in hieroglyhicis ſerpentis pictura pro bona fortuna ac ſalute ſumatur, ubi recordemur ſerpentis æneæ ſalutiferæ â Moſe erectæ, Veræ Salutis, quæ eſt Chriſtus, typi: de qua vid. Num. XXI. v. 8. 9. Alii dicunt, ad AeſculapI, Glaucum ut ſanaret coacti, & id in loco ſecreto meditantis, bacillum, quem manu tenebat, angvem adrepſiſſe; quem ubi ille commotus bacillô percuſſum interfeciſſet, alium angvem veniſſe, herbamqve, quam ore gerebat, capiti AeſculapI impoſuiſſe, & fugiſſe: quâ ille Glaucum ſanârit. Alii perhibent, Pariam ſerpentem igneô eſſe colore & acerrimô oculorum viſu, oreque laxô, unde mordendo nihil noceat; animô etiam mitiſſimô: ideoque deorum humaniſſimo Aeſculapio conſecratum. Vide Gyrald. ſynt. VII. Inde ei torquem ex Draconibus oblatum legimus in inſcribt. ad urbem Regienſem in provincia quæ olim Reienſis Apollinaris: DEO. AESCULAPIO. VAL. SYMPHORUS. ET. PROTIS. SIGNUM. SOMNI. AEREUM. TORQUEM. AUREUM. EX. DRACUMCULIS. Δ. P. S7. :: - ENCHIRIDIUM. ARGENT. P,ʻ,ʻ-S. ANABOLIUM. OB. INSIGNEM. CIRCA. SE. NUMINIS. EJUS. EFFECTUM. V. S. L. III. Fiebat ad Genii oſtendendam præſentiam, ſive, quòd illi angves eſſent ſacrati, conjiciente Barth. Fontiô ad Sat. I. PerſI; ſive, quòd ipſe per angvem, ex veterum

ſuperſtitione, adparuerit. Virgilius de angve ex Anchiſæ tumulo proſerpente, lib. V. Aen. v. 95.

Incertus, geniumne loci, famulumne Parentis
Eſſe putet?

Vide ServI ſcholia. Similiter Oſiris per ſerpentem exprimebatur; & hodie adhuc Calecutenſibus ſerpentes ſacroſanctos eſſe, ceu dæmonum ſpiritus, teſtatur Ludovicus Vartomannus. Fuêre & hæretici quidam, *Ophitæ* dicti, qui Chriſtum ſub ſerpentis ſpecie colebant, & ſimul vivum habebant ſerpentem, quem venerabantur ac alebant: Et alii multò ante *Serpentini*, qui ſerpentem æneum adorabant, quem Hiskias deſtruxit. Vide 2 Reg. XVIII. 4. Auguſtinum, Hær. XVII. Epiph. Hær. XXVII.

Ecquid autem ſignâſſe dicamus aureum illum colubrum, de quo Arnobius: *In ſacris & ritibus initiationis, quibus Sebadiis nomen eſt, aureus coluber in ſinum dimittitur conſecratis, & eximitur rurſus ab inferioribus partibus, atque imis.* lib. V. adverſ. Gent. Malim hîc legere *Sebathiis*, aut *Sebaſiis*, vel *Sebaſtis*, ſive *Sabaziis.* Tot enim modis Jovis hoc cognomen apud Ariſtophanem, Oppianum, Ciceronem, Apulejum, Suidam & alios legitur, Adſtipulantur inſuper Inſcribtiones antiquæ: JOVI. SEBASIO. Q. NUNNIUS. ALEXANDER. V. S. L. M. Et alia: Q. NUNNIUS. ALEXANDER. DONUM. DEDIT. JOVI. SABAZIO. Quamvis Voſſius priſcis Apuleji membranis fretus veterem lectionem in illo ArnobI loco (ubi & pro *Sebadiis* citat *Sebadius*) mutari vetet. Hujus commentator percelebris Elmenhorſt parum feliciter legit *Sebariis* quod probare ex Firmico nititur: *Sebarium colentes Jovem, angvem,*

cùm

cùm initiantur, per ſinum ducunt; de err. prof. Sed quis non ex ſuperioribus etiam hujus loci vitium manibus palparet ? Nomen hoc σαβαζιὸς nequiſſimus ille Mimus denuò ſibi tribuere cultores juſſit, audaciſſimè illud harpagans â proprio Dei nomine צבאות quod exſtat Amos III. 13. 2 Sam. V. 10. Pſal. XXIV. 10. & LIX. 6 Rom. IX. 29. Jacob V. 4. & eſt â צבא, ſignificatque Dominum exercituum : alii ἀπὸ σαβῶν deducunt gente Phrygiæ : Beroaldus ἀπὸ τοῦ σαβάζειν id eſt Bacchari, quoniam *Sabazius* aliquando notet Bacchum. In ritu autem illo initiationis per σαβάζιον intelligebatur Sol & Liber : Serpens ſymbolum erat Dei : Immiſſio in ſinum eductioque â partibus inferioribus indicat rerum omnium generationem ac productionem, quæ Soli debetur. De Sabazio vide quoque Gyraldum, ſynt. VIII. p. 266. & ſeqq. Gruterum inſcribt. f. 22.

Cœlius in librorum veterum ſcrutatione & antiquitatibus coacervandis laborioſiſſimus, eâdem ratione templorum clauſtris Leonem olim adpictum adſerit. L. A. lib. XIII. c. VIII. extr. Et quotuſquiſque hactenus non templorum noſtrorum antipagmenta capitibus leoninis fortuitò ac ornamenti gratiâ effícta fuiſſe autumavit, neſciens â majorum id more ad nos pertigiſſe ? Jam tamen id ante me reperîſſe video Virum verè πολυμαθέστατον Voſſium de Idol. lib. II. c. LXXV. Eumdem morem Plutarchus refert viguiſſe, ex alia quidem cauſſa, apud Ægyptios, quorum Nilus creſcere cœpit circa XV. Calendas Quinctiles; id beneficiô Leonis cæleſtis fieri credebant : itaque & tubos fontium formabant leoninô capite., ê cujus rictu aqua promanaret. Verba Plu-

tarchi ſunt: λέοντα τιμῶσι, καὶ χάσμασι λεοντείοις τὰ τῶν ἱερῶν θυρώματα κοσμοῦσιν, ὅτι πλημμυρεῖ Νεῖλος ἠελίου τὰ πρῶτα συνερχομένοιο λέοντι; lib. de Iſid. ac Oſirid. Ceteroquin Leo vigilantiæ & cuſtodiæ, ut ſerpens, ſymbolum fuit, qvod demonſtrat Pierius Valer. in Hierogl.

Qvid? qvòd vivi templis includebantur canes, ne qvis qvid noctu auferret. Arnobius: *Cur canes in Capitoliis paſcitis?* Et paulò pòſt: *Indigna res eſt &c. cuſtodiam numinum canum ſollicitudinibus credere*; lib. VI. adverſ. Gent. Meminit Gruterus aræ Romanæ marmoreæ apud Maſejos, in qva canis cernatur jacens, ſed caudam & caput erigens. fol. 981. inſcr. 3. In Vulcani Ætnæi templo, in quo inextingvibilis fuit ignis, canes, ad templi & luci cuſtodiam adſtantes, caſtè & religioſè adeuntibus blandè adſociati, eos comitabantur: In ſceleſtos verò & contaminatos, templum vel lucum ingreſſuros, inruebant, eoſqve lacerabant. Confer Gyraldum, ſynt. XIII. Vide Philoſtratum, lib. VIII. de Apoll. Auguſt. de Civ. DEI, lib. II. c. XXII. Cic. pro Roſcio. Plin. lib. XXVIII. Agellium, lib. VII. c. I. Ita in locis quoque non ſacris præcipuè domibus canem cernere erat, cum inſcriptione CAVE. CANEM, ubi & verus canis catenarius adligatus erat, qvem qvidam pro ſervo oſtiario intelligunt. Vide his Senec. de ira, lib. III. c. XXXVII. & ibid Lipſium ac Gruterum, Plaut. Moſt. III. II. 167. & ad eum Taubmannum. Svet. Vit. c. XVI. cum notis Torrenti ac Caſauboni, Popmam ad Varr. Joh. â Wouweren ad Petron. Gruterum ſuſpp. lib. XXV. c. XV. Douſam præcid. pro Tibullo, c. II. Turneb.

lib.

lib. XVI. c. IV. Pet. Fabrum, ſem. lib. II. c. XII. Brodæum, miſc. lib. IV. c. III. Voſſ. Inſt orat. lib. IV. c. V. Sect. III.

Includebantur & interdum templis ob eamdem cauſſam Anſeres. Arnobius: *Cur anſeribus victum alimoniamqve præbetis?* Et paullò pòſt: *Indigna res eſt, cùm aliquam qværas prohibendis formidinem furibus, non ab ipſis petere, ſed in anſerum ponere & conlocare gingritibus*; lib. VI. advers. Gent. Eorum curam Cenſores habuerunt; qui magiſtratum occepêre, nihil prius habebant locatione alimentorum pro ſacris anſeribus. Cujus rationem reddit Plutarchus, probl. XCVII.

CAPUT XV.

Loca ſacrificiorum ſpecialiora: Differentiæ eorum in ſuperûm, inferûm, & terreſtrium ſacris: Item inter βωμὸν, ἑςίαν. ἐσχάϱαν & μέγαϱον: Exemplis inluſtrantur. Aræ etiam inferûm erant: Differunt ab altaribus; & qvomodo? StuckI palpatio. Varia lectio in Virgilio enucleatè tradita. SulpitI præcipitantiæ ſuccurritur. Superis elatiores aræ ſtructæ. Saturni ara, mare: Mortuorum, rogus. Patrenſium conſvetudo. Ararum varia nomina. Differentia inter מזבח *&* בימוס. Βωμȣ̃ *derivatio: Etymon qvoddam exagitatum.* Βωμὸς *qvid propriè?* Aræ *etymologia; necnon* Altaris.

Stuckius obiter notatur. LactantI nævus. Foci *origo: Atque* ἐςίας. Μέγαρον *quid & unde?* ἐσχάρας *homonymia & etymologia;* Aſche *unde? StuckI in derivationibus ineptiæ. Ararum auctor: Forma: Altitudo: Cornua. Aræ quomodo olim* Anſæ *nuncupatæ.* קרני *Foramina altarium apud Ebræos, & eorum uſus. Ararum baſes. Ara una multis diis ſacra. Inſcribtiones ararum Arabum ara tecto impoſita. Ararum numerus: Sæpe centenarius. Dedicatio aræ: Ejus formula. Ararum profanatio: Materia varia. Templum Salomonis quomodo ſine ſonitu & exauditione ferrei inſtrumenti ædificatum?* Samir. *Apollo unde* Σπόδιος *vocatus? Ceſpes ad aras adhibitus, & quando? Aræ coronatæ. Virgilio macula abſtergitur. Aræ vittatæ: Quales in inferiis vittæ; Aræ picturis decoratæ. Aræ commotio quid ſibi voluerit? Ara cæleſte ſignum: Ejus ſynonyma: Partes: Quales ſub eo naſcantur infantes?*

In loco Capto, ſi ſuperis immolaretur, aræ * exſtructæ conſpiciebantur; ſi terreſtribus, terra plana;

* *De Aris & Menſis Euchariſticis veterum ſcripſit elegantem Diſſertationem vir omnis vetuſtatis cognitione inſtructiſſimus Dn. D. Bebelius, ut Dorſchei diſcipulum & Dannhaweri poſſis agnoſcere; edita eſt Argentorati, M.DC.LXVI in 4to.*

na; ſi inferis, effoſſa terra. Quam differentiam unà cum alia inter *βωμὸν, ἑστίαν, Ἐσχάραν καὶ μέγαρον*, tradit Euſtathii & aliorum compilator Ammonius: *βωμὸς, Ἑστία, Ἐσχάρα καὶ μέγαρον διαφέρουσι, καθά καὶ Αμμώνιος ὁ λαμπτρεὺς ἐν πρώτῳ περὶ θυσιῶν. φησὶ γάρ. Βωμοὶ μὲν γάρ, οἱ τὰς προβάσεις ἔχοντες. Ἐσχάρα δὲ πρὸς τὴν βιωτικὴν γινομένη, ἐπὶ τῆς τὰ δε πολυεστίας, Τὸ δὲ Μέγαρον, ἡ περιῳκοδομημένη ἑστία, ἔνθα τὰ μυστικὰ τῆς Δήμητρος. παρὰ δ' Ὁμήρῳ ἡ Ἐσχάρα, ἡ αὐτὴ καὶ ἑστία καλεῖται, ὁ δὲ Βωμὸς καὶ τὴν βάσιν σημαίνει,*

Χρύσειοι δ' ἄρα κοῦροι ἐϋδμήτων ἐπὶ βωμῶν

ἀντὶ τοῦ ἐπὶ βάσεων. Καὶ ἡ ἑστία σημαίνει τὸν οἶκον,

ἑστίη τ' Ὀδυσῆος ἀμύμονος

καὶ ἀνέστιος, ὁ ἄοικος παρ' Ἡσιόδῳ; καὶ ἡ σωματοειδὴς θεὸς ἑστία ἐστίν.

Ἰὼ καὶ Δήμητραν καὶ ἥραν χρυσοπέδιλον

Ἰδίως δὲ Νεάνθης ὁ Κυζικηνὸς ἐν τρίτῳ τῶν κατὰ πόλιν, βωμοὺς θεῶν φησιν, ἐσχάρας δ' ἡρώων. Παρὰ δὲ Εὐριπίδη ἐσχάρα ἀντὶ τοῦ βωμοῦ κεῖται ἐν Πλεισθένει.

Μῆλος φάγεται δαιμόνων ἐπ' ἐσχάρας.

καὶ Σοφοκλῆς ἐν χρύσῃ; lib. de ſimilibus & diff. voc. Porphyrius: *Μετὰ δὲ τοῦτον τὸν ζωροάστρην κρατήσαντος καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις δι' ἄντρων καὶ σπηλαίων εἴτ' οὖν αὐτοφυῶν, εἴτε χειροποιήτων τὰς τελετὰς ἀποδιδόναι. Ὡς γὰρ τοῖς μὲν ὀλυμπίοις θεοῖς ναούς τε, καὶ ἕδη, καὶ βωμοὺς ἱδρύσαντο. χθονίοις δὲ καὶ ἥρωσιν ἐσχάρας. Ὑποχθονίοις δὲ βόθρους καὶ μέγαρα. Οὕτω καὶ τῷ κόσμῳ ἄντρα τε καὶ σπήλαια, ὡσαύτως δὲ καὶ ταῖς Νύμφαις, διὰ τὰ ἐν ἄντροις καταλειβόμενα ἢ ἀναδιδόμενα ὕδατα, ὧν αἱ Ναΐδες ὡς μετ' ὀλίγον ἐπέξιμεν, προεστήκασι Νύμφαι*; lib. de antro

 Nymf.

Nymf. Ab eo alienior paullò eſt Lutatius, quem alii Lactantium vocant: *Tria*: inquit *ſunt in ſacrificiis loca, per quæ piaculationem facimus. Scrobiculô factô inferis; aris terreſtribus ſacrificamus, cæleſtibus extructis focis.* Superorum, me hercle tot exſtant aræ, ut ἐκ τῆς ψάμμου σχοινίον πλέκειν, qvi eas colligere vellet, videretur. In *terra* Palidi Palilibus fœnum incendebant ruſtici, ut docet PersI ſcholiaſta. Ita Ἀποβώμια ſacra erant Græcorum, non in altari, ſed in plano ſolo aut pavimento peragi ſolita. Ara Conſi dei ſub terra fuit, qvòd conſilia oporteret eſſe ſecreta. Vide Boxhorn. Qvæſt. XXXIX. Ceterùm de *terra effoſſa* in inferorum ſupplicationibus Apollonius, lib. III.

> Ποιχοῖον δ' ἄρ ἔπειτα πέδῳ ἔνι βοθρὸν ὀρύξας
> Νήησε σχίζας ἐπὶ δ' ἀρνειοῦ τάμε λαιμόν.

Silius Italicus, lib. XIII. Pun. v. 427.

> *Inducit juvenem, ferrôque cavare refoſſam*
> *Ocyus urget humum.* - - -

Seneca, Oed. Actu III. ſc. I. v. 550.

> *Tunc foſſa tellus, & ſuper rapti rogis*
> *Jaciuntur ignes.* - - -

Ovidius, lib. VII. Metam. v. 240. ſ.

> *ſtatuitque aras è ceſpite binas,*
> *Dexteriore Hecates, at lævâ parte Juventæ.*
> *Qvas ubi verbenis ſilvâque incinxit agreſti;*
> *Haut procul egeſtâ ſcrobibus tellure duabus*
> *Sacra facit: cultroſque in guttura velleris atri*
> *Conjicit, & patulas perfundit ſangvine foſſas.*

Habebant enim etiam Inferi cum ſcrobibus aras. Seneca in Med. Actu. II. ſc. II. v. 577

Vo-

Vocetur Hecate! ſacra luctifica adpara:
Struantur aræ; flamma jam tectis ſonet.

Quatenus ſcil. illæ non eædem erant cum Altaribus, â quibus in hoc, teſte Serviô, differebant, quòd Ara eſſet in qvâ tantùm ſupplicatur & libatur: *Altare*, in quo victimæ adolentur. Quam differentiam non intellexit Stuckius. Plinius: *Inter aras & altaria.* in paneg. c. I. 5. Tacitus: *Pòſt altaria & aram amplexa.* lib. XVI. Ann. c. XXXII. 2. Arnobius: *Non altaria fabricemus, non aras*; lib. VI. Idem: *Aræ iſtæ quas dicitis, altariaque hæc pulchra*; lib. VII. adverſ. Gent. Solinus: *Ara eſt in cacumine Jovi dicata, cujus altaribus, ſi qua de extis inferuntur, non difflantur.* c. XV. memorat Virgilius, Ecl. V. v. 65.

En quatuor aras:
Ecce duas tibi Daphni, duoque altaria Phœbo.

Longobardicus Codex legit: *Duas altaria Phœbo*; tali ſenſu: En quatuor exſtruimus aras: De his duas tibi Daphni ſacramus, quæ reverà ſint aræ, & in quibus, ut pergit, lac, vinum, ac olivum libabimus. Reliquas verò duas Phœbo dedicamus, quæ non ſolùm ſint aræ i. e. ad quas non modò ſupplicemus ac libemus: ſed quæ etiam vicem altarium præſtent, & in quibus, ut in altaribus, etiam hoſtias incendamus. Lucretius, lib. IV. v. 1229.

Multô ſangvine mæſti
Conſpergunt aras, adolentque altaria donis.

Vide Feſtum in *Altare.* Varronem de L. L. Servium not. ad Ecl. V. Virg. Lipſium in loc. cit. Taciti, Catanæum in PlinI loc. cit. Popmam de diff. verbb.

lib.

lib. I. Aliam ſuppeditat differentiam Sulpitius, Lucani ſcholiaſta, ad illud Poëtæ, lib.III. Phars. v.404.

*Structa * diris altaribus ara.*

ubi *altaria* inferis tantùm attribuit, *aras* etiam ſuperis. Præpoſterè planè: Quamvis conſentientes habeat Hoſpinianum & Gyraldum. Rectiùs dixiſſet, & invertiſſet: *altaria* ſuperis tantùm; *aras* etiam inferis. Inde enim *altare* quaſi altam aram dictam eſſe, ſuperisqve ſemper ſublimiores aras erectas, probat Natalis Comes, lib. I. Myth. c. IX. ex ApollonI lib. II. Argon.

τοὶ δ' ῥέζομεν οἷα πάρεστι
Βωμὸν ἀναστήσαντες ἐπάκλιον.

Saturno mare pro ara erat. Macrob. lib. III. Saturn. Mortuis in pyra ſeu rogo immolabant. Virg. *Captivoqve rogi perfundit ſangvine flammas*, lib. X. Æn. v. 520. Ita Patrenſes Dianæ Laphyræ peculiari planè ſacrificii ritu XVI. cubitorum ligna viridia in orbem dirigebant, aridioribus in medium immiſſis. Mox locô undiquè cœnô obſeptô, intra eum apros, hinnulos cervorum, capreorum, luporum, urſorum, ferarumqve cum ſeminibus arborum fructiferarum, magnâ pompâ, per Viraginem ſacerdotem, cervis bigiſque eò vectam, conjiciebant, atque ita accendebant, ut referunt Porphyrius de ſacrif. & Pauſan. in Achaicis.

Syriacum nomen, quod aram notat, ܡܕܒܚܐ Chaldæis dicitur במתא, & אגורה, item מדבחה, vel מדבחא:

* *in meis codicibus qvatuor eſt* ſacris feralibus, *at in Baſileenſi eſt ita, prout Auctor adducit.*

מדבח[a]: Ebræis מִזְבֵּחַ ſive מזבח â mactando; & במוס â במה quod eſt altum, excelſum: Licet differentia aliqua conſtituatur inter מזבח & בימוס â נשר הגדול i. e. Aquilâ magnâ, ceu vocatur, R. Moſe; qui ſcribit: איזהו בימוס ואיזהו מזבח׳ בימוס אבן אחת מזבח אבנים הרבה׃ *Qualis verò* בימוס *Quale item* מזבח? בימוס *eſt unius lapidis*, מזבח *lapidum multorum.* c. VIII. עכ״ום §. 19. Græcis vocatur *θυσιαστήριον*, ἀπὸ τῆς θυσίας Itemquè βωμὸς, vel quia *βωμοὶ* fuêre במות id eſt excelſi, vel â *βοῦς*, & Dorico *βῶς*; quæ quidem etymologia ex nimis fervida præcipitantia profluit, cujuſquè auctores non fuêre recordati, *βωμὸν* propriè fuiſſe *κάθισμά τι ἁπλῶς καὶ ἀνάστημα, ἐφ᾽ οὗ ἔστι βῆναί τι καὶ πεθῆναι*, ut docet Euſtathius ad Hom. odyss. *ή*. ac proinde rectiùs παρὰ τὸ *βαίνειν* deducit. *Ara* vox quibuſdam orta videtur, quòd incenſæ ibi victimæ ardeant: Aliis ab ariditate, ob ignem ibi ſæpiùs incenſum: Aliis ab Urendo, quaſi Ura: Stuckio nimis alienè & longinquè ab Aromatibus, f. 138. Aliis ab *ἄιρειν*, quòd ara ſit ædificium exaltatum; Aliis ab *ἀραῖς*, id eſt, precationibus ad aras factis: quaſi, *ἄρετρα*, per Synæreſin, ab *ἀερόω*, *Altare* verò quaſi altam aram dictum putant; vel quòd ignis ibi alatur, vel ab עלה, ſcandit, adſcendit, ſuſtulit, excelſus fuit; unde etiam עלה vel עולה holocauſtum. Lactantius Grammaticus, *quòd ad illud manus in altum tollantur*: ſed hoc potiùs ad aram fit, quàm altare; modò ea, quam tradidimus, differentia procedat. Vide de his Varronem, lib. IV. Iſidorum, lib. XV. c. IV. Serv. ad Virgil. Stuck. f. 63. & 100. *Focum* â fovendo nuncupatum, ait Naſo, lib. VI. Faſt. v. 301. *At focus â flammis &*

quòd

quòd fovet omnia dictus. Ἑςίαν Phornutius (qui & aliàs Phurnutus, Phornutius & Cornutus) nominatam ait Veſtam, διὰ τὸ ἑςάναι διὰ πάντων. Adduci profectò digna, quæ de ἑςίᾳ habet Joannes Harmarus: ἑςία *ſtrictè*, inquit, *pro foco, laxiùs pro domo ſeu habitandi loco. Quô ſenſu Homerus* Il. ι v. 63. *in ſententia illa ab Ariſtotele celebrata in Polit. l.* 1.

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιςος, ἀνέςιός ἐςιν ἐκεῖνος,
Ὃς πολέμȣ ἔραται ἐπιδημίȣ ὀκρυόεντος.
Sine cogitatione, injuſtus, ſine domo eſt ille,
Qui bellum amat inteſtinum, aſperum.

Ἑςία *pro epulo accipitur,* ἑςιάτωρ, *convivator, qui convivium præbet: ſic Naz. orat* εἰς τὰ θεοφάν. Ἑςιώμενοι *ſunt conviviô excepti. Ab* ἑςίᾳ *fortaſſe Anglicum noſtrum FEAST, ut* ἑςία *ſit Feſtia, digammate præfixô ad imitationem Latinorum, qui Veſta ab* ἑςία *deducunt, ut videre eſt ap. Cl. Caninium, Gramm. p.* 93. *&c:* Hæc Anglus ille doctiſſimus notulis terſis atque rotundis ad Chryſoſt. ecl. ſent. p. 82. Alii ἀπὸ τȣ̃ εὔειν eſſe contendunt, id eſt, uſtulando, ut ἑςία diceretur quaſi εὐςία. Μέγαρον propriè eſt domus ampla, ædificium auguſtum, à μέγας. ἐςχάρα modò ſignificat focum: modò partem balnei, modò, teſte Euſtathiô, conlectionem ſordium in ſummis digitorum ungvibus, interdum craticulam, aliquando muliebre pudendum, Sophocli & Euripidi altare, Vitruvio, lib. X. c. XVII. baſin certam, Theophraſto vaginam terebri, Medicis cruſtam aliquam, de qua Cælius, lib. XXX. c. XX. H. Stephano παρὰ τὸ ἔχειν ἔρας id eſt, γῆς, quòd ἐςχάρα propriè ſit: ἡ μὴ ἔχȣσα ὕψος ἀλλ' ἐπὶ γῆς ȣ̃σα, vel κοίλη, ut diſcimus ex Etymol. Alii derivant ab πυρ ignis, unde & Germanicum

nicum Eine Aſche/ cinis: Ab eo etiam Stuckius vocem *ignis* protrahere nititur, f. 191. nimis ridiculè, nec quidem iiſdem, neque ejuſdem organi litteris nominis אש in voce Ignis, præter unicum S. terminativum, præſentibus. Certè in Etymis ſuis Virum hunc, ſtrenuum cetera amœnioris doctrinæ Cultorem, perquàm pueriliter ſæpe ſibi indulgere, & valde turpiter ſe dare, deprehendimus.

Exſtruxiſſe primùm Aras Ægyptios ex Herodoti lib. II. & Strab. lib. XII. refert Polydorus Vergilius, de inv. rerum, lib. I. c. V. ſed ſacra profanis iſtis hiſtoria reclamat. Vide B. Meiſnerum, Phil. ſobr. part. II. ſect. I. c. I. Quæſt. XIX. p. 131. Forma aliarum erat rotunda, aliarum quadrata, aliarum etiam pluribus angulis diſtincta: Erantque communiter in tantum exaltatæ, ut ferè umbilicum hominis tangerent, licèt alias elevatiores, quaſdam & depreſſiores non negemus, quæ omnia ex pretioſiſſimis antiquitatum monumentis elucent, & nos ipſi in priſcis nomiſmatibus, (quæ nobis exhibuit diſertiſſimum ſanctæ Philologiæ oraculum JOH. ANDR. BOSIUS, Vir edecumatæ in me humanitatis) Lectori c. XVIII. oſtenſum imus.

In his curvaturas quaſdam fabricatas & anſulas prominentes videre mihi videor, quas cùm precantes, tùm etiam jurantes tenebant, quod adprobat aheneus omnifariæ eruditionis atque cognitionis murus, Scaliger, Poët. lib. V. c. III. Clarè certè eæ adparent in ara Pacis ex numis, qvos habet Choul, æreo, p. 16. & alio, p. 135. Unde aræ olim *anſæ* nuncupatæ teſte Varr. de reb. div. fortean eô modô, quô totum â parte adpellationem capit? Neque Judæorum

rum altaribus קרני id eſt cornua talia defuêre. Vide 1. Reg. II. 28. Pſal. CXVIII. 17. Eorumdem altaria in baſi duo habebant foramina inſtar narium exilium, ex quibus ſangvis victimarum in ſubterraneam foſſam cadens ſimul in torrentem Kedron ferebatur. Vide Middoth. c. III. cum notis l' Empereur, Sheringham ad Joma, c. V. §. 6. De expiatione altaris apud eoſdem conſule Joma, c. V. §. 5. Cod. Sebachim, c. V. §. 3. Aliquando quatuor baſibus atque columnis fulciebanrur, præſertim eæ, quibus ἁγνὰ θύματα & primitias frugum impoſuêre, cujus formam proponit Choul. l. de Rel. Romæ ad Amphitheatrum: J. O. M ET. JUNONI. REGINAE. PRO. SALUTE. M. AURELII. ANTONINI. PII. FEL. AUG. ET. JUL. AUG. JUL. PUDENS. SEVERIANUS. ARAM. CUM. BASI. POSUIT. Neque ſingulis tantùm *D*iis ſacratas legimus, ſed pluribus; veluti & templa; imò ſæpe omnibus, veluti communis formula in inſcribtionibus ararum id indicat: DIS. DEABUSQUE. OMNIBUS. Item: DIBUS. DEABUSQUE. OMNIBUS. Vide Gruterum, fol. 2. 3. 4. Schedium, lib. I. c. XII. de D. G. Boxhorn. Quæſt. XII. Adſignabatur etiam, quis, cui, & cur, dedicârit? & an priùs eſſent votæ; quod ex innumeris inſcribtionibus ſatis adparet. Romæ æd. S. Nicolai in Calcaria: PETRONIUS. APOLLODORUS. &c. VALENTINIANO. ET. VALENTI. AUGG. III. COSS. ARAM. DICAVIT. Lapis Wardaliæ in Cumbris in ædibus Th. Dykes: DEO. SANCTO. BELATUCADRO. AURELIUS. DIATOVA. ARAM. EX VO-

VOTO. POSUIT. L. L. M. M. Vallexii Inſubrum: J. O. M. C. CANIANUS ARAM. VOTAM. F. L. M. Romæ in S. Maria Monticelli: JOVI. O. M. DOLICHENO. C. FRONTINIUS. L. ARAM. POSUIT. Ibid. in vinea Card. Carp. in Quirinali in ara oblonga: ARAM. JOVI. FULGERATORIS. EX. PRÆCEPTO. DEORUM. MONTENSIUM. VAL. CRESCENTIO. PATER. DEORUM. OMNIUM. ET AVR. EXPERANTIUS SACERDOS. SILVANI. CUM. FRATRIBUS. ET. SORORIBUS. DEDICAVERUNT. Morelli Hiſp. JOVI. CONSERVATORI. OB. INCOLUMITATEM. TEMPORUM. M. A. A. HANC. ARAM. PoSUIT. ET. D. D. Arabes tecto impoſitâ arâ thus quotidie Soli adolebant. Strabo, lib. XVI. Numerus autem ararum in ſacrificiis certus non erat, ſed prò circumſtantiarum varietate modò minuebatur, modò augebatur; ita ut ad centenarium interdum excurreret. Julius Capitolinus: *Centum aræ uno in loco ceſpititiæ exſtruuntur, & ad eas centum ſues, centum oves mactantur*; in vit. Max. & Balb. c. XI. Virgil. lib. IV. Æn. v. 200. *Centum aras poſuit.* Et lib. I. v. 420.

- - - - - - - - - *Centumque Sabæo*
Thure calent aræ, ſertiſque recentibus halant.

Aræ hæ certis cerimoniis dedicabantur; quæ ex libris Ritualibus perdiſcebantur, qvalem ſacrandæ aræ formulam, Salonæ in Dalmatia repertam ex Cyriaci Anconitani itinerario deſcribſit Vir, nobiliſſimi Barthl judiciô, meliùs de humanitatis litteris meritus, quàm quiſquam facile cenſeat, Georg. Fabri-

cius

cius, lib. I. antiqq. p. 20. & ſeq. Aliter tamen paullò Gruterus exhibet in inſcribtt. f. 229. Item Smetius, Aldus & Schottus: Emendatiſſimè verò Sertorius Urſatus; & quidem hôc modô.

L. Helio Cæſare. Imp. P. Cælio & ALBINO
VIBULLIO PIO. COS.
VII IDUS OCTOBRES

Cn. Domitius Valens II vir ID. PraEUNTE C. JULIOSEVERO PONTIF. Legem dixit in ea verba quæ infra SCRIPTA SUNT.

Juppiter optime maxime quandoquè tibi HODIE HANC ARAM DABO DEDICABOQVE OLIS LEGIB. Olliſquè regionibus dabo dedicaboquè quæ hìc hODIE PALAM DIXERO UTI INFIMUM SOLUM HUJUS ARAE ES Si quis hic hoſtia ſacrum ſaxit quod magmentum neC PROTOLLAT IDCIRCO TAMEN PROBE FACTUM ESTO CETER Leges huic aræ eædem ſunto quæ aræ Dianæ ſunt iN AVENTINO MONTE DICATAE HISCE LEGIBUS HISCE REGIONIB Sicuti dixi hanc tibi aram Juppiter optime maxime DICO DEDICOQVE UTI SIS VOLENS PROPITIUS MIHI COLLEGISQVE Meis decurionibus colonis incolis coloniæ martiæ JULLIAE SALONAE CONJUGIBUS LIBERISQVE NOSTRIS.

Vide quam inſcribtionem adferat Stuckius, p. 64. Non autem magis aræ illæ profanari poterant & fœdari, niſi adſperſione urinæ, quod canis immundus & amica luto ſus Nero non omiſit, de quo Fulgos. lib. I. Conferatur huc illud Satyrici, ſat. I. v. 112.

Heic

Heic veto quiſquam faxit oletum!
Pinge duos angves, Pueri, ſacer eſt, locus: Extra Mejite.

Conſtabant aræ illæ ex varia ſubinde materia e. g. Auro. Ozias cum Sacerdotali veſte ingreſſus eſt delubrum, Deo in aureo altari immolaturus. Suid. voc. Οζίας. vel quacunquè materiâ aurô inductâ atque incruſtatâ, ut Moſis Ex. XXX. 3. Ære; ut in demirando Salomonis templó (in quo mirandum certè inter alia & illud, nec malleum, nec ſecurim, nec inſtrumentum ferreum in exædificatione ejus auditum fuiſſe: cùm juxta quorumdam ſententiam lapides planè aptati ad ſe invicem jam ab Hiram miſſi fuerint, dicente Scripturâ: ædificatam eſſe domum lapide perfectô adductô. 1 Reg. VI. 7. aut, quòd juxta alios inſtrumentis è ſaxi genere duriſſimo elaboraverint templum, lapideſque non præciderint, ſed detriverint, Scripturâ expreſſis verbis diſtingvente ferrea inſtrumenta, ab aliis, l.c. Vel, ut Nicolaus Lyra opinatur, in Ezech. III. 9. ita ſcribens: *In Ebræo habetur; ut vermem fortiorem rupe dedi faciem tuam: & per vermem, ſecundùm eos, intelligitur hîc ſangvis cujuſdam vermis, quô ſine ſonitu incidebantur lapides in ædificio templi Salomonis.* Hæc ille. R. Ben Maimon & nomen vermis addit, & explicitè magis ejus virtutem tradit; *Samir,* * inquit, *eſt reptile*

* *E re erit hìc videre Sam. Bochart. part. poſter. Hieroz. lib. VI. c. XI. totô, col. m. 841. ſ. utor autem edit. Francof. ſine dubio Londinenſi meliore, utpote qvam B. David Clodius innumeris à mendis correxit, M.DC.LXXV. in fol. Lugdunenſ. Batav. & Trajectin. non examinavi.*

parvum, quod ſecat lapides, dum per eos tranſit) altare illud holocauſtorum 2. Paralip. IV. 1. LAPIDIBUS & ſaxis. Ex. XX. 25. Deut. XXVII. 4. 5. 6. Joſ. VIII. 31. 1 Reg. XVIII. 32. MARMORE aut materiâ marmore inductâ. Utrumque in Jovis Ultoris æde Romæ videre eſt ; ubi aræ duæ marmoreæ , ſex marmoratæ. Fabricius in Rom. c. IX. Ovidius : *Vinaque marmareas paterâ fundebat in aras.* lib. IX. Metam. v. 160. CORNIBUS ; animalium fortè mactatorum. Idem : *Miror & innumeris ſtructam de cornibus aram.* ep. heroid. XXI. v. 99. Martialis : *Diſſimuletque Deum cornibus ara frequens.* de ſpectac. epigr. I. v. 4. Vide Farnab. ad h. l. & Angel. Politian. miſcell. c. LII. LIGNIS ; ut lignis Sittim, id eſt lectiſſimâ quâdam cederi ſpecie, Exod. XXX. 1. Vel materiâ quâdam lignô pretioſô opertâ ; ut 1 Reg. VI. 20. TERRA : qualem aram exſtrui ſibi Jehova jubet. Ex XX. 24. Peculiaris aræ ex ſacrificiorum CINERIBUS ſtructura fuit apud Thebanos, Apollini factæ , qui inde Σπόδιος cognominabatur. Vide Cœl. Rhod. L. A. lib. XXII. c. 11. Quòd ſi fortuitus caſus ſacra poſtularet, araque vel materia commoda ad eam deeſſet , CESPES (veluti & in Caſtrenſi tribunali ponendo) adhibebatur. Capitolinus : *Centum aræ uno in loco ceſpititiæ exſtruuntur.* l. c. Latrones apud Apulejum *aram ceſpite virenti* Marti Deo faciunt. lib. VII. Metam. Prudentius : *Ridiculoſque Deos venerans ſale, ceſpite, thure.* in apoth. v. 255. Niſi malis ceſpitem unà cum ſale & thure oblatum intelligere. Lucanus : *Erexit ſubitas congeſtu ceſpitis aras.* lib. IX. v. 988. Ovidius ; *Dîs tribus ille focos totidem de ceſpite ponit.* lib. IV. Me-

Metam. v. 752. & lib. VII. v. 240. *Statuitquè aras è ceſpite binas.* Idem: *Araque gramineo viridi de ceſpite fiat.* lib. V. Triſt. El. V. v. 9. Seneca, Med. Actu IV. ſc. II. v. 797.

Tibi ſangvineô ceſpite ſacrum
Solenne damus.

Juvenalis, Sat. XII. v. 2.

— Feſtus promiſſa deis animalia ceſpes
Exſpectat. - - - -

Horatius, lib. III. od. VIII. v. 2.

Quid velint flores, & acerra thuris
Plena, miraris; poſituſque carbo in
Ceſpite vivo?

Idem, lib. I. od. XIX. v. 14.

Hic vivum mihi ceſpitem: Hic
Verbenas pueri ponite, thuraque.

Videantur pluribus Scaliger, Poët. c. XXI. Guilh. Stuckius, f. 64. Elias Schedius de D. G. lib. II. c. XXVI.

Aræ porrò coronabantur. Lucianus de Dea Syria: βωμὸς ἀεὶ ἐςέπ]αι καὶ θυώματα ἔχει. Tibullus: *Sertaque de ſanctis diripuiſſe focis.* lib. I. El. II. v. 84. Ovidius: *Fumida cingatur florentibus ara coronis.* v. 15. Et paulò pòſt: *Funeris ara mihi ferali cincta cupreſſu.* lib. III. Triſt. El. XIII. v. 21. Idem: *Et velet tepidos nexa corona focos.* lib. V. Triſt. El. V. v. 10. Virgilius, lib. VI. Georg. v. 275.

- - - *Violæ ſublucet purpura nigræ.*
Sæpe Deûm nexis ornatæ torquibus aræ.

Ex quo ejuſdem locus reſtituitur Ecl. V. v. 40. - - *Inducite fontibus umbras.* Ubi aliquot exemplaria vetuſta optimè legunt *frondibus*: Romanus verò Codex pro *umbras* habet *Aras.* Vide numos Choull,

Sambuci, GutherI, Urſini, & noſtros, c. XVIII. quin & vittis ornabantur Virg. *Molli cinge hæc altaria vittâ*. Ecl. VIII. v. 64. Quæ in mortuorum ſacrificiis erant nigræ aut cæruleæ. Idem:

Stant Manibus aræ
Cæruleis mæſtæ vittis - - - - -

lib. III. Æn. v. 63. ſ.

Sæpe etiam picturis exſculptas fuiſſe fidem facit baſis aræ antiquæ, quæ adhuc hodie trans Tiberim ante ingreſſum ad D. Cæciliæ exſtat, in qua Vir quidam inſiſtit tauri tergo erectus; cui ſimilem in domo Cæſia vidiſſe ſe ait Fabricius in Rom. c. XXIII. Innumeras alias videſis hinc inde in Herculeo Gruteri inſcribtionum opere: & apud Choulium, lib. de la religion des anciens Romains; & in ejuſdem diſcurſu ſur la caſtrametation & diſcipline militaire des anciens Romains, p. 50.

Quòd ſi aræ illæ cum crepitu in ſacrificiis moverentur, Deum Deamve adventâſſe credebant. Lucanus: *Tum cardine tellus Subſedit* lib. I. Phars. v. 552. Virgil. *Adſpice corripuit tremulis altaria flammis*. Ecl. VIII. v. 105. Seneca, Med. Actu IV. ſc. II. v. 785.

*Sonuiſtis * aræ, tripodas agnoſco meos,*
favente commotos Deâ.

Ovid. lib. IX. Metam. v. 781. ſ.

Viſa Dea eſt moviſſe ſuas (& moverat) aras;
Et templi tremuère fores, imitataque Lunam
Cornua fulſerunt, crepuitque ſonabile ſiſtrum.

Videri poteſt tract. integer de Altaribus & Sacrificiis.

Chri-

* *Aræ*] Perſpicaciſſimus *Jo. Frid. Gronov. not. h. l. ſubſtituit pro* aræ *lugubre illud* αἶ· αἶ·

Chriſtianorum Petri Molinæi ſubjunctus epiſtolæ GregorI Nyſſeni de euntibus Hieroſolymam.

Aliàs Ara etiam ſignum cæleſte, Græcè θυτήριον & βωμὸς; In aſteriſmis θυμιατήριον, aliquando & λιβανωτὶς & φάρος, Latinis Altare, Auſonio Thuribulum; cujus baſis dicebatar ἐπίκυρον; ſuperficies, ubi prunæ locabantur καυτὴρ; id, quod ſupra καυτήριον, βωμίσκος. Oritur in 8. parte Scorpii, ſub qua naſci perhibentur Neocori, ſacerdotes, prophetæ, ſanctiſſimique antiſtites, φοιβαστικοὶ, θρησκευταὶ μυστηριακοὶ ἱερῶν καὶ τελετῶν ἐγκάτοχοι, ἱεροποιοὶ, ἐνθουσιαστικοὶ, ἱεροπρόσπολοι. Ptolemæus. Vide Scalig. ad Manil. lib. I. & V. Manilius, lib. V. v. 335.

Ara ferens thuris ſtellis imitantibus ignem,
In quæ devoti quondam, cecidêre Gigantes;
Nec priùs armavit violentô fulmine dextram,
Juppiter, ante Deos quàm conſtitit ipſe ſacerdos;
Quos potiùs fingent ortus, quàm templa colentes,
Atque autoratos in tertia jura miniſtros,
Divorumque ſacrâ venerantes numina voce,
Pene deos, & qui poſſunt ventura videre.

CAPUT XVI.

Ligna in ſacrificiis, & qualia? Νηφάλια ξύλα *quænam? Stuckius notatur.* Tæda. *Varia in variorum ſacris ligna: Qualia ad ſacra inepta? Quinque lignorum apud Ebræos ordines.* Lignatores *quinam? Eorum merces. Ebræorum ligniſecæ. Ignis*

lignis additus, quando, & quomodo? Ignis ſacrificalis unde petitus? πυραίθεια: πυρεῖα: πυραῖθοι. *Ignis gentilium ſacer Judæis non vetitus. Diana* Pyronica. *Ignis Sacri æſtimatio. Mos veterum petendi lumen. Proverbium explicatur. Populi multi ignem æternum aluêre, & quare?* Omanus *quis Perſis?* נרגל *Veſtæ templum rotundum, & in medio ejus ignis quid notârit? Quinam ſtatuerint terram circa ſolem moveri? Ignis divini quid continere creditus. Boruſſorum veterum dii. Flammæ ſacrificalis omina triſtia, ac læta.* Omina accipere: reſpuere, deteſtari, averſari. πυροσκοπία, πυρομαντεία: Igniſpicium. *Apud gentiles ignis ſacrificalis non exſtinctus: Sed apud Ebræos, & certâ quidem aquâ. Stuckius bis notatur. Choulli & Gyraldi labſus. Sacrificia quædam quibus non additus ignis.* Jupiter Elicius. *Stuckio præcipitantia ſua oſtenditur. Ignis quidam ſacrificalis non adurens.* Καπνομαντεία; *Ejuſque antiquitas. Oſeæ locus illuminatur.* Ῥαβδομαντεία: *Fuit etiam Germanis nota. Fumi etymon. StuckI putida* fimi *derivatio. Lucernæ in ſacrificiis: Januis cum lauro adpenſæ.* Operari *pro ſacrificare. Lucernæ in Judæorum feſtis.*

Ja-

Januæ mortuorum cupreſſo religatæ. Januæ cur coronatæ? Januarum dii. Januæ mortuorum cur coronatæ? Abrogatio coronationis januarum. Lucernæ in inferiis: Mortuorum capulis additæ. Urnæ lacrymales. Lucernarum veterum figuræ. Cerei, funalia in ſacrificiis. Funalia *unde? Faculæ in ſacrificiis.* λαμπτῆρος Bacchus. *Cerei in funeribus. Lucernæ, cerei, faces, funalia cur in ſacrificiis? Quare cerei in Chriſtianorum eccleſia uſitati?* Hymni, preces lucernales. Officium lucernarium. Ἀκόλουθοι; Ceroferarii *quinam? Mulieres* ceraria. *Lucernæ in arboribus ſuſpenſæ. Quare? Arbores ſacræ. Germanis quercus ſacræ. Muhammedes cur ſub arbore inauguratus? Arbores cur ſacræ? Pinus quare ſacra?* Δενδροφορία: Δενδροφόροι. *Cybele ac Iſis eædem. Iſis frugum repertrix: Germanis culta. Urbis Auguſtæ Vind. Inſigne pictorum ruditate depravatum: Quodnam illud? Schedio abſentitur. Urbes quædam Germ. ab Iſide denominatæ. Quomodo Iſraëlitæ arbores ſacras, earumque umbras vitaverint? Voſſius F. ob falſam Maimonidis verſionem modeſtè notatur. An Judæis ſub umbra foliorum ac ramorum ſacrorum jacere licuerit? Lucernæ*

quomodo in templo arboribus adpenſæ? Arbores ad aras. Fagantal. *Luci porticuum. Divinatio ex lucernis.* Ἱερεῖς *geſtabant lucernam ac laurum, & cur? Regibus Aſiaticis ignis prælatus. Sacerdotes* πυρφόροι *dicti, cur? In bello laurum cum lucerna præferebant. Proverb:* Ne ignifer evaſit. *Loca Jeſaiæ & Oſeæ inluſtrantur. Feciales Romanorum* πυρφόροι, *Proverbii* Facem accendere; *origo.*

Propiùs ad aræ ignem, ut incaleſcant victimæ, accedamus, modò priùs ligna eò congeſta fuerint. Arnobius: *Quod eſt honoris genus lignorum ſtruibus incenſis, cælum fumô ſubtexere, & effigies numinum nigrore obfuſcare ferali*; lib. VII. adverſ. Gent. Quæ quidem, ſi vinum libabatur, erant vitea, vel ficulna, vel myrtea: Si aqua, ex thymo; unde hæc νηφάλια ξύλα adpellata ſunt, teſte Suidâ. Philochorus: *νηφάλια ξύλα ſunt, quæ vitiginea non ſunt aut etiam ficulnea: Thymi ξύλον propriè νηφάλιον vocatur, quô uſi primùm in ſacrificiis veteres feruntur.* Parum dextrè ergo Stuckius ſcopum ferit, interpretando, quid ſint νηφάλια ξύλα? Scribit enim *Ligna: ſacrificalia primùm oportebat eſſe ſicca & arida, græcè νηφάλια, quaſi dicas ſobria dicta, quæ primùm intendebantur, ut etiam ἄκαπνα non fumida.* Νηφάλια *tamen ξύλα alii putant dicta, quæ in ſacrificiis duntaxat νηφαλίοις καὶ ἀοίνοις adhibebantur.* f. 102. Falſa illa; veriora tamen hæc, ſed obſcuriùs prolata: An verò etiam

etiam dicamus latuiſſe illum thymi lignum ad ἄσιλα pertinuiſſe? Maximè autem ad ſacra aptum erat lignum ex arboribus reſinam ferentibus, *tæda* dictum; veluti multoties apud auctores in ſacris tædas reperias. In Jovis Olympici θυσίαις non niſi populnea ligna aderant Cœl. Rhod. L. A. lib. XIII. c. XVII. Quidam oſſibus hoſtiarum pro ligno; alii lapidibus ignitis utebantur. Vide Stuckium, f. 103. Adducenda huc duxi verba ſeqq. Natalis Comitis: *Erat non parva diligentia in eligendis lignis &c. In ſacris Bacchi antiquitùs nulla ligna niſi* * *Oporobalſami aut phibaleæ ficus, aut viticis, cum foliis vitium, urebantur, ut ait Hegenon*, lib. II. *Georg. In ſacris Veneris myrtus urebatur; at apud Sicyonios ignis non fiebat niſi è lignis juniperi, quibus folia addebantur pæderotis, ut ait Pauſanias in Corinth. In Jovis ſacris ilicis ligna, in Martis fraxinorum, in ſacris Herculis albæ populi, cerri, aut æſculi, aut corni, ut ſcriptum eſt ab Ephoro*, lib. II. *de Ponderib. Aſiæ*; Hæc ille Mythol. lib. I. c. X. Nefas contrà fuit adolere ignem ſacrum & accendere oleâ, laurô, vel craſſioris corticis quercu; aut cujus caudex cavus fungoſuſque foret. Vide Gyrald. Synt. XVII. p. 507.

De Ebræorum feſto Xylophoriorum propter ligna ad ſacrum ignem convehenda inſtituto vide Nehem. X. 34. Joſeph. B. J. lib. II. c. XXXI. Iſing. Coll. Hiſt. Quæſt. LX. §. 14. Apud eos in ſacrificio expiationis R. Joſe ait fuiſſe quatuor lignorum ordines, cùm in ceteris omnibus tres: R. Jehuda tres, & in ceteris duos: R. Meir hîc quatuor; in reliquis quinque. Vide Joma, c. IV. §. 6. Atque ita primus ordo erat: מערכה הגדולה quô

* *In mea Handovienſi Wecheliana, M. DC. XIX. in 8°. eſt* oporobaſilidis, *ſed reperio illam ubique vitioſam.*

quô ſacrificium juge comburebant. Secundus: מערכה שניה של קטורת unde prunas ad ſuffitum adolendum ſumebant. Tertius: מערכה של קיום האש quô in primo defectum lignorum reſtaurarent. Quartus: מערכה לאיברים ופדרין שלא נתעכלו מבערב Cui membra & omenta â veſpere uſque ad ſequentem diem non conſumta imponebant. Qvintus: בו מערכה שמוס יפק בו ביום è quo prunas ad ſuffitum ſumebat ſacerdos, intrans in Sancta Sanctorum. Videatur Gemara & Sheringham in l. c. Joma.

Ad ligna iſta colligenda certi apud Gentiles conſtituti erant homines, *Lignatores* dicti, quibus mercedis locô victimæ collum de ſacrificio Jovis Olympii cedebat. Pauſan. lib. I. Eliac. Judæi parili modô ſuos, qui pararent & finderent ad ſacrificia ligna, *Ligniſecas* habuêre, ad quod ſervitium perpetuum Gibeonitas doloſos Joſua heros μεγαθαρσὴς damnavit. Joſ. IX. 21.

Adductis ad altaria hoſtiis, vel etiam paullò ante, diſpoſitis lignis, ſubditâ face addebatur flamma; unde *Holocauſta* nomen ſortita, quòd cremarentur, & quidem tota. Ageſilaus, Themiſtoclis frater, ignibus, quibus Xerxes in ara ſacrificabat, dextram injicit, totamque comburit. Vide Fulgos lib. III. c. III. Meretricula apud Plautum: *Cur non jamdudum ante lucem ad ædem Veneris venimus Primæ ut inferremus ignem in aram?* Pœn. I. II. 105. Lucanus: *Funereas aris imponere flammas.* lib. VI. Pharſ. v. 525. Virg. *Inſtruimus menſas, ariſque reponimus ignem.* lib. III. v. 231. Aen. Petitum ignem hunc arbitror à ſacra perpetua flamma adytorum quorumdam, quæ *πυραίθεια* & *πυρεῖα* dicebantur, veluti & Sacerdotes ignis æterni

ni πυραιθοι. Suidas, Procopius lib. II. Perſicorum, Theodoretus, H. E. lib. V. c. XXXIX. Nicephorus, lib. XIV. c. XIX. Strabo, lib. XV. Briſſonius, lib. II. de regno Perſ. Virg. lib. IV. Aen. v. 200.

Vigilemque ſacraverat ignem,
Excubias divûm æternas.

Sanè Nadab & Abihu interitus tantùm ex igne alieno oblato. Lev. X. 1. 2. ſ. Num. III. 4. & XXVI. 61. 62. Quamvis flammam Idololatrici ſacri Iſraëlitis interdictam non fuiſſe, prohibita autem prunam & cinerem, doceat Maimonides, lib. עו"ם c. VII. XIII. Inde Diana *Pyronica* dicta; quod ex ejus templo in Crethide Arcadiæ monte ignem ad ſacra Lernæa ſumſerint. Apud Romanos ignis non niſi ſanctus è Flaminica efferri poterat, ut patet ex lege V. Flamini olim fixa apud Agellium, lib. X. c. XV. Tanti ceterùm æſtimabatur, ut ab eo nemini ignem mutuare aut lumen accendere licuerit, teſte Phædrô, lib. IV. Fab. X. cùm aliàs commune apud veteres fuerit, vicinos â vicinis petere lumen. Confer Taubm. in Plaut. Trin. III. II. 53. Ab eo etiam de improbis & ſceleratis adagium ortum: *Sacrum ignem inflare illi nefas*; cujus meminit Hadr. Junius cent. IV. adag. LVII. Mos hic æternum alendi ignem, Judæis, Aegyptiis, Afris, Indis, Perſis, Græcis, Cappadocibus, Romanis, aliiſquè non inſolens; de quo pluribus agunt Lipſius de Veſt. c. XV. Seldenus de D. S. lib. II. c. VIII. Voſſius de Idol. lib. II. c. IX. XI. LXIV. Dilherrus, tom. I. diſpp. Viri ſinguli magni, Proceresquè litteratæ Reip. Itemquè Stuck. p. 101. Schedius de D. G. lib. II. c.

II. c. XXVIII. Secutos eos Molochi cultores, exiſtimat Greg. Greg. Francus, L. S. voc. 149. de quibus ita L'Empereur, not ad itin. Benjamin. *Ante aram adium ſacrarum eſt ingens fovea, in qua continuatis ſeculis ardet ignis maximus, quem adpellant divinitatem.* Vide inſuper Wilhelmum Schickhardum in Tarich, p. 126. Ignem hunc, ut ſolis ſymbolum, tantô adfectum honore, ait R. Ben-Maimon in More Nebochim, lib. III. c. XXX. Perſæ certè per Omanum ſive Amanum (quem alii Ammonem vel Hammonem vocant) perpetuum Solis ignem coluêre, qualem etiam ei in ara ſervabant נרגל dictum, ante quem carmen, ſive ἐπῳδὰς concinebant, ut refert Strabo, lib. XI. Hinc illa ſolemnis eorum formula: Φαγέτω πῦρ κύριε. Veſtæ templum Numam rotundum feciſſe, inque medio ejus æternum conſtituiſſe ignem, ut Solaris ignis ſymbolum, ait Plutarchus: in qua quidem ſententia multi verſabantur, Solarem ignem eſſe in meditullio mundi, unà cum ſtellis fixis, immobilem; terram autem circa Solem in orbem agi; inter quos Ariſtarchus Samius, Plato, Philolaus, Hicetas Seleucus, Cleanthes Samius, Heraclides Ecphantus, imò & Pythagoras: poſteà Copernicus Boruſſus, Cardinalis S. Petri ad vincula & alii. Vide Voſſ. de Idol. lib. II. c. II. Adde Boxhornium, Quæſt. XXXI. Certè Heraclitus Epheſius deos ex igne credidit: Origenes & Hippaſus Metapontinus intelligibilem dixêre ignem, teſtibus Auguſtinô, Varrone, Simpliciô. Unde illud Pythagoræ, aut, ut volunt quidam, Andocidæ Pythagorici ſymbolum: *Ignem gladiô ne fodito*, nonnulli explicant, Deum maledictis

ctis non eſſe impetendum; cùm ignis naturæ divinæ aliquid in ſe habere creditus fuerit gentilibus. Apud Prutenos ſive Boruſſos, adhuc gentiles, tres colebantur † Dii: *Vurſchayto* id eſt Lar, Deus domeſticus, qui jumentis & quadrupedibus præerat: *Sneybrato*, avium præſes: *Gurcho*, cibi potuſque præfectus. Item tria numina: *Patrimpo*, cujus in honorem ſerpens vivus lacte alebatur: *Patelo* cujus ſymbolum erat caput hominis demortui: *Peruno*, ſive fulmen. Atque in hujus ultimi honorem perpetuus è quercu ignis ſervabatur. Hæc Guaguinus in Sarm. Europ.

Ignis ſacrificalis ſi non conſpiciebatur clarus, erectus, hoſtiarum cupidè devorans ac ambiens, infeliciſſimum erat ſignum. Lucanus, lib. I. Phars. v. 549. ſ.

Veſtali raptus ab ara
Ignis, & oſtendens confectas flamma Latinas,
Scinditur in partes, geminòquè cacumine ſurgit,
Thebanos imitata rogos.

Seneca, Oed. Actu II. ſc. II. v. 307. ſ.

TIR. Quid flamma? largas jamne comprendit dapes?
MAN. Subitò refulſit lumen, & ſubitò occidit.
TIR. Utrumne clarus ignis & nitidus ſtetit,
Rectuſque purum verticem cælo tulit;
Et ſummam in auras fuſus explicuit comam?
An latera circa ſerpit incertus viæ,
Et fluctuante turbidus fumô labat?

MAN.

† *De tribus veterum Pruſſorum diis majoribus, Percuno, Picollo & Potrimpo multa eruditè congeſſit eruditiſſimus Hartknoch, Diſſert. VII. de Variis rebus Pruſſicis, p. m. 123. ſ. edit. M. DC. LXXIX. in 4to.*

MAN. Non una facies mobilis flamma &c.
v. 328.

- - TIR. Quid fari queam
Inter tumultus mentis attonitæ vagos?
Quidnam loquar? ſunt dira ſed in alto, mala:
Solet ira certis Numinum oſtendi notis.

Optimum contra & planè ſe litâſſe exiſtimabant, ſi erectè in altum ſurgeret; velut Octavio apud Sveton. Aug. c. XCIV. Alexandro M. & aliis. Ovidius de Pont. lib. IV. El. IX. v. 53.

Surgat ad hanc vocem plenâ pius ignis ab arâ,
Detquè bonum voto lucidus omen apex.

Talia omina *accipiebant*; illa vero *reſpuebant, deteſtabantur, averſabantur.* Briſl. lib. I. Form. Dicebatur Græcis hæc flammarum ex incenſis victimis obſervatio πυροσκοπία & πυρομαντεία, Latinis *Ignifpicium*; de qua plura Peucerus de divinat. Ceterùm Gentiles ignem in ſacrificiis non exſtingvebant, ſed potiùs per ſe langventem deficere ſinebant, teſte Pieriô Valer. in Hierogl. Ebræi contra exſtingvebant, aquâ certâ ſacrâ ad id compoſitâ, quam deſcribit Choul: *Combien que i'ay obſerve, que ſur la fin de leur ſacrifice, quand le feu venoit à s'eſteindre, ils iet toyent par deſſus petites pieces de bois, de cedre, de l'iſope, & du cumin: & de la cendre de ces trois choſes ils faiſoyent de l'eaue ſacreé.* lib. de la religion des anciens Romains, p. 291.

Nullum ſacrificium ſine igne confici licitum fuisſe, contendit Stuckius, deceptus profectò â Choulio, quem confidentiſſimè aliquoties nullâ ejus factâ mentione, exſcripſit. Verba Choull hæc ſunt: *Car ſans feu il n'eſtoit pas licite de faire aucun ſacri-*

ſacrifice. p. 309. Et hunc ita feſelliſſe videtur Gyraldus, qui ſimilia adſerit, ſynt. XVII. p. 503. Contrarium tamen in Manoæ & Eliæ ſacrificiis perſpicimus. Ita Pythagoras Apollinis genitoris aram adorare præcepit διὰ τὸ πυροὺς, καὶ κριθὰς, καὶ τὰ πόπανα μόνα, τίθεσθαι ἐπ' αὐτοῦ ἄνευ πυρὸς. Laërt. lib. VIII. vit. Pyth. c. XIII. Plinius de cinnamomo: *Metitur non niſi permiſerit Deus (Jovem hunc intelligunt aliqui; Aſſabinum illi vocant) XLIV. boum caprarumque & arietum extis impetratur venia * metendi; non tamen aut ante ortum ſolis, aut poſt occaſum licet: Sarmenta haſtâ dividit ſacerdos, deoque partem ponit; reliquum mercator in naſſas condit. Eſt & alia fama, cum ſole dividi, ternaſque partes fieri: Deinde ſorte germina* (al. *cremia*) *diſcerni; quodque ſoli ceſſerit, relinqui, ac ſponte conflagrare.* lib. XII. c. XIX. Solinus: *Nec longè inde,* ait, *collis Vulcanius, in quo, qui divinæ rei operantur, ligna vitea ſuper aras ſtruunt, nec ignis adponitur in hanc congeriem, cùm poſitivos intulerint. Si adeſt deus, ſi ſacrum probatur, ſarmenta, licet virentia, ignem ſponte concipiunt, & nullô inflagrante à litato Numine fit incendium. Ibi epulantes adludit flamma, quæ fluxuoſis exceſſibus vagabunda, quem contigerit, non adurit; nec aliud eſt, quàm imago nuncia perfecti ritè voti.* c. XI. Idem tale quid recenſet de Arabibus, apud quos manipuli ſoli dati, radiis inflagrati, incendium ſponte concipiunt * c. XLII. Servius: *Apud majores aræ non incendebantur, ſed ignem divinum preci-*

X *cibus*

* *al.* cædendi. * *Hunc Solini locum ibi non reperi, tres licèt evolverim, quas habeo, editiones.*

cibus eliciebant, *qui incendebat altaria.* ſchol. ad lib. XII. Aen. Inde fortè Jupiter ELICIUS dictus fuit. Plura ſacrificiorum igne non additô factorum exempla, ſui ipſius oblitus, coacervat Stuckius, f. 102. Aliud mirandum, ſimile ferè cum illo Solini recenſet Plinius: *Haud*, inquit, *procul urbe Româ in Faliſcorum agro familiæ ſunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ, quæ ſacrificiô annuô, quod fit ad montem Soractem Apollini, ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes non aduruntur: Et ob id perpetuô ſenatuſconſultô militiæ omniumque aliorum munerum vacationem habent.* lib. VII. c. II.

Nec ſumum ſacrificiorum in ventos abire permiſère, niſi priùs obſervâſſent, quò & quomodo; utrum ſurſum, an deorſum ferretur; unde varia futura cognoſcebant, conſultaque dubia decidebant. Quæ quidem καπνομαντεία adeò antiqua, ut Caino ac Abeli nota fuiſſe qvibuſdam videatur. Impietatem iſtam vecordium Judæorum apud Oſeam tangit Altiſſimus: *Populus meus in ligno ſuo interrogavit, & baculus ejus adnunciavit ei.* * c. IV. §. 12. Priori locô καπνομαντείαν, poſteriori ῥαβδομαντείαν (ut quidem explicant R. Maimonides de idol. c. XI. §. 7. & B. Hieronymus: ſed Jarchi, Aben-Ezra & Jonathan de ligneo ſimulacro intelligunt) innui voluit, quâ ſumtis duabus virgis, arcana qvædam κατέπαδον, & ſic illâ verborum incantatione faciebant, ut ἐνεργείᾳ dia-

* *Vide B. Joh. Tarnov. Comment. h. l. p. m. 115. B. Joh. Henr. Urſin. Arboret. Biblic. c. XLVII. p. 603. & in Comment. in cit. Hoſea loc. p. m. 69. edit. Norimb. M DC LXXVII. in 8t. Item B. Balthaſ. Meiſnerum, in Comment. h. l.*

diaboli inclinarentur & flecterentur virgæ ; & tunc obſervabant , in quam partem ſe flecterent ; utrùm ad dextram , an ſiniſtram ? Evolve Scholiaſtam Nicandri in Theriaca , R. Moſem Mikotzi in præcept. negativ. LII. Paulum Riccium in Id. Mart. Del-Rio diſqq. magicis, lib. IV. c. II. Qvæſt. VII. Sect. III. p. 561. b. ſ. Peucerum comm. de divinat. Piccartum, orat. de Magia. ῥαβδομαντεία * iſthæc etiam Germanis non incognita fuit, teſtibus Tacitô de M. G. Saxone Gramm. lib. XIV. Vocabulum autem fumi quidam à furno vel furvo , alii ἀπὸ βωμοῦ deducunt. Ab eo quoque Stuckius vocem *fimi* derivat; quia , inquit , fimi fumant , ſive fumum edunt; f. 138. Qvis crederet Virum non indoctum tantas nugas blatire ?

Neque adeò lucernis aut cereis ad cereos lucernaſque indigemus , cùm eæ clarè in ſacrificiis luxerint. Seneca : *Accendere aliquam lucernam ſabbatô prohibeamus?* ep. XCV. Præſertim adpenſæ januis, cum lauro & aliis ſertis , velut in omni publica privataque lætitia fieri adſolebat. Tertullianus : *Nidore thuris agitabitur, & procedet de janua laureata ac lucernata.* lib. II. ad uxor. Ovidius, IV. Faſt. v. 738.

Et tegat ornatas longa corona fores.

idem, lib. III. Faſtorum, v. 139.

Janua tunc regis poſitâ viret arbore Phœbi:

X 2 *An-*

* *Vide de hac Cœl. Rhodigin. lib. VII. c. IX. B. Joh. Corn. Dieteric. in Antiqvit. Biblic. p. m. 131. a. Joh. Henr Urſin. Volum. II. Analector. lib. V. c. III. p. 333. Stephani Iohannis Stephanii eruditiſſimi Hiſtorici Saxonis Grammatici Soſpitatoris notas in libr. XIV. dicti Saxonis, p. m. 245, b. edit. Sorana* CIϽ IϽ CXLV. *in fol.*

Ante tuas itidem, curia priſca, fores.

Idem, lib. III. Triſt. El. I. v. 39.

Cur tamen oppoſitâ velatur janua laurô,
Cingit & auguſtas arbor opaca domus?
Ipſane quòd feſta eſt, an quod facit omnia feſta?

Idem, lib. IV. Metam. v. 754.

Mactatur vacca Minervæ,
Alipedi vitulus, taurus tibi, ſumme Deorum &c.

v. 759.

Sertaque dependent tectis. - - -

Virgilius, lib. IV. Æn. v. 201.

Pecudumqve cruore
Pingve ſolum, & variis florentia limina ſertis.

Juvenal. Sat. XII. v. 89. ſ.

Hic noſtrum placabo Jovem, Laribuſque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.
Cuncta nitent, longos erexit janua ramos;
Et matutinis operatur feſta lucernis.

(Ubi *Operari*, veluti alibi ſæpiùs, idem eſt quod ſacrificare. Virg. *Sacra refer Cereri, lætus operatus in herbis.* lib. I. Georg. v. 339. Tacitus: *Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, viditque ſe operatum: Pomponius ad Veneris profectus eſt mane vetulus, votum ut ſolveret, ibi nunc operatus eſt.* lib. II. Ann. XIV. 1.) In numo quodam conſpicitur femella lucernam manu in altum protendens, & ſupra Sacerdotem jam ſacrificaturum elevans. Judæi ſimiliter diebus feſtis lucernas incenſas ante feneſtras collocabant; quod indicat ſuperciliofiſſimus Poëta, Sat. V.

Herodis venêre dies, unctâque feneſtrâ
Diſpoſitæ pingvem nebulam vomuêre lucernæ

Por-

Portantes violas; rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vinô:
Labra moves tacitus, recutitaque ſabbata palles.

At in inferiis cupreſſô januæ religatæ. Virgilius: *Intenditque locum ſertis & fronte coronat Funereâ.* lib. IV. Æn. v. 506. cùm quia non repullulat, tum quia naturæ eſt triſtis & ingratæ, natu moroſa, fructus ſupervacanei, baccis torva, foliis amara, odore violenta, ac ne umbrâ quidem gratioſa. Januæ autem ideò coronatæ, lucerniſque ornatæ, quoniam erant ſacræ, diiſque ipſis dicatæ: Unde *Janus*, *Limentinus*, *Forculus*, *Carda* &c. à Janua, limine, foribus, cardine. Apud Græcos Apollo θυραῖος & *Antelii dæmones:* His adde Veſtam, cui veſtibulum ſacratum, de quibus pluribus alii. Servius tamen aliam ſertorum in inferiis ponit cauſam: *Romani*, inquit, *moris fuit, ut potiſſimùm cupreſſus, quæ exciſa renaſci non ſolet, in veſtibulo mortui poneretur, ne quis ſacram rem facturus imprudens domum præteriret;* ad lib. VI. Æn. Ab Impp. poſteà Chriſtianis planè ſublatum ac vetitum *redimiri ſertis templorum impios poſtes, profanos aris accendi ignes, adoleri in hiſdem thura, victimas cædi, pateris vina libari, & religionis locô exiſtimari ſacrilegium.* l. Nemo venerandi. 7. C. de pag. ſacrif. & templis.

Porrò etiam lucernæ in mortuorum ſacrificiis oppidò uſitatæ, quibus non modò eæ ardentes poſitæ: Inſcribitio Salerni in urna in æde Epiſcopali:

HAVE. SEPTIMIA. SIT. TIBI
TERRA. LEVIS. QUISQ.
HUIC. TUMULO. POSUIT.
ARDENTE. LUCERNAM.

 IL-

ILLIUS. CINERES. AUREA
TERRA TEGAT.

Sed & unà in Sarcophagum cum cineribus & urna reconditæ. Eximius Philologus. Mart. Geierus Argentinæ ſe teſtatur vidiſſe effoſſas è ſepulchro gentili duas lampadas, orichalceam & fictilem; cum urnulis cinere repletis, & vitro, longioris craſſiorisque digiti formâ, liquorem aqueum adhuc continente, ſuperiore tamen parte vitrô aliô obcluſô; c. XII. §. 5. de luctu Ebr. de qualibus urnulis lacrymalibus etiam Olaus Wormius, rerum rariorum lib. IV. c. I. & VII. Gruterus in inſcribtt. Et de ampullis vitreis, alterâ cinere, alterâ aquâ repletis, in Ciceronis, ut putatur, ſepulchro inventis, Cotovicus, Itin. Hieroſol. lib. I. c. X. Hujuſcemodi urnulæ hodienum in ſplendidiſſima florentiſſimæ Reip. Norimbergenſis bibliotheca ſervantur. Lucernarum autem perplures figuras publicæ utilitati ſtudioſè contulit magni Medici filius æmulus, ſed nimium præmaturis fatis obnoxius, Fabricius; & nos ipſi quoque duarum fictilium ſepulchrô olim quôpiam erutarum picturam adducemus capite ſeq. litt. E. & F. Addidimus inſuper lucernam è lapideo monumento lit. C. & aliam Larum, lit. D. quam etiam jam ante me oſtentant alacres antiquitatum inveſtigatores Choulius & Gruterus. Digna meherc'le huc inſcribi incredenda fermè de lucerna aliqua ſepulcrali relatio Bernardi ScardeonI: *Quis ſanæ mentis*, ait, *Maximum Olibium connumerandum hîc eſſe neget?* &c. *quem conſtat fuiſſe virum maximæ præſtantiæ, & ſummô ingeniô præditum; quandoquidem tàm admirabili arte lucernam concin-*

cinnaverit, ut perpetuô fulgore lucens mille & quingentos annos plus minus Plutoni dicata ſub terram accenſa permanſerit. Nam annum circiter milleſimum quingenteſimum noſtræ ſalutis juxta Atheſten municipium Patavinum, dum foderetur à ruſticis terra ſolitô altiùs, aperta eſt urna fictilis, & in ea altera urnula, in qua erat lucerna adhuc ardens inter duas ampullas, quarum altera erat aurea, altera argentea, puriſſimô quôdam liquore plenas; cujus virtute lucerna illa per tot annos arſiſſe creditur, & niſi retecta fuiſſet, perpetuô arſura &c. &c. lib. I. de priſcis Batavis. Juncta his fuit inſcribtio, quam habemus ſupra, c. III. p. 43. Ceterùm de Lucernis * veterum ſepulchralibus vaſtô opere nuper egit Fortunius Licetus. Quare autem mortuis lucernæ accenſæ; quærit, rationemque edocet Boxhornius, Quæſt. Rom. XI.

Cereorum funaliumque in ſacris præſentium meminit Arrianus in Epict. lib. I. c. XIX. *ἠξίω τε δημαρχίας. πάντες οἱ ἀπαντῶντες συνήδονται, ἄλλος τοὺς ὀφθαλμοὺς καταφιλεῖ, ἄλλος τὸν τράχηλον, οἱ δοῦλοι τὰς χεῖρας. Ἔρχεται εἰς οἶκον, εὑρίσκει λύχνους ἁπτομένους. ἀναβαίνει εἰς τὸ καπιτώλιον, ἐπιθύει.* Idem, lib. II. *τέκνον ἂν σωθῇς ἅψω λύχνους, ταῦτ' ἐστὶ, τὰ τοῦ φιλοστόργου. μέγα σοι ἀγαθὸν ἔσται σωθέντι τοιούτῳ καὶ λύχνον ἅπτειν ἄξιον.* Latinus Pacatus Drepanius: *Quid ego referam pro mœnibus ſuis feſtum liberæ nobilitatis occurſum, conſpicuos veſte niveâ Senatores, reverendos municipali purpurâ flamines, inſignes apicibus ſacerdotes? quid portas virentibus ſertis coronatas? quid aulæis undantes pla-*

X 4

* *De Lucernis & Lampadibus perpetuis nonnulla congeſſit Gisb. Voëtius, part. I. Selectar. Diſp. p. m. 669. ſ.*

plateas, accenſiſque funalibus auctum diem? paneg. Theod. c. XXXVII. Originem funalium aperit Servius: *Funalia*, ait, *à funibus, qui intra ceram ſunt: Hos ante uſum papyri cerâ circumdatos habebant: Unde FUNERA dicta, quia funes incenſi illa præcedebant.* ad lib. V. Æn. v. 731. Numi certè & aliquot antiquitatum monumenta miniſtros ſacrificiorum cum facibus nobis ad altare exhibent: Vide c. XVIII. numum lit. C. Talem de tæda ſtatim atque ad altare ventum eſſet, à ſacerdote incenſam ait Choul: *Quand ce venoit à mettre le feu ſus l'autel, le ſacerdote l'allumoit auecques une torche, qui eſtoit faicte de tede: tant ils obſeruerent la cerimonie de leurs ſacrifices.* l. c. f. 310. Inde feſtum quoddam λαμπτήρια dictum; & Bacchus λαμπτὴρ cognomen cepit. Inprimis verò in funeribus tàm Ethnicorum quàm Chriſtianorum cerei incenſi & prælati. Videantur Durandus de rit. Eccl. lib. I. c. XXIII. Hieronymus in vit. Paulæ, Nazianzenus, orat. II. in Julian. Chryſoſt. hom. IV. in ep. ad Ebr. Sopranes, digr. II. Lipſius, not. ad Tacit. Dilherrus, Tom. II. diſp. XV. poſ. 2. Geier. de L. Ebr. c. V. §. 25. Nat. Comes, mythol. lib. I. c. XIII. Kornmann. mir. mort. p. 7. c. XLVII. Caſal. rit. vet. p. 269. Georgievitz de Turc. mor. p. 36. Per lumina hæc vim clariſſimam deorum patere in rebus omnibus, ſignificabant, eorumque puritatem oſtendebant. Plures ejus rationes habes apud Stuckium, f. 106. 107. In Eccleſia Chriſtiana olim lucernæ ac cerei accenſi ad diſcutiendas tenebras, quia noctu eis ob perſecutionem peragenda erant ſacra: Plin. lib. X. ep. VII. Unde hymni, qui ad pſalmos ibi canebantur, *Lucernales*; preces *Lucernariæ*; & officium

Lu-

Lucernarium dicebatur, ut pluribus edocet vir in veteri Chriſtianorum hiſtoria verſatiſſimus, Theologus perquàm celebris D. Hildebrand de ſacris &c. prim. Eccl. c. III. & de precibus vett. Chriſtt. c. II. §. 27. Poſteà ad lætitiam denotandam, teſte Hieronymô, c. III. contra Vigilantium. Qui portabant cereos, ἀκόλουθοι, latinè *Ceroferarii*; Iſidorus, origg. lib. VII. c. XII. Mulieres, quæ ad ſacrificia parabant, *Cerariæ* dicebantur. Turneb. lib. VII. c. VI. * Adde Summum Gruterum, lib. ſuſpp. & ad Cl. Mamert. I. paneg. c. VI. Servius matronas quoque ſacrificaturas, circa aras faculas tenentes verſari ait, ad lib. IV. Æn. Et numi antiqui hiſce fidem faciunt.

Porrò lucernæ etiam in arboribus ſuſpenſæ. Prudentius; lib. II. contra Symmach. v. 1009.

Et quæ fumificas arbor vittata lucernas
Suſtinuit.

quia nempe illæ & ſacræ, & templorum vice habitæ ſunt. Ovidius, lib. III. Amor. El. I. v. 1.

Stat vetus & multos incidua ſilva per annos,
Credibile eſt illi Numen ineſſe loco.

Theocritus in Hel. epithal. idyll. Iή:

* Non credo B. Auctorem inſpexiſſe Turnebum ipſum, cùm ejus verba, qvæ adpono, aliud planè velint: *Plautus Mil. III. I.* 102. Jampridem, *inqvit*, qvi nihil abſtulerit, ſuccenſet ceraria: *Hìc ego* Gerariam *legi debere ſuſpicor, ut ſit puerulorum gerula: atqve ut onerariam navim* gerariam *vocavit, item qvoqve infantium gerulam adpellavit* gerariam. *Scio non deſſe accerrimi homines & erudititiſſimi judicii, qvi* cellariam *depoſitô pignore ſcribendum contendant: Sed illi, ſi ita eis placet legant, ſuumqve pignus auferant.* Ut ſic Tùrnebus non ſolùm *Cerariam* rejiciat, ſed etiam *Gerariam* planè aliter interpretetur, ac Noſter.

γϱάμματα δ' ἐν φλοιῷ γεγϱάψεται (ὡς παϱ-
ιὼν τις
ἀγνοίη) δωϱιςὶ, σέβου μ'. Ἑλένας φυτὸν εἰμί.

Seneca : *Si tibi occurrit vetuſtis arboribus & ſolitam altitudinem egreſſis frequens lucus, & conſpectum cœli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſubmovens: Illa proceritas ſilvæ, & ſecretum loci, & admiratio umbræ, in aperto tàm denſæ atque continuæ, fidem tibi numinis facit.* ep. XLI. Plinius : *Hæ fuêre numinum templa, priſcóque ritu ut ſimplicia rura, etiam nunc deo præcellentem arborem dicant*: *Nec magis aurô fulgentia atque ebore ſimulacra, quàm lucos & in iis ſilentia ipſa adoramus. Arborum genera numinibus ſuis dicata perpetuô ſervantur; ut Jovi eſculus, Apollini laurus, Minervæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus: quin & Silvanos, Faunoſque & deorum genera ſilvis ac ſua numina, tanquàm & cœlo attributa, credimus.* H. N. lib. XII. c. I. Germani præcipuè quercus ſacras habebant, teſtibus Plin. lib. XVI. c. ult. Crantziô, Vand. lib. IV. c. XXIII. quas ſingularibus ritibus ſacrabant, quos Cromerus recenſet lib. XV. Lege, quæ de quercu egregiè coacervavit Schedius de D. G. lib. II. c. XXIV. Inde fortè factum, quòd Muhammedes ſub arbore inauguratus fuerit, ut prodit Elmacinus, lib. I. Hiſt. Sarac. Cui autem Deorum ſingulæ arbores ſacræ, vide apud Benedictum Curtium, lib. III. de hortis: & Meurſium F. in Arboreto ſacro: Item cur arbores & ſilvæ ſacræ ſcil. propter umbram, apud Wouwerium in pægnio, c. IX.

Pinos ſacras, inquit Arnobius, *inde velarier & coronarier, quòd Atys ſe ſub pino caſtraverit; imò & lanâ,*

lanâ, quâ Cybele filium contexit, ligari. lib. V. adverſ. Gent. Hinc Servius ad illud Virg. *ſacrâ pendebit fiſtula pinu.* Ecl. VII: 24. *SACRA ſcil. matri Deûm conſecrata.* In hujus ſacris pinus etiam portabatur, quæ geſtatio δενδροφορεία nuncupabatur, velut geſtatores δενδροφόροι. Adi Strab. lib. X. & Voſſ. de Idol. lib. I. c. XX. lib. II. c. LIII. Cum hac Cybele eadem erat Iſis, ſationis, molarum, frugum, coctionis panis &c. repertix. Inſcribtio (quam tamen ſpuriam eſſe Gruterus & viri Magni judicant) Calletiæ Hiſpan. in columna: EGO. ISIS. SUM. ÆGYPTI. REGINA. A. MERCURIO. ERUDITA. QVÆ. EGO. LEGIBUS. STATUI. NULLUS. SOLVET. EGO. SUM. MATER. OSIRIDIS. EGO. SUM PRIMA. FRUGUM. INVENTRIX. EGO. SUM. ORI. REGIS. MATER. EGO. SUM. IN. ASTRO. CANIS. REFULGENS. MIHI. BUCASTIA. URBS. CONDITA. EST. GAUDE ÆGYPTE. QVÆ. ME. NUTRISTI. Inprimis etiam Germanis culta, quod ex Belgico, Bojarienſi, Auguſtano Vindelicorum, & ſcribtorum monumentis oſtendit Schedius de D. G. lib. I. c. IX. conjicitque exhinc urbis Auguſtæ Spicam inſigne † fuiſſe, quòd Iſis maximè in Vindelicio eſſet culta; inde in nucem pineam, fragum, morum, cinarum quoque vel cactum ab inertibus & inexpertis

† *Miror hoc de inſigni nihil tradere Carolum Stengelium, Abbatem Anhuſanum Ordin. S. Benedicti in Commentario rerum Auguſtan. Vindelit. quem lego ex edit. Ingolſtad. M. DC. XLVII. in 4to.*

tis pictoribus mutatam. Argutior hæc fortè, quàm verior opinio. Quin ego totis pedibus in Münſteri ſententiam concedo, qui pineam ait eſſe nucem, cùm pinus manifeſtò Iſidi ſacra fuerit. Ab Iſide adhuc locis quibuſdam Germaniæ nomina, Iſenberg / Iſſleben / Iſenach &c. De arboribus & ſilvis ſacris plura Cœlius Rhod. L. A. lib. XII. c. 1. Lipſius ad. Tac. Germ. Bernartius * ad lib. V. Theb. StatI. P. Colvius ad lib. VI. Metam. Apul.

Iſraëlitæ ubi ad talem arborem veniſſent, prohibebantur לישב בצל קומתה ומותר לישב בצל השריגים העלים שלה ואם יש לו דרך אחרת אסור לו לעבור תחתיה ואם אין שם דרך אחרת עובר תחתיה כשהוא רץ : id eſt *Conſidere ſub umbra trunci ejus, & quod reſiduum eſt; jacere ſub umbra ſurculorum, &* (ſub umbra) *foliorum requieſcere: Si via ſit alia, tranſire ſub ea nefas; ſin alia deſit, curſim ſub ea tranſeundum.* R. Maim. lib. עב"ם c. VII. §. 16. Neſcio hîc quid juveni ſublimis ingenii, ſed ſatis crudis & præcocibus infeſto Dionyſio Voſſio in mentem venerit, quod verba citata vertat: *prohibentur in umbra trunci ejus conſidere; at ſub umbra foliorum & ramorum licet.* Præter enim quod מותר participium ſit ab היתר quod eſt â יתר & ſignificet, *reſiduum eſſe, ſupereſſe remanendo,* & ſimiliter: etiam planè contrarius â Voſſio inducitur ſenſus. Omninò enim etiam ſub foliorum & ramorum umbra jacere vetitum fuiſſe ex §. ſeq. 19. perdiſcimus, ubi R. Moſes de tota in genere arbore dicit : מפני שצל האשרה שהוא אסור id eſt, *Quippe umbra arboris*

* *De hoc loco dubito, an ibi quid habeatur hoc de argumento, meam ſanè effugit diligentiam is.*

arboris illa ipſa prohibita· Et c. VIII. diſertè indicare videtur: *Arboris, qvam quis adorat,* כל השריגים והצלים והלולבין והפרות שיוציא כל זמן שהוא נעבד הרי אלו אסורין בהנאה: id eſt *omnes ſurculi, folia, flores & fructus, quamdiu ea colitur, ratione uſus interdicuntur.* §. 6.

Ecquid verò lucernæ ad arbores, ſacrificiô in templo peractô? Ex Virgilio id edoctus aræ in ipſo templo propinquam video arborem. lib. II. Æn. v. 512.

Ædibus in mediis, nudoque ſub ætheris axe,
Ingens ara fuit, juxtaque veterrima laurus
Incumbens aræ, atque umbrâ complexa Penates.

Et paulô pôſt, v. 713.

Eſt urbe egreſſis tumulus templumque vetuſtum
Deſertæ Cereris, juxtaque antiqua cupreſſus,

Planè quoque ad rem Ovidii verba lib. XII. Metam. v. 11.

Hic patrio de more Jovi cùm ſacra paráſſent,
Ut vetus accenſis incanduit ignibus ara,
Serpere cæruleum Danai vidêre Draconem
In platanum: cœptis quæ ſtabat proxima ſacris.

Clarè idem indicat R. Moſes Maimonides: הנוטע אילן אצל המזבח זה לוקה שנאמר לא תטע לך אשרה כל עץ אצל מזבח ה׳ אלהיך מפני שהיתה זה דרך עכום נוטעין אילנות לצד מזבח שלה כדי שיקבצו שם העם: id eſt *Qui arborem juxta aram plantat, ille vapulat; quia dicitur* (Deut. XVI. 21.) *Ne plantes lucum qualiſcunque arboris juxta aram Domini Dei tui. In cauſa eſt, quod mos ille idololatris eſſet, plantare arbores juxta altare ſuum, ut ibi populus congregaretur.* lib. de Idol. c. VI. §. 12.

Hoc

Hoc ipſum deprehendes in marmore Rom. quod habet Choul. p. 98. & numis ejuſd. p. 119, 120. itemque in noſtro lit. E. c. XVIII. Ita Fagantal erat templum Jovis, in quo fagus, teſte Feſtô. Quin imò ex medio ararum ſæpiſſimè arbores percreſcebant. Vide Schedium de D. G. lib. II. c. XXV. Accedit, quòd porticus templorum lucis ſpatioſiſſimis plerumque fuerint obſitæ: Veluti platanorum ex utraque parte nemore celebris eſt Pompeji porticus ἑκατόνςυλος, de qua l. 2. Mart. l. 3. Auguſti porticus myrtô, laurô, ac buxô circumdata perpetuæ viriditatis dicitur, Liviæ uxoris vite inumbrata. Herodotus: ἔςι δὲ ἔσωθεν ἄλσος δενδρέων μεγίςων πεφυτευμένων περὶ νηὸν μέγαν. ἐν ᾧ τῷ δὴ τὤγαλμα ἔνι. in Euterpe. Omittenda hîc neutiquàm divinatio ex lucernis, forſitan etiam ſacris, quæ ad πυρομαντείαν ſpectat. Exemplum habemus apud Apuleium, qui ſcribit: *Cùm ecce jam veſperam lucernam intuens Pamphile, quàm largus, inquit, imber aderit craſtino? & percontanti marito: qui comperiſſet iſtud? reſpondit; Sibi lucernam prædicere. Quod dictum ipſius Milo riſu ſecutus; Grandem, inquit, iſtam lucernæ ſibillam paſcimus, quæ cuncta cæli negotia & ſolem ipſum de ſpeculâ candelabri contuetur. Ad hæc ego ſubjiciens: Sunt animo prima hujuſmodi divinationis experimenta, nec mirum, licet modicum iſtum igniculum, & manibus humanis laboratum, memorem tum illius majoris, & cæleſtis ignis, velut ſui parentis, quid eſſet editurus in ætheris vertice, divinô præſagiô, & ipſum ſcire, & nobis enunciare.* lib. II. Metam.

Hujusmodi lucernam & laurum ſacrificuli & vates ferebant, ut eô ſcil. ornatu auguſtiores eſſent: Seneca:

ca: *Cùm aliqua genibus per viam repens ululat, laurumque linteatus ſenex & mediô lucernam die præferens, conclamat iratum aliquem deorum, concurritis.* c. XXVII. de brevit * vit. Vide Lips. Elect. lib. I. c. III. Regibus quoque Aſiaticis ignis præferebatur, cujus cauſſam ſuppeditat Ammianus Marcellinus, *Ferunt*, inquit, *etiamſi juſtum eſt credi, ignem cælitus labſum apud ſe ſempiternis foculis cuſtodiri, cujus portionem exiguam, ut fauſtam, præiſſe quondam Aſiaticis regibus dicunt.* Audiebant autem ſacerdotes *πυρφόροι* vel *πυροφόροι*, non quidem ab igne aris imponendo, ſed quod in aciebus lucernam cum lauri ramo prætulerint. Luiſius Legionenſis: *πυροφόροι in re militari olim dicti ſunt, qui aciebus in procinctu ſtantibus, & ad congrediendum paratis, ipſas anteibant acies, alterâ manu lauri ramos, alterâ lampada præferentes.* Tantum ille, Quæ dixit, ab Alexandro Neapolitano ſumſit: cujus en verba: *Prævaluitque Græcorum mos, ut quoties procinctæ acies congredi pararent, ante prima ſigna ſtaret vates, laureos ferens ramos & corollas, cui Pyrophoro dixêre nomen, quoniam lampada præferret, quem violare ſummum habebatur nefas, quòd legati munere fungeretur.* dier. lib. V. c. III. circa fin. Eadem penè verba Cœlius Rhodiginus habet, lib. VIII. A. L. c. II. ſed vocat *πυρφόρον*, & citat Suidam ac Pollucem. Certè Suidas luculenter etiam uſum adagii propoſuit, *πυρφόρον* ſolitum ignem præferri ab ipſis Sacerdotibus exercitui, & hos ſolitos inviolabiles haberi. Ideò cùm

vellent

* *malè, locus enim legitur in libro Senecæ de Vita Beata.*

vellent indicare crudeli victoriâ omnes ad unum cæſos, dicere ſolitos: *οὐδὲ πυρφόρος, nec ignifer evaſit.* Breviter Heſychius, *πυρφόρος, ὁ πῦρ φέρων, καὶ ὁ μόνος διασωθεὶς ἐν πολέμῳ.* id eſt: *Pyrphorus, qui fert ignem & ſolus ſalvabatur ſeu morti eximebatur in bello.* Habes in conlectaneis adagiorum Græcorum & ex Euſtathio, Iliad. μ'. notat Eraſmus in adagio: *Ne ignifer quidem reliquus eſt factus*, Chil. I. cent. X. n. 26. Utuntur hâc locutione Herodotus in Urania: *μηδὲ πυρφόρον ἐκφυγόντα περιγενέσθαι, nec igniferum quidem effugientem ſupereſſe.* Et Philo Judæus, lib. I. de vita Moſis: *ὡς μηδὲ πυρφόρον ἀπολειφθεῖναι τὸν ἀπαγγελοῦντα, ut nec reliquus eſſet cladi vel ignifer, qui nunciaret.* Excerpta hæc ſunt â nobis ex Hiſpano undiquaque expolito Del-Rio Adag. V. T. 984. in quo omnia illa de *πυρφόροις* verbis his ipſiſſimis conlegit. Curtius etiam de Perſis memorat, ignem, quem ipſi *ſacrum & æternum* vocabant, agmini Darii argenteis altaribus prælatum fuiſſe; IV. XIV. 24. Similiter de Lacedæmoniis Xenophon: *Repetam autem altiùs, quô pactô cum copiis in expeditionem rex proficiſcatur. Primùm igitur domi adhuc rem divinam facit Jovi Ductori, & adjunctis diis: Quòd ſi tum litatum fuerit, ſumit ex ara ignem is qui Ignifer dicitur, & præcedit ad terminos uſque regionis; quo cùm perventum fuerit, iterum rem divinam facit rex Jovi & Minervæ, quibus ambobus diis placatis ita tranſit terminos regionis, ac ignis quidem de his ſacris præfertur inexſtinctus, hoſtiæ autem omnis generis ſequuntur.* lib. de form. civit. Laced. ex verſione Joachimi CamerarI. Adagiò ille vetus certè latet apud S. Prophetam, quando eò Jeſaiæ verba conlimare videntur: *Ecce Dominus diſperget ter-*

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google

Ad Cap. XVII.



Digitized by Google

terram, & nudabit eam, & diſſipabit habitatores ejus, & erit ſicut populus ſic ſacerdos; c. XXIV. 1. 2. Quæ repetit Oſeas IV. 9. Senſus ferè erit talis: Tantâ obruentur devaſtatione, tantâ clade, ut etiam πυρφόροι ac ſacerdotes, ſemper aliàs periculis vacui, & à nece intacti, non ſecus ac ceteri, contra jus belli, occiſionem paſſuri ſint. Ab hoc fecialium, qui apud Romanos erant πυρφόροι, officio, proverbium πυρσὸν ἀνάπτειν id eſt facem accendere, pro eo, quod eſt fomitem & incrementum malo ſubducere, ortum fuiſſe docet Hadr. Junius, cent. II. prov. XXXIII.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

CAPUT XVII.

Spondæa. *Judæorum vaſa ac inſtrumenta ſacrificalia. Gentilium vaſa luſtralia: Lauri & olivæ uſus in luſtratione.* Adſpergillum: Litui: Tubæ: Tibiæ: *Hæ etiam in luctu adbibitæ. Ebræorum* חליליו. *Loco Matthæi ingens lux adfunditur.* Gingras *quid? Ejus etymon.* Siſtra: Siſtrati *quinam?* Crotala. *unde?* Crotalia. *Gruteri falſa opinio circa crotalorum picturam perſtringitur.* Tympana, crepitacula. Cerei, candelabra, lucernæ. *Choull conjectura ridicula. Inſtrumenta ad percutiendum victimam.* Vagina cultraria: *Eam quis geſtaverit? Inſtrumenta*

Græcorum. Romanorum Malleus: Venabula: Gladius Delphicus: Lapis: Securis. *Inſtrumenta ad jugulandum, excoriandum, diſſecandum.* Seceſpita: Σπάγὶς *id eſt* Enſis: Secia: Dolabra. *Choulius caſtigatur. Menſarum ſacrarum uſus: Unde* Anclabres *dictæ?* Cibiles, Aſcariæ, Curiales. Ἀιμνία, Σφαγεῖα, πιμανδεῖαι, κεράνδεια. Diſcus. Ollæ. Extares. Verua: *Veruum apud vett. forma.* Cochlearia. *Ahenorum uſus. ServI verba explicantur.* Salinum: Patella. Ἐπιτραπέζια. Patellarii dii *quinam?* Lares Patellarii. Acerræ. Vatillum. Οὐλοχοῖον. Caniſtra. Menſæ libatoriæ. Tripodes: *Eorum cortinæ.* Cortina *quid?* Præfericulum. Gutti *&* SumpulI *etymon: Eorum locô in conviviis epicluſis & cyathus.* Sumpulatrices *mulieres.* Carcheſia. Cymbia. Pateræ. Crateres, *& eorum uſus:* γαυλὸι: Σκαφίδες. Cothurna. Pellæ. Mellaria. Calices. Hirneæ: Hirnellæ. Sympinia. Sinus. *Quædam alia vaſa libatoria.* Ciſtæ *in myſteriis: Myſteria* Secluſa *&* Opertanea ſacra *dicta, cur? Myſteria quædam recenſita.* Ἐλευσφόρεια *unde?* Ἐλέναι. Ὀργίων *duplex ſignificatio: Eorum etymon.* Initia. *Cur myſteria dicta?* *Voſ-*

VossI erronea ratio. Initiari *quid?* Initiati: Initiorum *dies.* Μύησις. Μύςης *quinam? Quis* Ε'πόπ]ης? Μυεῖσθαι, Τελεῖσθαι *&c. Sacrificia cur* Τέλη *dicta? VossI ratio declinans.* Μυςικὴ θυσία. *Initiandi per certos cruciatus ducti.* Tympanum *ac* Cymbalum *myſteriorum patinæ ac cyathi. Symbola quædam myſteriorum recenſita.* Naves *ſacræ. Cælatura vaſorum ſacrorum: Ideò Judæis vaſa S. gentilium prohibita.* Vaſa Sigillata: Sigilla. *Vaſa abluta in ſacrificiis & coronata. Vaſa S. ex auro & argento: Quibuſdam gentilibus in ſacris magni æſtimata, quibuſdam rejecta. Vaſa S. è gemmis: E vitro: Ex ære. PersI locus contra ſcholiaſtarum ſententiam explicatus. Ærarium in templo Saturni. Æs Corinthium. Vaſa S. è vimine. Ex ligno. Tibiarum materia alia in ſacris, alia in ludis. Vaſa S. victilia. Vaſa* Samia. *Fictilia Numæ complacita: Qui etiam auctor collegii VII. figulorum. Luxus veterum in fictilibus vaſis. Vaſa* Coptica.

Inſtrumenta ſacrificalia, vaſaque cultui deorum deſtinata, antequàm victimemus, è ſacrario depromenda erunt, quæ *Spondæa* dicta ſunt, referente Suidâ: σπονδεῖα ἐςιν ἀγγεῖα, ἐν οἷς σπένδουσι. Vide & Pol-

 lu-

lucem * & Athenæum, lib. XI. Sacerdos apud Apulejum *de penetrali fonte petitum Spondæum* † *libat.* lib. XI. Metam. Scribtus liber, nondum nobis viſus, à Lilio Gregorio Gyraldo Ferrarienſe, viro ſatis famoſo, literatorumque ſui ævi principe (claruit autem A. S. 1543.) de vaſis, quæ ad deorum ſacrificia, eorumque cerimonias pertinent, quem citat Balthaſar Werlinus Colmarienſis, addit. 2. ad lib. de Scribtt. Eccll. Johannis de Trittenheim ſive Tritthemii, qui κατ' ἐξοχὴν Abbas Spanheimenſis vocabatur. In Judæorum æde reperimus *lebetes*, *ſcopas*, *crateras*, *tridentes*, *candelabra*, *lucernas*, *menſas*, *ſcutellas*, *cochlearia*, *opercula*, *forcipes*, *conchas*, *pelves*, *mare*, *acerras*, *polubra*, *cultros* (quibus ſcil. victimas, vel excoriabant, vel mactabant Levitæ, 2 Paral. XXIX, 35. & alibi) Exod. XXVII, XXX, XXXVII, XXXVIII. 1 Reg. VII. Eſdr. I. Aqua apud eos ſervabatur in vaſe dicto כיור cujus deſcribtionem vide apud Maimonidem in Hilcoth Beth Habbechira. Candelabri aurei, quod in exortu ſolis radios emiſit, unde omnes cognoverunt inſtare tempus, quô Schemah legeretur, quod Helenà, Monobazi regis mater, fecit, meminit Joma, c. III. §. 10. Erant & urnæ ſacræ, in quas ſortes conjiciebantur, ſicubi iis opus erat: Quales aureas fecit Gamlæ filius, qui inde in laudem memorabatur l. c. §. 9. cum not. Sheringham.

Gentilibus ante ſacrificia VASIS LUSTRALIBUS opus erat, quorum aliqua c. XI. attigimus. Eorum quædam domi habebantur; quædam in deductione præferebantur; quale nobis ex antiquitate depingit Choul

* *lib X. c. XVIII.* † *in mea Francof. MDCXXI. p. 266. eſt* ſpondeo.

Choul, p. 291. de relig. vett. Romanorum. Quædam ante templum erant conſtituta, cujus iterum figuram habet Choul, p. 290. & nos ex eo ſub initium hujus c. lit. B. Eumdem fortè uſum habebant LEBETES ſive pelves circum Jovis fani parietes locatæ, de quibus Parrhaſius in epiſtolis. Fiebat autem luſtratio vel ramô lauri aut olivæ, vel certô adſpergillô ad id factô, cujus figura extat apud Choulium in monumenti fragmento, p. 289. in numis argenteis Jul. Cæſ. p. 249. ac Antonini Pii & M. Aurel I, p. 322. & nos ipſi eam huic c. litt. A. præfiximus. In ipſa deductione, veluti poſteà in ſacris & epulis (uti ſuô locô prolixiùs memorabimus) tibicinum ſtrepitus & liticinum cantus perſonabant. Canebant hîc LITUIS, buccinæ genere incurvô, ſacrificiorum adminiſtris ferè communi, gracilem edente ſonum, quô aliàs in bello utebantur. Eorum forma aliquoties in numis viſitur: præſertim in noſtro, cap. ſeqq. litt. C. TUBIS, inſtrumentô incurvô ex ære argentove, cujus ſonitu non tantùm ſacrificantes excitabantur, ſed milites equique inflammabantur, mortuique efferebantur, teſte Petrô Victoriô, V. L. lib. IX. cap. XIV. TIBIIS, inſtrumentô, muſicô, oblongô, terete & foraminoſô, quod inflatum & digitis modò adductis modò reductis temperatum, non injucundam reddit ſymphoniam. Iis etiam in luctu utebantur, teſte Feſtô. Quibus ſimiles erant Ebræorum חלילין כלי שיר שהון נוהגים בספוד לקונן עליהם כדי לעורר סבבי id eſt, *Chalilin, inſtrumenta ad canendum, quibus in luctu cantabant ad minuendum fletum.* Sed Ambroſius ad excitandum luctum factum ait. Hinc clareſcit lo-

 cus

cus Matthæi: ἐλθὼν δὲ Ἰησοῦς εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἄρχοντος, καὶ ἰδὼν τοὺς αὐλητὰς καὶ τὸν ὄχλον θορυβούμενον, λέγει αὐτοῖς &c. c. IX. 23. Vide Dion. Voſſium ad Maim. de Idol. c. IX. §. 10. De Tibiis prolixè Stuckius, f. 111. & ſeqq. GINGRAS (quomodo & Adonis vocabatur) tibia erat in Adonidis ſacris uſitata. Jul. Pollux: Γίγγρας δέ τις αὐλίσκος γοώδης, καὶ θρηνητικὴν φωνὴν ἀφίεσι. Dicitur ita, quòd à gruis vel anſeris tibia fieret, quæ Ebræis עגיר dicitur, ut, autumante Voſſiô, ע facile in ג mutari potuiſſet: Vel quia anſeris proprium eſt Gingrire. Conſule de his omninò Phil. Beroaldum ad lib. IV. & X. Metam. Apul. Addenda his ſunt SISTRA, inſtrumenta ſtridula, & ſonabilia, Iſiacorum peculiaria, qui ob id *ſiſtrati* nominantur. Vide Beroald. ad lib. II. Metam. Apul. * CROTALA, inſtrumenta ſonora & crepitantia à pulſatione dicta, orbiculis æneis ſonum conliſione reddentibus. (Græci κρότον dicunt plauſum ac ſtrepitum & κροτέω plaudo, κροταλίζω ſtrepo.) Plinius, lib. IX. c. XXXV. docet *crotalia* adpellari margaritas quaſdam reſonantes, quarum ſonô conliſuque gaudebant. Vide eumdem Beroald. ad lib. VIII. Metam. Crotalorum picturam adducit Gruterus in Herculeo Inſcribtionum opere ex ara marm. Rom. atrii domus Cardinalis Cæſii, p. 27. & ex ara Cybeles, in æde D. Nicolai in Calcaria; necnon è marmore Marſilienſi Cybeles, itemque

* *item Benedict. Bacchinum in peculiari Tractatu de Siſtris, Trajecti edito annô M DCLXXXXVI. in 4to. Cui & Cl. Jacob. Tollius ſuam Diſſertatiunculam de Varia Siſtrorum figura adjecit.*

que è poſtico palatii Cardinalis Trivultii, p. 28. Multo tamen ab hac alienam veroque ſimiliorem proponit Simon Abbes Gabbema comm. in Petron. ita, ut quæ Gruterus pro crotalis venditat, cymbala profectò eſſe videantur, quibus ſimiliter, ut & tympanis, ac crepitaculis, Sacerdotes Iſiacos uſos, ex Apulejo conſtat. Geſtabantur porrò in ipſa deductionis pompa *Faces*, *Cerei*, *Candelabra*, *Lucernæ*, quæ & in limine templi, & prope ipſam aram ſcintillabant, quarum multifarias figuras Fabricius civis meis publico dedit, & nos aliquas cap. huic litt. C. D. E. & F. præfiximus. In marmore ſuper fores templi cujuſdam antiquiſſimo, quod popas cum victima ad ſacrificium pergentes exhibet, Sacerdos manu fert corbem, cui molam ineſſe ſalſam, miror, quis inſuſurraverit Choulio, f. 328.

Ubi conficienda veniret victima, præſtò erat VAGINA, ſeu theca cultorum omnium, quam attulit Choulius, p. 323. & nos initiô hujus cap. litt. G. Hanc victimariorum unus de Zona pendentem geſtabat, quod ex columna Trajani adparet apud Choulium, p. 324. vel etiam ipſe ſacerdos. Vide eumdem, p. 315. Talia apud Græcos inſtrumenta erant, πέλεκυς, ξίζα, σκυτάλὴ, ῥόπαλος, imò & κόρμος: Apud Latinos MALLEUS vel ligneus, vel ferreus, cujus pictura eſt apud Barthol. Marlianum, Guilhelmum Choulium, p. 311. 313. 315. 326. & in frontiſpicio cap. hujus litt. H. VENABULA ſive haſtæ. Prudentius. hym. XIV. περιστ. v. 1026.

Hic ut ſtatuta eſt immolanda beſtia,
Pectus ſacratô dividunt venabulô.

Adde C. Jul. Solinum, de reb. mem. c. XLII. GLADIUS DELPHICUS, de quo Eraſmus in Chill. LAPIS vel SILEX, quô in fœdere pangendo utebantur. SECURIS ænea, quam conſpicies apud Choulium in numo argenteo, p. 217. & in marmm. p. 250. 322. de relig. vett. Rom. & lib. Ejuſd. de Caſtramet. Rom. p. 50. Itemque in tabella hujus capitis, litt. I. & K. Adde tab. cap. ſeq. litt. F. De ea Horatius, lib. III. od. XXIII. v. 12.

Victima Pontificum ſecures
Cervice tinget.

Prudentius in apoth. v. 529.

Pontificum feſtis ferienda ſecuribus illic
Agmina vaccarum ſteterant. - -

Percuſſâ victimâ, promebantur cultri. Seneca: *Tangenſve ſalsâ victimam culter molâ.* Thy. Actu IV. ſc. I. v. 688. Prudentius: *Jamque inſertatô reſerabat viſcera cultrô.* in apoth. v. 532. Quibus victimam vel jugulabant, vel excoriabant, vel diſſecabant. Talium nomine veniebant SECESPITA (Pontificibus, Flaminibus & Veſtalibus valde in uſu) culter ferreus, oblongus, manubriô eburneô, rotundô, ſolidô, vinctô ad capulum; argentô aurôque fixô, clavis æneis, ære Cypriô, quam in tabella depinximus, litt. L. & N. & Choulius oſtendit, p. 250. Svetonius: *Sacrificanti pro ſeceſpita, plumbeum cultrum ſubjiciendum curavit.* in Tib. c. XXV. Vide ſubtiliſſimi Caſauboni not. in h. l. ΣΦΑΓΙΣ ſive σφάγανον, ENSIS vel *Clunadum*, culter, quô jugulabantur, quem vide in tabella noſtra litt. M. & apud Choulium, p. 314. SECIA, qua-

qualem fregit Heliogabalus, teſte Lampridiô in vita ejus. DOLABRAM autem ſive Scenam ad deglubendum hoſtias percuſſas & jugulatas adhibebant, quod penitus non intellexit Choulius, qui ſcribit : *Le couſteau duquel eſtoit de membreé la victime, & duquel uſerent les ſacrifiteurs, eſtoit nomme des Latins. DOLABRA PONTIFICIA. Tite Live a nommé SEVA le couſteau, duquel ils coüppoyent la gorge à la victime, autrement nommé A SECANDO SECESPITA. Et proprement les petits couſteaux, deſquel eſtoyent tuées les petites victimes eſtoyent nommez CULTRI*, p. 321. Latiùs hæc tractata habes apud Stuckium, f. 109. 110.

Percuſſa victima, ſacræ imponebatur MENSÆ, in qua & jugulabatur, & excoriabatur, & dividebatur, & exta ejus inſpiciebantur. Eæ in genere â vaſis anclabribus, *anclabres*; ſi eſſent rotundæ, *cibiles*; ſi quadratæ, *aſcariæ*; ubi Junoni ſacrificabatur, *curiales* dicebantur. Vide Feſtum. Erant quoque aliæ ſacræ menſulæ, qualem ex lauro invenire eſt apud Marcellinum, lib. XXIX. c. I. Jugulatæ ſangvis excipiebatur ΑΙΜΝΙΟΙΣ & ΣΦΑΓΕΙΟΙΣ, quæ ſunt vaſa ſacra ad excipiendum ſangvinem, aliàs ποιμανδείαι & χερνίδεια dicta, ut monet παγχρύσεος Scaliger. Conſpiciuntur, in numis Auguſti & Caligulæ apud Choul. p. 69. & p. 315. Victimæ exenteratæ exta DISCO ſive LANCI inferebantur, quam ex antiquitate eruit Choul, p. 315, 316. Et nos in tabella proponimus litt. O. è marmoris antiquiſſimi, quod eſt Angleriæ in delubro Tutelæ, altero latere, ubi hujuſcemodi diſco aquila inſidet, & in altero latere marmoris; integrum

grum viſitur ſacrificium, venerandam & ſingularem antiquitatem redolens. Exta certæque victimæ partes ſive diis ſive ad epulas ſacras coquebantur OLLIS, ut refert Varro, quæ EXTARES dictæ ſunt, teſte Meurſiô. Taubmannus: *In antiquo Lexico Extar exponitur olla, ubi exta coquebantur.* Plaut. in Rud. I. II. 43.

Non herc'le adoleſcens, jam hos dies compluſculos
Quemquam iſtic vidi ſacruficare: neque poteſt
Clam me eſſe, ſi qui ſacruficant. Semper petunt
Aquam hinc, aut ignem, aut vaſcula, aut cultrum aut veru,
Aut aulam extarem, aut aliquid.

Depinxit eam Choul. p. 328. 329. Vel VERUBUS aſſabantur. Virgil. *Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis*, lib. II. Georg. v. 396. Vide Plaut. l. c. Erant autem antiquorum verua ὀϐολοὶ & πεμπώϐολα inſtar craticulæ, quaſi cuſpides plures connexæ, quibus carnes adfigebantur, & flammâ exurebantur, Vide Stuck. f. 146. In marmore antiquo, ſuper portam templi, Popa COCHLEAR geſtare, & ad ſacrificium pergere videtur. Aquam ad victimas, aut epulas, calefaciebant AHENIS, quæ Græci χύτρας vocant. Virgilius, lib. V. Æn. v. 101.

Onerantque aras, mactantque juvencos,
Ordine ahena locant.

Paulus JCtus: *Ahenum, quod ſupra focum pendet: Hôc aqua ad portandum caleſit.* l. cum de lanionis. §. aſinam. ff. de fund. inſt. Longè aliter Servius: *Ahena, quibus lavabant carnes, non elixabant.* ad lib. I. Æn. v. 217. Scholiaſtam tamen uſum hunc ahe-

ahenorum in ſacris nec ignoràſſe, nec negâſſe arbitror; loqui autem illic de peculiari & profano quidem uſu, quando peregrinantes ahenis utebantur, quod ex ſeqq. Scholiaſtæ colligere eſt. In arcu Romæ in foro boario cernuntur taurorum immolationes, & victimarii ſacrificuli cum inſtrumentis, malleo, cultro, ſecuri, aheno, capite, pateris, flabello, candelabro, linteis & quibuſdam aliis, ad ſacrificia pertinentibus. Vide Fabricium in Roma, c. VII. p. 82. In ceteris oblationibus habebantur SALINUM & PATELLA: Illud vas erat, cui ſal ad menſæ & ſacrificiorum uſum imponebatur. Arnobius: *Sacras facitis menſas ſalinorum adpoſitu & ſimulacris deorum*, lib. II. adverſ. Gent. quæ ſalina exinde cum ſigillis ἐπιτραπέζια vocabantur. *Patellæ* vero vaſa erant picata, auctore Feſtô, ſacrificiis faciendis apta: Cicero & Livius *fictilia* dicunt. Talem videre mihi videor in numo cap. ſeqq. litt. A. Val. Max. *C. Fabritium ſalinum & patellam deorum habuiſſe* ſcribit, IV. IV. ex 3. Perſius, Sat. III. v. 25.

Eſt tibi far modicum, purum & ſine labe ſalinum,
(Quid metuas?) cultrixque foci ſecura patella eſt.

Hinc Dii Semones & Medioxumi, (id eſt, qui non ſunt cæleſtis, ſed mediæ poteſtatis) *Patellarii* dicti, quod patellâ colerentur, non autem juſtô ſacrificiô, cæſis victimis. Vide Cœl. Rhod. L. A. lib. II. c. III. Andr. Alciatum, Lex. Plaut. voc. Medioxumi; item voc. Patellarii. De Laribus Patellariis lege Bernartium ad lib. I. Theb. Statii. v. 553. ACERRAS arculas fuiſſe tradunt Grammatici, ubi thus reponebatur. Virg. *Farre piô & plenâ ſupplex veneratur acerrâ,*

râ; lib. V. Æn. v. 745. ad quæ Servius: *id eſt arcâ thurali*. Horat. *Quid velint flores & acerra thuris Plena miraris*; lib. III. od. VIII. v. 2. Perſius: *At bona pars procerum tacitâ libabit acerrâ*; Sat. II. v. 5. Vide Ovid. lib. VIII. Metam. Prudentius *Thuribula* vocat.. † hym. III. περιστ. Eorum pictura exſtat apud. Chuolium, lib. de Rel. vett. Rom. in variis numis & marm. p. 135. 237. 298. 315. 325. nec-non lib. de Caſtramet. Rom. p. 50. & in tabella noſtra litt. P. VATILLUM Helenius Acro dicit deminutivum â vaſe, vas parvum, in quo pro felici hoſpitum adventu, incenſis odoribus ſacra fiebant. Refero etiam huc ΟΥΛΟΧΟΙΟΝ ſive ὀυλοχοῖον, ἀγγεῖον, εἰς ὅ αἱ ὐλαὶ ἐμβάλλονται πρὸς ἀπαρχὰς τῶν θεῶν. Item CANISTRA, ſive corbes catinoſque, in quibus primitias & fructus obferebant. Vide Tibull. lib. I. eleg. X. v. 27. Svet. in Galb. c. XXVIII.*

Vaſa libatoria menſis ſimiliter inſiſtebant quæ TRIPODES dicebantur, de quibus Lucanus, lib. V. Phars. in quas etiam libabant. Servius de earum uſu ad lib. I. Æn. v. 740. *In menſa laticum libavit honorem: Tangit*, ſcribit, *morem Romanorum*, *qui paniceas ſacrataſque menſas habebant*; *in quibus libabant*; *ut*: *Heus etiam menſas conſumimus*, *inquit Iulus*. Aliàs tripodes abaci fuêre, ex quibus vina mi-

† *Hoc vocabulum invenire non potui eô locô.*

* *Et hic locus in mendo cubat*; *ego enim tantùm XXIII. capita in Galba invenio*, *fortè voluit c. XVIII. Ubi ita:* Nibil invenit præter tepidam in ara favillam atratumqve juxta ſenem in catino vitreo thus tenentem, & in calice fictili merum. *Qvem locum & infrà Noſter adduxit circa finem hujus capitis.*

miniſtrabant. Val. Max. lib. IV. c. I. ex ext. 7. Plin. lib. XXXIV. c. III. Paulus καθ' ἐξοχὴν Delphica vocat. l. 3. ff. de Supell. leg. Addebantur tripodibus hiſce CORTINÆ, quarum meminit Plinius, H. N. loc. cit. *Cortina*, ait Alciatus, *vas eſt ex ære aut plumbo, quô lanæ intinguntur, vel aqua calefit, vel oleum continetur, fœdioribus hiſce muneribus aptum, Plinio & M. Catoni. Videtur autem ludis Circenſibus ſolitum adferri cortinas, ut eqvi inſpergerentur, cujus muneris & Vlpianus meminit.* Lex. Plaut. voc. Cortina. Poſſunt de menſis ſacris videri Scaliger ad Feſt. & Lipſius in Saturn. Qvoddam vas vinarium æneum, anſâ patens, in deductione ferebatur, quod PRÆFERICVLVM dicebant, cujus figuram adnotavit Choul. p. 249. 252. 253. 308. & Urſinus, p. 55. 76. Inter vaſa libatoria erant GUTTI. & SUMPULIA. Manius Curius guttum ligneum, quô uti ad ſacrificia conſveverat, in medium protulit. Victor. c. XXXIII. Vides ſumpuliorum varias formas hinc inde apud Choulium, Urſinum, in Gruteri inſcribtt. in numis Sambuci, & ſuprà apud nos litt. Q. & R. itemque cap. ſeq. lit. A. & B. *Vt vinum*, ait Varro, *minutatim funderent, â guttis guttum adpellârunt; quod ſumebant minutatim â ſumendo Sumpulium nominârunt: In hujusce locum in conviviis ſucceſſit epicluſis & cyathus, in ſacrificiis remanſit guttus & ſumpulium* Apud Agellium tamen Guttus eſt *ampulla olei, ad ungenda corpora, poſt lavationem in balneis adhiberi ſolita*; lib. XVII. c. VIII. A Sumpuliis mulieres divinis deditæ *Sumpulatrices* dictæ. CARCHESIA. Sappho apud Macrobium: κοινῆ 'δ' ἄρα πάντες καρχήσι' ἔχον καὶ ἔλειβον; lib. V. c. XXI. Virgilius:

lius: *Cape Mæonii carcheſia Bacchi Oceano libemus.* lib. IV. Georg. v. 380. Vide Ovid. lib. VII. Metam. Fuêre poculi genus naviculæ ſimile, longum & procerum, veluti CYMBIA. Vide Macrob. loc. cit. quæ & ipſa in ſacrificiis adhibita, teſte Virgiliô in ecll. PATERÆ; quales Horatius Cenſorino promittit, lib. IV. od. VIII. v. 1. Ovidius: *Vinaque marmoreas paterâ fundebat in aras.* lib. IX. Metam. v. 160. Varro: *In ſacrificando poculo* (paterâ) *Magiſtratus dat deo vinum.* lib. IV. de LL. CRATERES. Virg. *Craterasque duos ſtatuam tibi pinguis olivi.* Ecl. V. v. 68. Theocritus idyll. έ:

Στασῶ δὲ κρητῆρα μέγαν λευκοῖο γάλακτος
Ταῖς Νύμφαις στασῶ δὲ καὶ ἀδέος ἄλλον ἐλαίω.

Crater, ait, Scaliger, F. *erat ingens vas vinarium, quod in media menſa ſupra machinulam incitegam deſtituebatur: Ex eo Cyathis vinum hauriebant. quod hîc dicitur emiſcere.* ad lib. V. Aſtr. Manil I. p. 370. ΓΑΥΛΟΙ. Theocritus: Στασῶ δ' ὀκτὼ μὲν γαυλὼς τῷ Πανὶ γάλακτος l. c. Ad quæ Zacharias Calliergus: Γαυλοὶ, ἀγγεῖα χυτροειδῆ γαλακτοδόχα, ἐν οἷς πήγνυσι τὸ γάλα. παρ' ὃ καὶ εἴρηται πλεονασμῷ τοῦ υ. Ἄλλα καὶ ἀμολγέας καλοῦσιν. ΣΚΑΦΙΔΕΣ; quas nobis iterum Scholiaſta adprimè doctus deſcribit ἀγγεῖα, εἰς ἃ κατετίθεσαν τὰς μελικηρίδας. Earum meminit Theocritus, idyll. cit. COTHURNA. Catanæus: *Cothurnum vas eſt, quô in ſacrificiis vinum effundebatur.* ad ep. III. * lib. VIII. Plin. PELLÆ id eſt phialæ, quibus utebantur in ſacris. Cœl. Rhod. L. A. lib. XXVIII. c. V. MELLARIA, vaſa vinaria. Macrob. lib. I. Saturn. c. XII.

* *Tu quære iſtum locum.*

XII. CALICES. Apul. in apol. HIRNEÆ, & HIRNELLÆ, de quibus Feſtus & Camerarius in Plautum. SYMPINIA, quæ adducit Juvenal. in ſatt. * SINVS. Virgilius: *Sinum lactis, & hæc te liba, Priape, quotannis.* ecl. VII. v. 33. Vide Servium in ſchol. Addenda his δέπας vel δέπαςρον, ἄλεισος, λοιβάδαι, λοιβεῖα, λοιβάσια. *Epichyſes, cyathi, depeſtæ, calpar, armillum, brias* &c. de quibus Stuck. f. 52 54. Plura de vaſis libatoriis Gyraldus, ſynt. XVII. p. 495.

In myſteriorum ſacrificiis CISTIS utebantur. Pſyche apud Apulejum, Cererem *per tacita ſacra ciſtarum* ſupplicat; lib. VI. A. A. Theocritus: ἱερὰ δ' ἐκ κίςας πεπονάμενα χερσὶν ἑλοῖσαι; Bacch. Tibullus: *Et levis occultis conſcia ciſta ſacris*; lib. I. el. VII. v. 48. Ovidius, lib. II. de art. am. v. 609.

Condita ſi non ſunt Veneris myſteria ciſtis.

Catullus, Epigr. LXV. v. 259.

Celebrabant Orgia ciſtis;
Orgia, quæ fruſtra capiunt audire profani.

Hinc Myſteria aliàs *Secluſa*, Plinio, lib. X. c. LVI. *Opertanea ſacra* adpellata; taliaque erant παμύλια Oſiridis; θεσμοφόρια, & Demetria, & Eleuſinia Cereris; ἱπκαύεια Minervæ, Aphrodiſia Veneris Orgia

* *Sat. VI. v. 343. Sed ibi eſt* Sympuvium. *Qvamqvàm Hadr. Junius,* II *Animadv. c. X. p. m. 91. ſ. veteres uſos fuiſſe vaſe fictili, qvô libarent, ipſumqve tribus nominibus efferri, oſtendat; nimirum ſympulli, ſympuvii, & ſympinii. Ut mirum ſit, cur Laz. Bayſius magna procul dubio eruditionis vir* ſympinium *planè rejiciat, contra lecturam doctiſſimorum etiam virorum, qvod ait, à qvibus nuſqvàm probari poſſe hanc lectionem contendit. Confer Dalecamp. in Plin. lib.* XXXV. *c.* XII.

Orgia Bacchi &c: Apud Athenienſes ἐλενοφόρεια feſtum fuit, quô agebantur myſteria, ab ἐλένοις id eſt ciſtis vimine contextis, quæ anſas ſalignas habebant. Jul. Pollux. lib. X. *Orgia* autem & ſacrificia in genere dicebantur, & in ſpecie myſteria; atque ita vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, ob bacchantium furorem; vel ἀπὸ τῶν ὄρων, quòd in montibus frequenter fierent; vel ἀπὸ τοῦ εἴργεσθαι, quia initiati inde arcebantur; de quibus, ut &, myſteriorum etymo, vide Gyraldum, ſynt. XVII. p. 464. Stuck. f. 9. 10. Adde Muretum, V.L. lib. XIV. c.II. Dicebantur etiam *Initia*, non quidem quòd melioris vitæ initium fuerint, ut perperam conjicit Voſſius de Idol. lib.II. c. XIV. ſed ab *Initiando*, quod eſt ſacris primùm adhiberi; unde & quibus id contigit, *initiati*, & *initiorum dies*, quibus ſacra hæc celebrabantur, dicti ſunt, teſte Liviô. Ipſa ſacrorum operatio nuncupata fuit μύησις, quique in prima ejus dignitate conſtitutus erat, audivit μύστης; qui in extrema, ἐπόπτης. Ultima enim ſacrorum meta erat epoptam ac ephorum fieri, totusque, opus fuit, intercederet annus, antequàm Myſtes evaderet Epoptes. Evolve Harpocrationem & Suidam: Jtem Paulum Voet notis ad Muſæi Leandr. v. 142. In genere, qui ſacris his intererant, vocabantur μυεῖσθαι, τελεῖσθαι, τελίσκεσθαι, τελεοῦσθαι, â quo etiam ipſum ſacrum, & hinc univerſè ſacrificia τελῶν ac τελείων nomine gaudebant; non quod vitæ malæ eſſent finis ac perfectio, ut denuò autumat Voſſius, l. c. Μυστικὴν θυσίαν poſteà ſacrificia quædam horrenda humana vocabant, in opprobrium Chriſtianorum, quibus ita S.Euchariſtia adpellabatur.. Videatur Michael Pſellus, p. 18. Ducebantur autem initiandi

tiandi per aliquot cruciatus; Et quidem, ut vult Elias Cretenſis, per XII; ſecundùm Nonnum verò per LXXX, quales erant: Ignis, frigus, fames, ſitis, flagra, itineris moleſtia &c. Vide Holſtenium, not. in vit. Pythag. à Porphyrio conſcribtam. In epulis porrò myſteriorum, cyathorum ac patinarum locô ex TYMPANO edebant & CYMBALO bibebant, teſte Juliô Firmicô de err. prof. relig. ubi & certa iterabantur ſymbola; v. g. qui orgia participabant, vocabantur *leones*, mulieres *hyæna*, qui miniſtrabant, *corvi*; patres; *aquila* & *accipitres*; rogabantur etiam, cujus facinoris maximè impii ſibi conſcii eſſent? Porphyrius: Τοὺς μὲν μετέχοντας τῶν αὐτῶν ὀργίων μύστας Λέοντας καλεῖν, τὰς δὲ γυναῖκας ὑαίνας, τοὺς δὲ ὑπηρετοῦντας κόρακας ἐπί τε τῶν πατέρων. ἀετοὶ γὰρ καὶ ἱέρακες οὗτοι προσαγορεύονται, ὅ τε τὰ λεοντικὰ παραλαμβάνων, περιτίθεται παντοδαπὰς ζώων μορφάς. lib.IV. περὶ ἀποχῆς, §. 16. Talis teſſera eſt apud Clem. Alexandrinum: ἐκ κυμβάλου ἔπιον ἐκερνοφόρησα. ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυον. admonit. ad gent. & Jul. Firmicum: θεὸς ἐκ πέτρας. l.c. Apud utrumque: ταῦρος δράκοντος, καὶ δράκων ταῦρον πατήρ. Vide amuſſitatum litteratorem Caſaubonum, exercit. XVI. ſect. 43. De NAVIBUS ſacris contulit quædam Gyraldus, quem adi, lib. de navibus, c. VIII.

Nihil hiſce, ne eadem recoquamus, de ſacrorum vaſorum forma adjicere fas eſt: Memorandum tamen illud, quòd artificioſè fabrefacta, variiſque imaginibus curioſè cælata fuerint. Vide picturam Præfericuli apud Choulium, p. 308. & in tabella noſtra thecæ Cultrariæ litt. G, Seceſpitæ litt. L, lancis litt.

O, acerræ, litt. P. labri, litt. B. lampadis, litt. C. Apulejus: *Urnula faberrimè cavata, fundô quàm rotundô, miris extrinſecus ſimulacris Ægyptiorum effigiata; ejus orificium non altiuſculè levatum in canalem porrectum longô rivulô prominebat: Ex alia parte verò multùm recedens ſpatioſâ dilatione adhærebat anſa, quam contortô nodulô ſuperſedebat aſpis, ſquammea cervicis ſtrictô tumore ſublimis*; lib. ult. ſabb. Miles. Ita Choulius candelabri, quod in mirando Salomonis erat templo, figuram deſcribit: *Là eſtoit encores le Candelabre de la tige, du quel ſortoyent le chaſcun coſté trois rameaux, à la ſommité deſquels ſe monſtroyent ſix petites lucernes, repreſentants les ſept planettes, & la tige du milieu portoit la plus grande par laquelle eſtoit figuré le ſoleil*; p. 6. Judæis tamen R. Moſes prohibet talium uſum המוצא כלים ועליהן צורת חמה ולבנה ודרקון: id eſt, *ſi inveniantur vaſa imagine ſolis, lunæ, vel draconis ſignata*; lib. Akom, c. VII. §. 10. Latinis vaſa hæc *ſigillata* dicta ſunt, ut & ipſæ cælaturæ *Sigilla*. Cicero: *Adpoſuit patellam, in qua ſigilla erant egregia; iſte continuò ut vidit, non dubitavit illud inſigne penatium hoſpitaliumque deorum ex hoſpitali menſa tollere*; VI. in Verr. In ſacrificiis igitur & abluebantur, quod c. XI. p. 223. latiùs oſtendimus; & decoris inſuper ſertis, prout huic vel illi Deo ſacrum fieret, exornabantur. Virgilius: *Vina coronant*. ubi Servius: *Vina pro poculis*; lib. I. Æn. v. 728. & lib. III. v. 525.

Tum pater Anchiſes magnum cratera coronâ
Induit, implevitque merô, divoſque vocavit.

Et lib. VII. v. 147. *Crateras læti ſtatuunt, & vina coronant*: Tibullus, lib. I. el. X. v. 27.

Hunc

Hunc pura cum veſte ſequar, myrtoque caniſtra
Vincta geram, myrto vinctus & ipſe caput.

idem, lib. II. el. V. v. 97.

Aut è veſte ſacris tendent umbracula ſertis
Vincta, coronatus ſtabit & ipſe calix.

Veneranda antiquitatis monumenta labrum adhuc nobis coronatum exhibent, quod amico lectori initiô hujus cap. depinximus litt. B. Necnon acerram, quam habemus ibid. litt. P.

Conflata autem videmus ſacra vaſa vel ex AURO & ARGENTO, quod ad ſupellectilem ſuam parandam Jehova πολυμπόνσαφος obſerri jubet, Exod. XXV. Aurea quædam vaſa in Judæorum ſacris uſitata recenſentur in Joma, c. III. §. 10. Gentiles aurô placatiores ſibi fore deos credebant, dicente Britannicô, cùm *fictilibus, ligneis & vimineis magis eſſent propitii*, tum propter materiam, tum propter artis ſimplicitatem, ita ſcribente Senecâ. Porphyrius: διὰ τοῦτο καὶ τοῖς κεραμίοις ἀγγείοις, καὶ τοῖς ξυλίνοις, καὶ πλεκτοῖς ἔρχωντο καὶ μᾶλλον πρὸς τὰς δημοτελεῖς ἱεροποιΐας, τούτοις χαίρειν πεπεισμένοι τὸ θεῖον. ὅθεν καὶ τὰ παλαιότατα ἤδη κεράμια, καὶ ξύλινα ὑπάρχοντα, μᾶλλον θεῖα νενόμισται διά τε τὴν ὕλην καὶ τὴν ἀφέλειαν τῆς τέχνης. lib. II. de abſt. §. 18. Ideo & Perſius adeò in iſtos invehitur, Sat. II. v. 52. ſ.

Si tibi crateras argenti, incuſaque pingui
Auro dona feram, ſudes, & pectore lævô
Excutias guttas, lætari prætrepidum cor:
Hinc illud ſubiit, aurô ſacras quòd ovatô
Perducis facies; nam fratres inter ahenos,
Somnia pituitâ qui purgatiſſima mittunt,
Præcipui ſunto, ſitque illis aurea barba.

Aurum, vaſa Numæ, Saturniaque impulit æra,
Veſtaleſque urnas, & Thuſcum fictile mutat.
O curvæ in terris animæ, & cæleſtium inanes!
Quid juvat hoc, templis noſtros immittere mores,
Et bona Dîs ex hac ſceleratâ ducere pulpâ?
Hæc ſibi corruptô caſiam diſſolvit olivô;
Hæc calabrum coxit vitiatô murice vellus:
Et baccam concha raſiſſe, & ſtringere venas
Ferventis maſſæ crudô de pulvere juſſit.
Peccat & hac, peccat; vitiô tamen utitur: At vos
Dicite Pontifices, in ſancto quid facit aurum? &c.

Apulejus: *Gerebat & aureum vaſculum in modum papillæ rotundatum* (obiter hîc certam vaſis formam nota) *de quo lacte libabat*; lib. XI. Metam. Vel è GEMMIS, ut in Veneris templo candelabrum fuit ex Asbeſto. Iſidorus, lib. XVI. Labri Porphyretici meminit Fabritius in Rom. M. Manilius, lib. V. Aſtrom. v. 509. 511. ſ.

Hinc auguſta nitent ſacratis munera templis
Aurea, Phœbeis certantia lumina flammis,
Gemmarumque illi radiantes lucibus ignes:
Hinc Pompeja manent veteris monimenta triumfi.

Vide omninò Eruditorum haud ambiguè primicerii, Scaligeri F. notas in h. l. Vel ex CRYSTALLO & VITRO. Plinius: *In ſacris quidem, & inter has opes non murrhinis cryſtalliſve, ſed fictilibus prolibabatur ſimpulis innocentiùs*; H. N. lib. XXXV. c. XII. Apud Svetonium eſt *catinus vitreus.* in Galb. c. XVIII. Vel ex ÆRE. Confer

ſer Plinium, H. N. lib. XXXIV. c. III. Apud Porphyrium eſt χαλκῆ τράπεζα in Διοσπολίοις. lib. II. περὶ ἀποχῆς, §. 30. Perſius: *Saturnique impulit æra.* Sat. II. v. 59. Quod ſcholiaſtæ explicant: *quoniam æs Saturni tempore inprimis in Sacris uſu venerit.* Sed quis non videt eò reſpicere Poëtam, quod ærarium populi Romani ſervaretur Romæ in templo Saturni, in foro; unde & *æs Saturninum*, & *ærarium Saturni* vocatur? Vide Fabritium im Rom. c. IX. Joh. Livinejum not. ad c. XXXVI. paneg. PlinI. Tibure in æde D. Pauli inſcribtio: ÆRAR. SATUR. CURATORI. Romæ in S. Maria de Palma: QUÆSTORI. AB. ÆRARIO. SATURNI. Ibid. ad D. Petrum: PRÆESSET. ÆRARIO. SATURNI. Mediolani in menſæ cujuſdam latiſſima inſcribtione: C. PLINIUS. L. F. C. N. OUF. CÆCILIUS. SECUNDUS. &c. PRÆFECT. ÆRAR. SATURNI. Circa Jovis templum ex dodonæo ære pelves erant, quarum ſi quis unam leviter tetigiſſet, omnes protinus continuatâ comploſione tinniebant: Auſonius etiam *quotidiano Solis ortu radiis contactas crepâſſe* ait. Unde proverb. *Æs dodonæum*; de quo Eraſmus in Chiliadd. Parrhaſius comm. in lib. I. Claud. de rapt. Proſerp. Aliquando aurô & argentô confuſô miſcebatur, quod *æs Corinthium* dictum fuit. Vel è LIGNO. Vide quid de marmoreis ac ligneis menſis habeat Stuckius, f. 66. Gyraldus: *tibiæ in ſacris erant è buxo: in ludis, ex tibia aſinina oſſe aut ex argento.* ſynt. XVII. p. 499. Et qui multa Gyraldo debet, Choul: *J'ay obſerveque les fluſtes deſquelles ils uſoyent es choſes ſacreés, eſtoyent*

de bonis : Et celles , qui ſeruoyent pour les ïeux , eſtoyent d'argent. p. 300. Repete, quæ ſupra de Gingrina fiſtula obſervavimus. Vel è VIMINE. Vide locum Porphyri ſupra cit. p.355. è lib. II. §. 18. Vel denique è LUTO ac limo. Perſius : *Veſtaleſque urnas, & Tuſcum fictile mutat.* l. c. v. 60. Tibullus, lib. I. El. I. v. 37.

Adſitis Divi! nec vos è paupere menſâ
Dona, nec è puris ſpernite fictilibus. *
Fictilia antiquus primùm ſibi fecit agreſtis
Pocula, de facili compoſuitque luto.

Vaſa חרס הדריוני *fictilia Hadriani* inducit Codex Abhoda Saràh 2, 9, 4. Hæc, quod ex Sami inſulæ terra præſtantiſſima conficerentur, *Samia* dicta ſunt. Vide Alex. ab Alex. cum notis Tiraquelli. Plautus : *Ad rem divinam, quibus eſt opus, Samiis vaſis utitur.* Capt. II. II. 41. Atque talis vaſorum ſacrorum materia præprimis placuit Numæ, atteſtantibus Juvenal. Sat. VI. v. 343. & Cic. lib I. paradox. ita, ut ipſe ſeptimum collegium Figulorum inſtituerit. Plinius, H. N. lib. XXXV. c. XII. Sed & hoc in luxum poſteà abiit, ut figlina artifici inventô aromatibus ſubacta fingerentur, cujuſmodi ex Copto advehebantur : Unde *Coptica* dicta fidelia ex myrrha, junci flore, croco, balſamo, cinamomo, amomo confecta. Vide Ludov. Cœlium Rhodig. A. L. lib. XXVII. c. XXVII.

* *Vide Raphaël. Fabrett. ad Columnam Trajani, p. 165.*

CA-

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA
Digitized by Google

Ad Cap: XVIII.



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

CAPUT XVIII.

PRoceditur ad tractationem de victimis. Victimarum *etymon. Stuckius exſibilatur.* Hoſtiæ *etymon. Differentiæ inter victimam &* hoſtiam. Minima exta. *In victimis deligendis ante ſacrificia aliquot requiſita. Ætas victimarum.* Bidentes *unde dictæ? Porci* ſacres. *Victimarum circa corpus requiſita. Animalia ἀφιλῆ. Verus ſenſus loci Exod.* XII. 5. *Vitia corporis etiam apud Judæos animal ſacris ineptum reddebant. Ebræis* mutila *animalia quænam? Sexus Victimarum. Varia variis dis animalium ſpecies immolatæ. Oves* ambiguæ. *ArnobI vetus lectio contra Voſſium retenta.* Fordicidia *ſive* Fordicalia. *Varia nomina ineptorum ſacris animalium. Sacerdotes victimarum ante ſacrificia ſeduli ſpectatores: Idoneas ſignabant: Modi ſignandi & explorandi.* Egregiæ *victimæ.* Legere *verbum ſacrorum. Victimæ* lectæ, eximiæ. *Virgilius enucleatur. Donati inconſideratum ſcholion. Caſus*

Ebræorum; quando victima perdebatur, quando perdita, ſed poſt ſacrificium, reperiebatur. Color victimarum. Quibus dîs nigræ immolatæ victimæ? In ſuperûm ſacrificiis albæ victimæ cur? Victimæ rufæ, croceæ. Unde tot ſubinde victimæ candidæ aut nigræ deſumtæ? Varia flumina pecudes dealbantia. PlinI locus tentatur. Clitumni aqua ad abluendum magis quàm potandum adhibita. Herbæ agri Faliſci comeſtæ dealbabant pecora. GeorgI Vallæ lectio calcatur. Clitumnus deſcribitur. Jupiter Clitumnus. *Aliæ aquæ dealbantes recenſitæ. Miraculum Cyzici factum. Nitri uſus in dealbandis victimis. Nitrum apud veteres fucus ac mundus. Nitrum cur* matronicum? *Jeremiæ locus explanatur.* נתר *quid?* Nitrum *unde?* נתר *unde? Petri Vallæ labſus notabilis.* Cretata ambitio. *Genuinus ſenſus in Juvenalis loco apertus. Cretæ uſus apud veteres. Tria explorationis hoſtiarum genera in ſacris ante victimationem.* I. Molæ adſperſio. Ὀυλαὶ, ὀλόχυτα, ὀλοχύται. *Molæ ſalſæ confectio. Salſæ fruges.* Fornacalia. Fornax *dea. Far cur* edor *dictum?* Adoreæ *ſignificata. Molæ ſpecies.*

cies. Variæ deſcribtiones molæ. Προθύματα. *Græcis quid* ὀλαί? Immolare *quid propriè? Unde dictum? Iſidorus junior quiſnam? Ejus ceſpitatio.* Augeri. *Hoſtiæ* Mactæ. *Formula quædam ſacra apud explorationem.* Mactare, augere, magmentum, augmentum *voces ſolemnes. Mos cultrum ſuper tergus victimæ ducendi.* II. Pilorum abſciſſio. Ἀπαρχαί: Prima libamina. *E Virgilio alius à Scholiaſtæ ſententiâ ſenſus eruitur. Alia ratio abſciſſionis pilorum.* III. Vini adfuſio: *Quod prius à ſacerdote & præſentibus libabatur. Cujus officium vinum adfundere?* Καταίασεισις. *Alius hujus explorationis modus in ſuperûm, alius in inferûm ſacrificiis.* Invergere *&* fundere *verba ſolemnia. Auribus victimarum aqua infuſa, cur?* Ταινίαι *quænam? Choul & Stuckius notantur. S. Hieronymi loco ratio adſigitur. Victimæ infulatæ & vittatæ. Ligaminum in vittis deſcribtio. Vittæ regalium victimarum purpureæ. Victimæ coronatæ.* Coronæ *pro vittis. Varia in Lycophrone lectio, & probata expoſitio.* Ornari *verbum ſolemne. Faſcia in tergore victimarum. Victimarum cornua deaurata.* Victimæ majo-

res, grandiores, opimæ. Victimæ maximæ. *Ebræorum victimis lingva coccinea adligata: Inde omina litationis capta. Loco Jeſaiæ* I. 18. *ingens lux confertur. Numerus ternarius in ſacrificiis frequens. Virgilius declaratur. Perfectum ſacrificium è tribus animalibus.* τριττὺς. *Jupiter unde* Τέλειος *dictus? Conjectura in Ariſtotelis locum. Gentilibus trinitas ac unitas DEI non ignota. Etiam ſeptenarius numerus in ſacrificiis aliquando uſitatus: Item vicenarius.* Εικοσίζοια. *Et millenarius:* Chiliombæ. *Maximè tamen centenarius.* Hecatombæ: *Earum etymon: Varia adpellatio: Deſcribtio. Julianus* victimarius *dictus, & cur? Johannis à Meyen excogitatum reprobatur.* Hecates *etymon.* Jupiter Hecatombæus: Apollo Hecatombæus: Diana Hecatombæa. Hecatombæon *quis menſium? Unde reges ad tot Hecatombas ſuas adſiduè victimas ceperint?*

Procubuêre jam ſacerdotes, roduntque ſilentia, laurum manibus quatiunt albati ſacrificolæ, exſunt profani; ſuccincti præſtò ſunt victimarii; ſtrinxêre cultros Popæ; ſplendent gutti, coruſcant ſeceſpitæ, lucent fores, micat flamma, calet focus! Siſta-

Siſtamus ergo ad aras victimas ſive hoſtias: Illas Servius dictas putat â Victoria; Alii, quòd vi ictus percuſſæ conciderent; Alii, quòd vinctæ ad altare ducerentur; Stuckius nimis frigidè, â Victu, qui Sacerdotibus conſtiterit ex victimis, f. 8. Ælius Stilo victimam voluit eſſe vitulum â vigore. *Hoſtiam* Feſtus adpellatam ait, quòd hoſtiretur id eſt feriretur ſeu cæderetur; alibi tamen aliter: *Hoſtia ſacrificium, quod Laribus immolatur, quòd ab iis hoſtes ſic arceri putabant.* Servius ſimiliter ab Hoſtibus deducit, quòd hoſtia â pergentibus in hoſtem mactetur, atque hôc modô â Victima diſtingvit, quòd hæc poſt victoriam immoletur: Cum quo ferè conſentit Naſo, lib. I. Faſt. v. 335.

Victima quæ dextrâ cecidit victrice vocatur;
Hoſtibus à domitis hoſtia nomen habet.

Confundi tamen hoc ab auctoritate, idem Scholiaſta non it inficias. Agellius aliter diſcernit, quem refellere laborat Popma, qui *hoſtiam* de parvis accipit animalibus; *Victimam*, de magnis; lib. II. de diff. verb. cui præivit Corn. Fronto de diff. voc. in fin. Scaliger ex Iſidoro *victimam* de magnis ſumit, eique opponi putat *minima Exta*; in catalect. ad Virg. Sanè apud Plautum lenoni proponuntur *hoſtiæ* & *victimæ*; at ille has rejiciens, *minimis ſe extis adorari* poſcit. Pſeud. I. III. 95. Vide Gyraldum, ſynt. XVII. p. 464.

Enimverò ingenti in victimarum delectu & intentâ curâ opus erat, in quibus primùm conſiderabatur ÆTAS; ſiquidem non quilibet ſtatim â nativitate idoneus ad ſacrificium cenſebatur fœtus, ſed incumbebat ſacerdotibus *διακρίνειν*, ut Apollonius, lib.

XI. Argon. loquitur. Ideò tempus ab illis imponebatur animalibus, immolationi conveniens. Vide Cic. & Ll. XII. Tabb. cap. de feriis tit. de relig. Item *πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων* Dilherrum, Tom. II. diſp. IX. part. II. c. II. p. 209. Adde Levit. XXII. 19. ſ. 27. ſ. Hinc *bidentes* quibuſdam dici videntur, quaſi hoſtiæ biennes. Evolve Agellium, lib. XVI. c. VI. Gyrald. ſynt. XVII. p. 467. 493. 496. Porci decimo â partu die ad ſacrificia apti erant, & tunc porci *ſacres* dicebantur, teſte Plautô, Rudent. IV. VI. 4. Adde Varr. lib. II. de R. R. Andr. Alciatum, Lex. Plaut. voc. Porci ſacres. Audiendus hìc nobis Servius, qui: *In rebus*, ait, *quas volebant finiri celerius, ſenibus etiam animalibus & decreſcentibus ſacrificabant; in rebus verò quas augeri & confirmari volebant, de minoribus & adhuc creſcentibus immolabant*. ad. lib. XII. Æn. Virg. In Talmud ſacerdos obſerre dicitur את שבעת כבשים תמימי' בני שנה id eſt *ſeptem agnos perfectos, anniculos*. Joma, c. VII. §. 3. De perfectitudine autem & numero vide R. Sheringham in h. l.

Deinde ad CORPORIS HABITUM attendebant, an integer eſſet & decorus. Non enim apta erant, quæ caudâ carebant, aut mutilatam habebant, aut quorum cauda articulum ſuffraginis non contingebat, aut ad aras humeris adlata, aut ulceroſa, aut quoquò modô imperfecta (caſtratæ tamen quadrupedes ob defunctos fuêre immolatæ. Suidas voc. *ἐντομίδαι*) Plinius, lib. VIII. c. XLV. extr. Suidas voc. *κόλουρα*. Cœlius, L. A. lib. XII. c. I. Solon ea *ἀφελῆ* vocat. Athenæus: *οὐδὲν κολοφὸν προσφέρομεν πρὸς τοὺς θεοὺς, ἀλλὰ πάντα τέλεια καὶ ὅλα*. lib. XV.

XV. c. V. De Judæorum agno immaculato legimus Exod. XII. 5. ubi *errare eos* rectè monet exactiſſimus ille rituum Judaicorum enarrator ac Ebraicorum ſcribtorum interpres, Sixtinus ab Amama, *qui ad colorem id protrahere nituntur; cùm de perfectione & integritate intelligendum ſit*; antib. bibl. lib. II. p. 460. 461. Ceterùm de victimis ſibi obſerendis ita ſanctiſſimus Zebaoth: *Homo vota ſolvens, vel ſponte obſerens, quicquid illud obtulerit in holocauſtum domini, ut obſeratur per vos, maſculus immaculatus erit ex bobus, & ovibus, & ex capris; ſi maculam habuerit, non obſeretis; neque erit acceptabile. Homo, qui obtulerit victimam pacificorum domino, vel vota ſolvens, vel ſponte obſerens tàm de bobus, quàm de ovibus, immaculatum obſeret, ut acceptabile ſit; omnis macula non erit in eo: Si cæcum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens, ſi papulas, aut ſcabiem, aut impetiginem; non obſeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis ſuper altare Domini. Bovem & ovem aure & caudâ amputatis voluntariè obſerre potes, votum autem ex eis ſolvi non poſt. Omne animal, quod vel contritis, vel tonſis, vel ſectis, ablatiſque eſt teſticulis, non obſeretis Domino, & in terra veſtra hoc omnino ne faciatis. De manu alienigenæ non obſeretis panes Deo veſtro, & quicquid aliud dare voluerit; quia corrupta ac maculata ſunt omnia, non ſuſcipietis ea.* Levit. XXII. v. 18. & ſeqq. Et alibi. *Sin autem habuerit maculam, & vel claudum fuerit, vel cæcum, aut in aliqua parte deforme aut debile, non immolabitur Domino Deo tuo.* Deut. XV. 21. Nec non apud Prophetam Malachiam, c. I. 8. *Si obſeratis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt? Et ſi obſeratis claudum*

dum & langvidum, nonne malum eſt? Et paullò pòſt: *Et intuliſtis de rapinis claudum & langvidum, & intuliſtis munus: Numquid ſuſcipiam illud de manu veſtra, dicit Dominus? Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino.* v. 13, 14. Certè quodque primogenitum & decimum, etiamſi idololatricæ prius civitatis, modò non eſſet mutilum, Deo exhibendum erat. R. Moſes: הבכור והמעשר תמימים הרי הן קדשי מזבח ויומתו ובעלי : i. e. *Primogentium & decimum quodque animalium, quod perfectum eſt, altari eſt debitum ac mactandum*; lib. de Idol. c. IV. §. 14. Licèt aliàs Ebræis omnia illa animalia, quæ ſacrificiis non erant deſtinata, mutila ac labe maculata dicerentur; quod Idem R. Maimon refert: מומים הרי הן בכלל בהמתה : Id eſt *Mutila continentur generali nomine beſtiarum.* l. c.

Tertiò notabant SEXUM ac SPECIES victimarum: Neque omnes omnibus immolabantur, ſed maribus mares, feminis feminæ, ſteriles ſterilibus, prægnantibus prægnantes, huic taurus, illi porcus, iſti ovis &c. quod enixè inculcat lex 1. XII. Tabb. c. de hoſt. & obſ. ſacr. tit. 1. de religione: QVÆQVE. CUIQVE. DIVO. DECORÆ. GRATÆ. SINT. HOSTIÆ. PROVIDENTO. Hunc delectum gentibus exprobrat Arnobius: *Quæ eſt enim cauſſa, ut ille tauris deus, hœdis alius honoretur, aut ovibus; hic lactentibus porculis, alter intonſis agnis: hic virginibus bubulis, captis ille cornutis; hic ſterilibus vacculis, at ille incientibus ſcrofis; hic albentibus, ille atris: alter feminei generis, alter verò animantibus maſculinis?* lib. VII. adverſ. Gent. Pertinent huc verba ServI: *Victimæ*

Etimæ numinibus aut per ſimilitudinem, aut per contrarietatem immolantur. Per ſimilitudinem, ut Nigrum pecus Plutoni. Per contrarietatem, ut Porca, quæ obeſt frugibus, Cereri; & caper, qui obeſt vitibus, Libero; item capra Æſculapio, qui eſt Deus ſalutis, cùm capra nunquàm ſine febre ſit; ad lib. II. Georg. v. 180. Vide Cicer. lib. II. de Ll. cum notis Urſini, Itemque in Opere magno Gruteriano Neapolitanum fragm. p. 116. & ſeqq. & Inſcribtionem fratrum arvalium, p. 121. Tacitus *ſacrificiorum* mentionem facit, *quibus gravidas immolare hoſtias mos erat*; lib. XV. ann. CXLVII. 2. Eumenidibus oves uterum geſtantes cædebantur, teſte Pauſaniâ. Ita Junoni quoque oves, quæ geminas pariebant, adligatis altrinſecus duobus agnis, dicebanturque eæ oves *ambiguæ*, ut docet Planciades Fulgentius. Telluri porca gravida. Arnobius: *Telluri matri ſcrofa inciens immolatur & fœta; at Minervæ virgini virgo cæditur vitula, nullis unquàm ſtimulis, nullius operis excitata conatu*, lib. VII. adverſ. Gent. Ubi magnus Voſſius, lib. V. Inſt. Or. c. II. ſect. IV. rectè interſerit particulam conjunctivam *Et*: cur autem *inciens* in *ingens* tranſmutari cupiat, non video, neque ei accedendum puto. Eſt enim *inciens ſcrofa*, ut ſcribit Feſtus, *cujus uterus jam incipit incitari*. *Fordicidia* ſive *Fordicalia* feſtum fuit, quô boves fordæ id eſt prægnantes publicè immolabantur. Varro. Proſerpinæ contra ſterilis vacca procidebat. Virg. lib. VI. Æn. Aegyptiis, Derbicibus & barbaris ad Caucaſum gentibus feminam in victimam dare ſeverè prohibitum erat: De quibus etiam intelligenda fortè illa Porphyrl. Τῶν δὲ θηλειῶν φειδόμενοι τῆς γονῆς ἕνεκα

ἐν

ἐν μόνῃ τὸ ἄφαδς ἐνομοθέτησαν; lib. II. §. 11. Sed quænam animalia huic illive deo oblata fuerint, vide Choul. de relig. vett. Rom. p. 297. Voſſium, lib. I. Inſt. or. c. V. ſect. 33. & nos infra, cùm ad ſpecies victimarum devenietur copioſè perluſtrabimus.

Incongrua ad immolationes animalia adpellabantur ἄρτια, ἄτομα, μὴ ἔμπνεα. Cœl. Rhod. L. A. lib. XII. c. I. Ad hæc tria requiſita ſagaciùs dignoſcenda ſacerdotes, illorumque miniſtri, ut Popæ & victimarii, victimas â planta pedis ad caput uſque explorabant ante ſacrificia, nihilne illis ineſſet vitii. Choul. p. 303. & ejus compilator Stuckius, f. 76. Quòd ſi perfectas eas inveniſſent, terrâ certâ (quæ olim ceræ locô in obſignandis epiſtolis adhibebatur, & de quâ mox, dicemus) conſignabant, aut notam eis inurebant, ſi credimus Virg. lib. III. Georg. Apud Porphyrium ſunt καθαροὶ μόσχοι καὶ συσφραγιζόμενοι; lib. II. §. 55. Aegyptii Sacerdotes, ſi munda eſſet victima, cannabem cornibus adligabant, teſte Diodorô. Græci tauros farinâ; capros ciceribus; capras frigidâ aquâ explorabant: Inde ſi guſtare abnuiſſent, ineptæ ad immolandum habebantur. Vide Lud. Cœlium. l. c. Ipſæ autem victimæ primùm eligebantur è grege, & tunc *egregiæ* nominabantur, ubi & *legere* verbum ſolemne notandum: poſteà eximebantur: cujus ſegregationis etiam diſertè meminit R. Maimon. de Idol. c. VIII. §. 1. ideoque *eximiæ* ac *lectæ* vocabantur. Feſtus. Macrob. Sat. lib. III. c. V. Quicquid etiam Donatus cum ſuis adſertoribus obganniat, majores & liberiùs paſtas victimas *eximias* fuiſſe dictas, quaſi eximiâ

miâ ſpecie, quod etiam Virgilius innuat, cùm ait, lib. IV. Georg. v. 538. *Quatuor eximios præſtanti corpore tauros.* Verum hoc equidem, omnes victimas lectas, excellenti corpore & conſpicuâ formâ fuiſſe, ſed quòd inde *Eximiæ* dictæ ſint, quòd eximiâ fuerint ſpecie: id falſiſſimum. Vide ſcholia Ejus in Terent. Hecyr. I. I. Quamvis ibidem mirè permixtus ſibimet non conſtet: adeò crudeles manus iniquiſſimorum mangonum auctor hic paſſus videtur. Victima talis votita & lecta ſi apud Ebræos perdita fuiſſet, aliam locô ejus obſerebant: Quod ſi autem prima illa jam factô ſacrificiô iterum eſſet inventa, in loco clauſo cuſtoditam fame interire ſinebant. Vide Sheringh. c. VI. §. 1. ad Joma.

Pertinent inprimis etiam ad ea, quæ ante ſacrificia ſpectabantur, COLOR; qui in iis hoſtiis, quæ Inferis, Bellonæ, luſtrationis ac tempeſtatis tempore mactabantur, niger; in cæleſtium contra victimis, albus eminebat. Cauſſam reddit Arnobius: *Quia*, inquit, *ſuperis diis, atque omnium dexteritate pollentibus color lætus acceptus eſt ac felix hilaritate candoris. At verò Diis lævis, ſedeſque habitantibus inferas, color furvus eſt gratior & triſtibus ſubfectus è fucis*; lib. VII. adverſ. Gent. Laërtius ἐκάθηρεν τὴν πόλιν, καὶ ἔπαυσε τὸν λοιμὸν τοῦτον τὸν τρόπον. Λαβὼν πρόβατα μελανά τε καὶ λευκά, ἤγαγε πρὸς τὸν Ἄρειον πάγον. κἀκεῖθεν εἴασεν ἰέναι οἷ βούλοιντο, προστάξας τοῖς ἀκολούθοις, ἔνθα ἂν κατακλίνοι αὐτῶν ἕκαστον θύειν τῷ προσήκοντι θεῷ: καὶ οὕτω λῆξαι τὸ κακόν; lib. I. vit. Epim. c. CX. Spartianus in Severo: *Primùm ad Bellonæ templum ductus eſt, deinde hoſtiæ furvæ ſunt adplicitæ*; c. XXII. extr. Tibullus: *Intereà nigras pe-*

pecudes promittite Diti; lib. III. el. V. extr. Virgilius, lib. III. Æn. v. 120. *Nigram hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.* Idem, lib. V. Aen. v. 97. ſ.

- - - Totidem nigrantes terga juvencos:
Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchiſæ magni, maneſque Acheronte remiſſos.

Ibidem, v. 735.

- - - Huc caſta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te ſangvine ducet,

Idem, lib. VI. Aen. v. 243.

- - - Nigrantes terga juvencos
Conſtituit - - -

Ibid. v. 249.

- - - Atri velleris agnam
Enſe ferit. - - -

Seneca, Oed. Actu. III. ſc. I. v. 556.

Nigrô bidentes vellere, atque atræ boves,
Retrò trahuntur. - -

Vide Hadr. Junium, cent. V. adag. LVI. Apud Homerum Tellus quoque & Sol nigris coluntur agnis:

Οἴσετε δ᾽ ἄρν᾽, ἕτερον λευκὸν, ἑτέρην δὲ μέλαιναν,
Γῇ τε καὶ ἠελίῳ. - - -

Il. γ. v. 103.

Ad ſuperorum verò, ut diximus, ſacrificia, albi coloris victimæ deſtinabantur. Ita Jovi omnibus Idibus â Flamine bos candidus * ex agro Faliſco aut Mevaniâ, nondum ſubactus, & quinquennalis, ſacrificabatur. Vide Foquelinum ad Sat. II. PerſI: Arnobius: *In Albano antiquitus monte nullos alios licebat, quàm nivei tauros immolare candoris*; lib. II. adverſ. Gent. Ammianus Marcellinus: *Immolabat oves candidas, terrâ*

* *Vide p. 378. Montacutium ad Nazianz. p. 42.*

terrâ quæſitas & mari; lib. XXII. c. XII. Idem: οἱ λευκοὶ βόες Μάρκῳ τῷ Καίσαρι. Ἂν σὺ νικήσῃς, ἡμεῖς ἀπωλόμεθα lib. XXV. c. V. Ovidius: *Albaque perfuſâ victima fronte cedat*; lib. I. Faſt. v. 720. Juvenalis: - - *Niveam reginæ cædimus agnam*; Sat. XII. v. 3. Horatius: *Quique vos bobus veneratur albis*; carm. ſec. v. 49. Seneca: *Adpellite aris candidum tergô bovem*; Oed. Actu. II. ſc. II. v. 299. Idem: *Et nivea magnas victima ante aras cadat*; Agam. Actu. III. ſc. I. v. 585. Silius, lib. III. Pun. v. 217.

Jamque Deûmque regi, Martique ſub omine fauſto
Inſtauratur honos, niveoque ante omnia taurô
Placatur meritis monitor Cyllenius aris.

Aliquando tamen victimas & *rufas* & *croceas*, & ſimiles; ſed eas rariores videmus.

Unde autem, rogabis, candidæ aut furvæ ſubinde victimæ? Clitumnus ſcil. amnis erat in Mevania, parte Umbriæ, partis Thuſciæ, (ut vult Servius, at Probus Etruriæ flumen â fonte navigabile dicit, Plinius in Faliſcum locat) cujus aquâ albeſcebant. Ejuſdem naturæ Cephiſus fuit. Melas verò & Pœtinus ſive Pœnitus nigras reddebant. Plinius: *In Faliſco* † *Clitumni amnis aqua potata candidos boves facit; in Bœotia amnis Melas oves nigras: Cephiſſus ex*

† Victruvius in III. capite libri VIII. *Sunt Bœotiæ flumina Cephiſus*, (ita enim ſcribit Muretus) *& Melas*, *Lucaniæ Crathis*, *Troja Xanthus*, *inque agris Clazomeniorum & Erythreorum*, *& Laodicenſium fontes ac flumina*, *cùm pecora ſuis temporibus anni parantur ad conceptionem partus*, *per id tempus adiguntur eò quotidie potum: ex eoque quamvis ſint alba*, *procreant aliis locis leucophea*, *aliis* (ita Muretus, omittens *locis*, quod alii addunt) *pulla*. *aliis coracinô colore*. Vide Muretum in Senecæ loc. add.

eodem lacu profluens albas; *rurſus nigras Pœnitus*; H. N. lib. II. c. CIII. Jam fermè erráſſe dixiſſem Plinium: niſi calculô ſuô pro eo agere videretur Seneca, Qq. Nat. lib. III. c. XXV. Idcircò corruptum hunc ſuſpicor locum, & neſcio, quid ſubſtituam; forte *motata*, ſcil. & in bibendo & abluendo ſæpiùs agitata; aut ſimilem vocem? Non enim potando ſolùm, verùm & abluendo albi reddebantur, quod Virgilius clarè indicat, lib. II. Georg. v. 146.

Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, ſæpè tuô perfuſi flumine ſacrô,
Romanos ad templa Deûm duxêre triumfos.

Quid diſertius Propertii verbis, lib. II. El. XIX. v. 25.

Quâ formoſa ſuo Clitumnus flumina luco
Integit, & niveos abluit unda boves.

De potu certè nihil aut parum apud auctores occurrit. Interim herbis agrorum Faliſcorum & ad Clitumnum fluvium, eadem virtus antiquis ſcribtis tribuitur, ut futuræ victimæ in agris Faliſcis paſtæ, & ex proximo flumine ablutæ, dealbatæ videantur. Ovidivs, lib. III. am. el. XIII v. 13.

Ducuntur niveæ populô plaudente juvencæ,
Quos aluit campis herba Faliſca ſuis.

Quem verſum non temerè duobus locis repetit: nempe lib. I. Faſt. v. 83.

Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba Falisca ſuis.

Et lib. IV. el. IV. de Ponto, v. 31.

Colla boves niveos certa præbere ſecuri,
Quos aluit campis herba Faliſca ſuis.

Idem, l. c. el. VIII.

Agna-

Agnaque tàm lactens, quàm gramine paſta Faliſcô,
Victima Tarpejos inficit icta focos.

Juvenalis, Sat. XII. v. 11.

Pingvior Hiſpullâ traheretur taurus, & ipſâ
Mole piger, nec finitimâ nutritus in herbâ;
Læta ſed oſtendens Clitumni paſcua ſangvis.

Ubi quidem Georgius Valla *Ditumni* legit contra reliquorum Scribtorum fidem, & ineptè. Videatur quoque Statius, lib. I. Silv. Eleganti mehercule Epiſtolâ, cujus tamen pars poſterior periit, Clitumnum commendat Plinius avunculus, quæ eſt VIII. lib. IX. * Adducere autem eam non pigebit. C. PLINIVS. ROMANO. S. *Vidiſtine aliquando Clitumnum fontem? Si nondum; (& puto nondum, alioquin narrâſſes mihi,) vide. Quem ego (pœnitet tarditatis) proximè vidi. Modicus collis adſurgit antiquâ cupreſſu nemoroſus & opacus, Hunc ſubter fons exit, & exprimitur pluribus venis, ſed imparibus; eluctatusque facit gurgitem: Latè gremiô patefactô purus & vitreus, ut numerare jactas ſtipes, & relucentes calculos poſſis. Inde non loci devexitate, ſed ipſâ ſui copiâ, & quaſi pondere, impellitur. Fons adhuc, etiam ampliſſimum flumen, atque etiam navium patiens.* Hucuſque fragmentum Epiſtolæ. Sed Voſſius, de Idol. lib. II. c. LXXIX. epiſtolam hanc cùm valde immutatam, &, ut videtur, integram adducit; tùm eam VIII. citat. lib. VIII. niſi librarium potiùs dormitâſſe, cùm numerum ſcriberet, dicamus. Ejuſdem

* *At in omnibus meis tribus exemplaribus epiſtola hæc exſtat lib. VIII. Ep. VIII. qvod non adderem, niſi paullo infra B. Auctorem hunc numerum mendoſum putare viderem.*

dem aliquas qualitates occultas recenſet, *inter ceteras ingentes artes prægloriosiſſimus poëtarum* (ita in monumento, Romæ in monte Quirinali invento, & ab Impp. Arcadio ac Honorio ei poſito audit:) Claudianus, paneg. de VI. cons. HonorI, v. 506.

Quin & Clitumni ſacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumfis,
Viſere cura fuit; nec te miracula fontis
Prætereunt: Tacitô paſſu quem ſi quis adiret,
Lentus erat; ſi voce gradum majore citâſſet,
Commixtis fervebat aquis. Cúmque omnibus una
Sit natura vadis, ſimiles ut corporis umbras
Oſtendant: hæc ſola novam jactantia ſortem
Humanos properant imitari flumina mores.

Unde & *Jupiter Clitumnus* cognominatus. Vibius Sequeſter: *Clitumnus, Umbriæ: ubi Jupiter eòdem eſt nomine.* in catal. fluminum. De aliis fluviis & aquis quibuſdam Plinius avus: *Eudicus in Heſtiæa* * *Euthice fontes duos tradit eſſe: Ceronem, ex quo bibentes oves nigras fieri: Mellem,* † *ex quo albas: Ex utroque autem varias. Theophraſtus in Thuriis Crathin candorem facere; Sybarim nigritiam bobus ac pecoribus;* H. N. lib. XXXI. c. II. Seneca: *Quibusdam fluminibus vis ineſt mira. Alia enim ſunt, quæ pota inficiunt greges ovium: intraque breve tempus, quæ fuère nigra, albam ferunt lanam, quæ albæ venerant, nigræ abeunt. Hoc etiam in Bœotia amnes duo efficiunt, quorum alteri ab effectu Melas nomen eſt; uterque ex eodem lacu exeunt, diverſa facturi. In Macedonia, quoque ut ait Theophraſtus, eſt flumen, ad quod, qui facere albas oves*

* *Heſtiæotide.* † *Melan.*

oves volunt, adducunt: Quod, ut diutiùs potavêre, non aliter, quàm infecta mutantur. At ſi illis lanâ opus fuerit pullâ, paratus gratuitus infector eſt, ad Ceronem eumdem gregem adpellunt. Auctores novos habeo, eſſe in Galatia flumen, quod idem in omnibus efficiat: Eſſe in Cappadocia, quô potô equis, nec ulli prætereà animali, color mutatur & ſpargitur albô cutis; Quæſt. Nat. lib. III. c. XXV. Adi Solinum, c. XXXIII. Vitruvium, lib. VIII. c. III. Marcianum Capellam, lib. VI. c. de Aegypto. Caryſtium, Hiſt. Mir. c. CXLIX. Atque hæc de modo per flumina dealbandi victimas. Non omittendum hîc memorabile illud, quod referunt de Cyzico urbe Aſiæ: in qua, tum â Mitridate obſeſſâ, cùm ſacrorum ſolemni die vaccam nigram ſacrificare mos eſſet, & ea in bello, clauſâ urbe, haberi non poſſet, atque ob eam rem ſacerdotes valde angerentur animi; non ſine miraculo conſpecta eſt in mari ejuſmodi beſtia ad terram adnatare, ultroque templo ſe obferre, ubi â Cyzicenis immolata fuit. Porphyrius περὶ ἀποχῆς, lib. I. c. XXV. Fulgos. lib. I. c. VI.

Aliquando & nitrum inter cornua adfuſum docet Joh. â Meyen ad lib. IV. Aen. Virg. ut candidiores (ſic auguror) & mundiores evaderent victimæ; quia olim nitrum inter munditias & κόσμυς, præſertim muliebres; quod teſtatur Athanaſius, Epiſcopus Alexandrinus ſive quicumque † libri illius auctor. eſt

 Ita

† Quicumque libri illius auctor eſt] *Athanaſius quidem non eſt auctor libri περὶ παρθενίας ἢ περὶ ἀσκήσεως inſcripti, & in Tomum I. al III. Operum Athanasi relati, cùm inter dubia ac ſuppoſita ei rectè hunc librum recenſeant Eraſmus, Cocus, Perkinſus, Junius, Sculterus,* Rive-

Ita autem ille: *ὅταν νίψῃς τὸ πρόσωπόν σου, οὐ νίψῃ ταῖς δύο χερσὶν, οὐδὲ μὴ ἐκτρίψῃς τὰ μῆλα τῆς ὄψεώς σου, οὐδὲ μὴ βάλῃς πόαν, οὐδὲ νίτρον, οὐδὲ τὰ ὅμοια τούτοις. αἱ κοσμικαὶ γὰρ ταῦτα ποιοῦσιν*; lib. de virg. Ovidius, lib. de medicam. faciei, v. 73.

Nec ceruſſa tibi, nec nitri ſpuma rubentis
Deſit.

Et paulò pòſt, v. 85.

Thus ubi miſcueris radenti corpora nitro.

Vide inſuper Ariſtoph. in Theſmoph. Jul. Pollucem, onom. lib. VII. c. XXII. Iſidorum, etym. lib. XVI. c. II. Del-Rio adagg. Sacrr. Druſium, obſerv. lib. XIII. c. VII. Inde Tralliano & Nicolao Myrepſo nitrum vocatur *matronicum*, quia matronarum *κόσμος*. Drogo Hoſtienſis docet, *nitrô tubera, & puſtulas, & nævos abradi.* Adi etiam Levinum Lemnium, de herb. bibl. c. X. Reſpicit huc locus Prophetæ ſanctè illuminati: *Licet laveris te* בנתר id eſt *in nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith.* Jerem.

Rivetus, Gerhardus: (hi enim auctores in lectione Patrum ſemper ad manus habendi) itemqve Dan. Chamierus, Tomô II. *Panſtratiæ, lib.* XIX. *c. IV.* §. III. *p. m.* 776. *a. & Ger. Joan. Voſſius in Epiſtola ad Salmaſium, ſubjuncta hujus Epiſtolæ ad Andr. Colvium ſuper I. Corinth.* XI. *de Cæſarie virorum & mulierum coma, p. m.* 742. *ſ. edit. Lugd. Batav.* CIↃ IↃC XLIV. *in 8t. Meminit enim τοῦ τρίτου τάγματος τῶν ἀγγέλων, qvod ſuſpicionem injicit, neſcio qvam certam, eum juniorem fuiſſe Pſeudo-Dionyſiô, Hierarchiæ Cæleſtis fabricatore, qvem pleriqve cordatiores ſeculô V. aut Theodoſii Junioris, vel extremis B. Hieronymi temporibus; recentiores qvidam demum initiô ſeculi VI. vixiſſe cenſent; valde tamen auctor illius de Virginitate libri antiqvus eſt, & florente Græciâ ſcripſit.*

rem. II. 22. Lutherus non malè vertit: Und wann du dich gleich mit Laugen wüſcheſt/ und nemeſt viel Saifen dazu. Alii alieniùs *in creta* explicant, licèt etiam B. Lutherus illud Proverb. XXV. 20: *Removens veſtimentum in die frigoris, acetum ſuper* נתר interpretetur optimè: ein zerriſſen Kleid im Winter/ und Eſſig auff der Kreiden. Ubi Buxtorfius & alii *Nitrum* ponunt: Bened. Arias retinet vocem *Nathar*. Sanè *nitri* Latina atque Græca vox videtur eſſe ab Ebræo illo נֶתֶר quod eſt â נָתַר ſaliit, ſolvit; quia nitrum ſolvit & abluit ſordes: Neque lingvam Ebraicam callere videntur, qui vocem *νίτρον*, *παρὰ τὸ νίζειν τὸ νίπτειν* deducunt, quamvis etymon non adeò ſit abſurdum. Vide de nitro Plinium, lib. XXXI. c. X. Dioſcor. lib. V. c. CXXX.

Nimium quantum labitur hîc falliturque Petrus Valla adſerendo *boves candidos* * *Jovi immolandos Cretâ inlitos fuiſſe*; id quod probare nititur ex Juvenale, ſcribente, Sat. X. v. 65.

Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum
Cretatumque bovem. - -

Eôdem apud Perſium ſenſu haberi ait *Cretatam ambitionem*, Sat. V. v. 177. cùm h. l. *συνεκδοχικῶς* Candidati Magiſtratus denotentur lineis albiſque veſtibus induti, quas fullones cretâ infeciſſe non equidem nego. At in illo Juvenalis loco, nec interpretes cum Valla conſentiunt, nec ego cum interpretibus aut Valla; qui primus, quantum memini,

 acu

* *Lege p. 370 & Seldenum, Tom. III. de ſynedr. p. 299. edit. Londin.*

acu ſenſum hujus loci tangere, eumque ope quidem Herodoti & Victorii, operâ verò meâ explicare conor. Communiter Poëtæ ſcholiaſta *Cretatum* hîc exponit tropicè album, qui aliàs Vallæ calculum facile eriperet: Sed uterque lupus circa puteum. Attendamus igitur nos homini venerandæ eruditionis Petro Victori ſive Victorio, qui talia profitetur: *Terra cujuſdam, quâ pro cera utebantur in litteris obſignandis Aſiæ populi, meminit Cicero; illiuſque argumentô amoliri crimen à L. Flacco, quem defendebat, conatus eſt; quod ſcribtum teſtimonium, quô reus valde premebatur, ceram haberet, non cretam, quâ omnes illi homines, & in publicis, & in privatis litteris, uti conſvêſſent: Unde argumentabatur, illud fictum & adulterinum eſſe. Cretam enim Aſiaticam adpellat. Ejuſdem quoque mentionem fecit Herodotus in Euterpe his verbis:* Καὶ ἔπειτα γῆν σημαντρίδα ἐπιπλάσας, ἐπιβάλλεται τὸν δακτύλιον. *Loquitur autem de inſtitutis Sacerdotum Aegyptiorum, qui boves reï divinæ idoneos, & qui pro victimis rectè cædi poſſent, anteà diligenter ſpectabant, probatiſque notam* † *hôc pactô adponebant, cùm capitis pœnâ plecteretur, qui bovem non à Sacerdote anteà* * *probatum, & ut ipſe loquitur ἀσήμαντον immolâsſet, &c.* Hæc Victorius, V. L. lib. XIV. c. IV. Vide etiam Zieglerum de teſtamentis tab. 3. §. 16. Clariùs vel Sole meridiano inde videre eſt, quid *Cretatus* ſit *bos?*

DI-

† *ſuprà p. 370.* * *Lege Bartholinum de Unicornu, c. XII. p. 80. edit. Patav. M. DC. XLV. in 8t. Joh. Henr. Urſinum, lib. I. Analector. c. LIX. p. 95. Kirchmannum de Annulis, c. VII. p. 37. 38. Ramirezium de Prado in Pentecontarch. p. 349. Cauſſin. in Polyhiſt. lib. VII. c. LXXV. Dauſquej. in Tryphiodor. Excid. Trojan. p. 292.*

nimirum non cretâ dealbatus, non candidus; ſed terrâ certâ notatus, ſed obſignatione, de qua ſupra, ad ſacrificandum idoneus judicatus. Et hactenus quidem de Victimarum exploratione ante Sacrificia.

Superſunt tres alii Explorationis victimarum, in ipſis ſacrificiis, ante victimationem aut percuſſionem, modi. Primus fiebat MOLÆ ADSPERSIONE. Frons itaque victimæ (velut & aræ, & cultri) molâ ſalſâ conſpergebantur, quam infuſionem: οὐλαὶ, & οὐλόχυτα, ſive οὐλοχύτας vocârunt, ab οὐλὴ hordeum, & χέω fundo. Euſtathius: οὐλαὶ, inquit, ſunt κριθαὶ, μετὰ ἁλῶν μεμιγμέναι, ἃς ἐπέχεον τοῖς ἱερουργουμένοις ζώοις πρὸ τοῦ θύεσθαι. Seneca, Oed. Actu *II.* ſc. *II.* v. 335. *Et ſparge ſalsâ colla taurorum molâ.* Ovid. lib. XV. Metam. v. 133.

Imponique ſuæ videt inter cornua fronti,
Quas coluit, fruges. - - - -

Horatius, lib. II. ſerm. Sat. III. v. 199.

Tu quum pro vitulâ ſtatuis dulcem Aulide natam
Ante aras, ſpargiſque molâ caput improbe ſalſâ.

Virgilius, lib. II. Æn. v. 129. 132.

- - - - - - - *Me deſtinat ara,*
Jamque dies infanda aderat; mihi ſacra parari,
Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ.

De cultris idem Seneca: *Tangenſve ſalſâ victimam culter molâ;* Thyeſt. Actu IV. ſc. I. v. 688. Componebatur autem mola ſalſa ex aqua, ſale (unde ipſa à Virg. loc. cit. & Arnob. lib. III. adverſ. Gent. *ſalſarum frugum* nomine inſignita) & farre toſto; quod Numa ad rem divinam adhiberi neceſſariò ſancivit, necnon Fornacalia, ferias annuas torrendi farris, inſtituit, teſte Pliniô, lib. XVIII. c. II. H. N. & à ve-

veteribus Fornax dea culta fuit. Mola illa ſive far, ab Edendo *Edor* vocabatur, quia farre primi uſi ſunt homines; ſive, quia ex eo panes ad aras obſerebantur hinc ſacrificia *Adorea* nominata; quæ vox etiam pro gloria & victoria non raro ponitur. Erant autem molæ illius variæ ſpecies v. g. *Ariſter*, *Hygieia* &c. Vide Pollucem, Heſych. Etymol. Athenæum, lib. III. *Mola ſalſa*, ait Feſtus, *eſt far toſtum, & ſale conſperſum.* Iſo Magiſter: *Mola eſt genus ſacrificii ex farre & ſale, unde ignem adſpergebant, & cultrum, & hoſtiam;* gloſſ. ad Prudent. p. 827. Turnebus: *Molam ſalſam interpretantur ferè omnes fruges molitas;* adverſ. lib. VII. c. XIII. Douza: *Mola eſt far toſtum & molitum;* ad Plaut. Pœn. III. I. Tale hordeum ſale conſperſum; item ſiligo ſeu placentulæ, aris, ut jam docuit Prudentii Scholiaſta, infundebantur, additâ vaporatione thuris. Quæ omnia θεθύματα dicta. Cælius, L. A. lib. XII. c. I. At Græci fruges integras, nec freſas, nec molitas, adſpergebant hoſtiis; inde ὀλὰς & ὀλοχύτας vocârunt eas hordei fruges, quæ erant integræ: quibus itidem ſal admiſcebatur. Plura de Mola ſalſa Lambinus ad Horatium, Chabotius ad eumd. Vict. Giſelinus atque Jac. Spiegelius ad Prudentium, Salmuth. ad Pancirollum, tom. I. tit. XIV. Choul de relig. vett. Rom. p. 287. & 308. Stuckius antiqq. conviv. lib. I. c. XXX. l. de Sacrif. f. 97, 98. Lauremberg. in antiquar. M. Martinius Lex. philol. Taubmann. ad Plaut. & Virg. Phil. Pareus Lex. Crit. Phil. Caroli antiqq. Roman. lib. I. c. XI. Matth. Unzerus, phyſiol. ſal. c. XXII. Iſraël Clauderus de Sale, c. *III.*

Pro-

Propriiſſimè hoc erat *immolare* id eſt molâ ſalſâ; ſeu hordeô ſali commiſtô, frontem terguſque victimæ conſpergere; unde mirum, Epiſcopum Hiſpalenſem Iſidorum, qui ad differentiam ſenioris Iſidori Epiſcopi Cordubenſis *Junior* cognominatus eſt, & vixit ſeculô ſeptimô, hæc tàm communia ignorâſſe, & tradidiſſe, *immolare* inde eſſe, *quod in mole altaris poſita victima caderetur.* Immolatæ hoſtiæ priùs dicebantur *augeri*; poſteà *macte*, quaſi magis auctæ. Unde Plautus dixit *Mactare malô damnô* id eſt magis augere; Aul. *III.* V. 61. Vide Taubmanni notas. Arnob. adverſ. Gent. Beroald. in Svet. Aug. Clamabant enim quoties mola, vel thus, vel vinum ſuper victimam fundebatur: *Mactus eſt taurus thure, vinô*, &c. Vide Iſidorum, lib. X. Servius ad illud Virg. *Macte novâ virtute puer*; lib. IX. Æn. v. 641. *Macte, id eſt, magis aucte, adfectata gloria: Et eſt ſermo tractus à ſacris. Quoties enim aut thus, aut vinum ſuper victimam fundebatur dicebant:* Mactus eſt taurus vinô, vel thure: *Hoc eſt: Cumulata eſt hoſtia, & magis aucta.* Hæc ille. Extis etiam *Deos ſe mactare* dicebant, ut eſt apud Plautum. *Mactare* igitur & *augere*, *magmenti* & *augmenti* voces ſolemnes erant in ſacrificiis. Vide Briſſon. in Form. & Voſſium, Inſt. Orat. lib. *IV.* c. X. ſect. 9. Ex eo poſteà *mactare* locô honorare dixêre. Adi Lipſium, A. L. lib. IV. & V. Erat autem certus immolandi modus, quando cultrum molâ conſperſum à fronte victimæ ad caudam uſque obliquum ducebant; de quo Lucanus: *Obliquoque molas inducere cultrô*; lib. *I.* Phars. v. 610. & Seneca: *Tangenſve ſalſâ victimam culter molâ*; l. c. Paullus Manutius

ad

ad proverb. *Mactata hoſtia lenior. Explorabatur*, ſcribit, *hoſtia, ductô per frontem cultrô, idque* mactare *vocabant: Unde qui ſpectatâ ſunt virtute, mactos virtute dicimus.* p. 618.

Alter erat PILORUM ABSCISSIO, quæ proximè immolationem cum cultro ſequebatur. Evulſos hoſce hoſtiæ pilos, & quidem è fronte, cum quadam molarum parte, igni ſuper aram accenſo committebant, ac ἀπαρχὰς, *prima libamina* vocabant. Homerus; ἀρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας; Il γ. v. 273. Statius, lib. V. Theb. *

Ardua ferro
Signati capita, & frugum libamine puro,

Virg. lib. *VI.* Æn. v. 245.

Et ſummas carpens media inter cornua ſetas,
Ignibus impoſuit ſacris libamina prima.

Idem, lib. *XII.* v. 173.

Dans fruges manibus ſalſas, & tempora ferrô
Summa notant pecudum.

Id eſt, pilos in fronte cultrô præſcindunt. Servius tamen aliter: *Erant probationes, utrum eſſet animal aptum ſacrificio: Obliquum etiam cultrum à fronte uſque ad caudam ante immolationem ducere conſueverant; nam hoc eſt quod dicit: Tempora ferrô Summa notant pecudum.* ſchol. in h. l. Abſciſſionem illam pilorum prætereà etiam in memoriam antiqui veſtitus, qui conſtitit ex pilis, factam, monet Euſtathius ad Hom. Et plures alias cauſſas ſuperaddere nititur Stuck. f. 99. & 100.

Mactæ tertiò frontem ac tergus victimæ, priuſquàm,

* *Hic locus neqvidqvam ibi à me qvæſitus eſt.*

quàm, vel etiam dum preces inchoabant, ſacerdos VINUM INTER CORNUA ADFUNDEBAT, quod & ipſe anteà leviter deguſtabat, aliiſque adſtantibus guſtandum deferebat, ut teſtantur Petrus Gualterus Chabotius, not. ad Horat. Choul. p. 308. & qui eum audacter exſcribſit, Stuck. p. 99. *Fruſtra enim diis carnem obferebat, qui poculum non propinabat*, ait Clariſſ. Boxhornius, orat. de Theol. pagan. Virg. lib. VI. Æn. v. 243.

Quattuor hîc primùm nigrantes terga juvencos
Conſtituit, frontique invergit vina Sacerdos.

Ovid. lib. VII. Metam. v. 593.

Admoti quoties templis, dum vota Sacerdos
Concipit, & fundit purum inter cornua vinum.

Idem, lib. I. Faſt. v. 357.

Rode caper vitem, tamen hinc, cum ſtabis ad aram,
In tua, quod ſpargi cornua poſſit, erit.

Juvenal. Sat. XII. v. 7.

Quippe ferox vitulus, templis maturus & aris,
Spargendusque mero.

Quin & ad ipſos ſæpe ſacrificantes infuſionem, hanc pertinuiſſe colligimus ex Virg. lib. IV. Æn. v. 60.

Ipſa tenens dexterâ pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Ad quæ verba Stuckius duobus locis citat verba Servi, de quibus in meo exemplo * ne γρῦ quidem exſtat:

* *Ne γρῦ.*] Qvale exemplar Servii Cl. Auctor noſter habuerit, dicere non habeo. Stuckius ſanè hic non malâ fide egit: licèt loca confuderit; vel ex alio exſcripſerit, qvod mihi admodùm ſit veriſimile; verba enim Plauti & Lucretii ad iſta qvidem duo Maronis loca in Servio nullibi comparent. Verba ipſa Stuckii in p. m. *99*. edit. Tigurinæ hæc ſunt.

ſtat: Nos, ut diximus alibi, aliquando ſcrupulum hunc de ServI editionibus ponderabimus. Rhodienſes victimæ humanæ in ſaturnalibus ante mactationem vinum priùs propinabant, teſte Porthyriô,

περὶ

ſunt. *Ut videre licet apud Virgil. Æn. VI. 243. Qvattuor hæc* &c. *Et IV. Æn. 60: Ipſa tenens* &c. *Ibi Servius*: non eſt ſacrificium, *inqvit*, ſed hoſtiæ exploratio. (In meis qvinqve, tot enim habeo, Servii codd. ſatis probæ notæ, non ſolùm reperio verba iſta, ſed etiam hæc omiſſa à Stuckio: *utrum apta ſit) Media*, pergit Stuckius, *inter cornua fundit. Fundere, ait idem, eſt ſupinâ manu libare, qvod fit in ſacris ſupernis. Vergere autem eſt, converſâ in ſiniſtram partem manu, ita fundere, ut patera convertatur: qvod in inferis fit. Hinc apud Plautum in Curculione (I. II. 11.) Lena anus ebrioſa:*

— *Ipſum expeto* inqvit
Tangere! invergere in me liqvores tuos
Sino ductim. — —

Et Lucretius, librô V. v 1007.

Illi imprudentes ipſi ſibi ſæpe venenum
Vergebant: nunc dant aliis ſollertius ipſi.

Porrò iſta pertinent, inqvit Servius, in locum illum Virgilii, ad victimarum explorationem, ut ſi non ſtupuerint, apta probentur. Hactenus Stuckius. Qvi ſi modò in ultimo loco addidiſſet ad VI. Æneid. & omitiſſet locum Plauti & Lucretii, neſcio qvid in eo reprehendi poſſit. Qvamqvàm Servius in VI. Æneid. verba è lib. IV. adduxerit: qvæ omiſit Stuckius: Servius enim *in qvarto*, inqvit, *ait*: Media inter cornua fundit; ita ut verba è IV. libro in VI. explicârit qvoqve, ut nimium feſtinârit Dn. Saubertus ſcribens, *ne γρῦ illis de verbis in ſuo qvidem exemplo exſtare.* Ego ſanè Servii verba à Stuckio laudata in omnibus meis exemplis & locis duobus adductis inveni. Ipſum ſi inſpexiſſet Servium Dn. Saubertus, Joh. à Meyen paullò infra non adduxiſſet, cùm illa ab hoc adlata in Servio legere potuiſſet.

περὶ ἀπονχῆς, lib. II. §. 54. Dicebatur autem infuſio illa *κατάσπεισις*. Differentia hîc inculcanda inter ſuperûm & inferûm hoſtias : His vinum verſâ manu in ſiniſtram partem ita *invergebant* (nota verbum ſolemne) ut patera converteretur, illis ſupinâ manu *fundebant*. Joh. à Meyen ad V. Æn. Adde Ang. Politianum, miſc. c. XXVI. Auribus quoque victimarum aquam, ut victimæ adnuerent, infuſam docet Myrtilus : *οἱ μὲν ἱερεῖς τὸ ὕδωρ εἰώθασιν ἐμβαλεῖν εἰς τὸ οὖς τοῦ ἱερείου, ὡς ἐπινεύσηται ταῖς τελεταῖς;* lib. II. rerum Lesbb.

ORNAMENTA jam, quæ ante immolationem victimis dabantur, conſideranda veniunt, quæ adpellabantur *ταινίαι*, & ſimul *ζώνας*, *δεσμοὺς* ac *διαδήματα* complectebantur: Atque adeò errat Choulius, p. 301. cum ſua cornicula Stuckio, p. 77. qui *ταινίας*, item vittis ſignificari ait lora, ſive faſcias, quæ ex infula dependebant. S. Hieronymus ex eo, quòd hoſtiæ eſſent ornatæ, meretriculas *expolitas libidinum victimas* vocat, lib. contra Helvid. Obvelabantur autem INFULA ſive VITTA, quibus adpendebantur ſimplicia ligacula, vel ſi opimæ eſſent Victimæ, inaurata redimicula quaſi è globulis contexta, ad modum earum ſirpicularum, quæ etiam hodie Pontificiis ad preces numerandas inſerviunt. Ejus exemplum è marmore antiquiſſimo Choulius ſuppeditavit, quod capiti huic litt. F. præfiximus. Ita de iis (licet in ſignificatu *ταινιῶν* ac vittarum totô cœlô erret) Choul : *Si l'hoſtie eſtoit grande, elle marchoit pour eſtre immolée, auecques la front, & les cornes dorées, enrichie de petits chappelets, & patenotres dorez, qui luy pendoyent des cornes deça & dela.*

dela. Si la victime petite debuoit eſtre immolée, elle eſtoit coronnée du rameau de l'arbre, qui eſtoit dediè au Dieu, auquel ſe faiſoit le ſacrifice: ou bien elle eſtoit accouſtreé d'une infale de laine, de laquelle pendoyent, deux liens, qui ſont nommez en Grec ταινίαι, & Vittæ en Latin; p. 300. & 301. Audiamus jam de victimarum infulis ac vittis poëtas. Virg. lib. II. Aen. v. 133. *Et ſalſæ fruges & circum tempora vittæ.* Et paullò pòſt, v. 156. -- *Vittæque deûm quas hoſtia geſſi.* Idem, lib. III. Georg. v. 487.

Stans hoſtia ad aram
Lanea dum niveâ circumdatur infula vittâ.

Ovid. lib. XV. Metam: v. 130.

Victima labe carens, & præſtantiſſimâ formâ,
Siſtitur ante aras, vittis præſignis & aurô.

Juvenal. Sat. XII. v. 115. ſ.

- - Mactare vovebit,
De grege ſervorum magna & pulcherrima quæque
Corpora, vel pueris & frontibus ancillarum
Imponet vittas, &, ſi qua eſt nubilis illi
Iphigenia, domi dabit hanc altaribus.

Regales Victimæ vittâ purpureâ ornabantur. Seneca, Thy: Actu IV. ſc. I. v. 685.

Poſt terga juvenum nobiles religat manus,
Et mœſta vittâ tempora purpureâ ligat.

CORONÆ porrò aut victimis nudis, aut etiam jam vittatis imponebantur. In actis Apoſtolorum Sacerdos Jovis tauros & coronas adfert, Jovi ſacrificaturus c. XIV. 13. Vide Corn. â Lapide in h. l. itemque B. Parentis mei Prodr. Philol. S. p. 33. &

& ſeqq. Plinius: *Ferunt primum omnium Liberum Patrem impoſuiſſe capiti ſuo coronam ex hedera: Poſteà deorum honori ſacrificantes ſumſerunt; victimis ſimul coronatis;* H. N. lib. XVI. c. IV. Statius, lib. V. Theb. * *Tum fera cæruleis intexit cornua ſertis.* Prudentius, hym. XIV. περὶ στεφ. v. 1021.

> *Huc taurus ingens, fronte torvâ & hiſpidâ,*
> *Sertis revinctus aut per armos floreis,*
> *Aut impeditus cornibus deducitur.*

Idem in Apoth. v. 530.

> *Vitulaſque revinctas*
> *Fronte coronatas umbrabat torta cupreſſus.*

Nos ex marmore, ubi integrum ſacrificium, caput victimæ coronatum Lectori init. cap. litt. G. excerpſimus. Aliquando tamen coronæ pro vittis ſumuntur. Lycophron: ἐς βαθεῖαν λαιμίσας ποιμανθρίαν στεφηφόρον βοῦν. Ubi alii legunt στεφανηφόρον; Canterus optimè vertit: *Vittatam vaccam.* Jos. Scaliger eruditè exprimit: *bovem infulatam.* Propriè autem victimæ nec vittis *velari*, nec *coronari* dicebantur, ſed *ornari*; ut docet Servius ad illud Virgilii: *Velati ramis oleæ,* lib. XI. Aen. v. 101. *Non coronati*, inquit, *(nec enim lugentes decebat;) ut qui pro mortuis precabantur: Sed inſtructi & ornati, id eſt, in manibus olivæ ramos ferentes. Sic Homerus:* στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος. *Velati autem*

* *Hic locus rurſus aut falsò adductus eſt; aut meam effugit diligentiam, nec vacat in defectu Indicis, totum perlegere Statium: Sic in ſequent. Prudentii loco Hymnus X. pro XIV. erat adlegatus & hunc Prudentii inſequens locus omiſſus planè ex Apotheoſi erat, ut perſpicuum ſit, quanti, adlegationes ſcriptorum non inquiſita facienda.*

tem ornati, *ut illô locô ſignificat: Victori velatum auro vittisque juvencum. Cùm vittis non velentur aut coronentur victimæ*, *ſed ornentur*. Hæc ille. In tergo quoque Victimarum faſciam aliquam ex utraque parte hinc & inde dependentem in numis & marmoribus conſpicio. Vide tab. litt. F.

Boum, caprarum, ac arietum *cornua* ſæpiuſculè DEAURABANTUR, ipſique *Majores* hoſtiæ & *grandiores*, teſte Athenæô, ac primitus *opimæ*, teſte Liviô, dicebantur. At *maximæ* hoſtiæ vocatæ ſunt ovilli pecoris, non ob corporis quantitatem, ſed propter animum placidiorem. Feſtus. Ovidius: *Albaque opimorum colla ferire boum*; de Pont. lib. IV. El. IX. v. 50. Plinus major: *Deorum honori in ſacris nihil aliud excogitatum eſt*, *quàm ut auratis cornibus hoſtiæ majores duntaxat immolarentur*; H. N. lib. XXXIII. c. III. princip. Plinius junior: *Auguſtioribuſque aris & grandioribus victimis invocaretur*; in paneg. c. LII. 1. Vide Catanæum in h. l. & Macrobium, lib. III. Saturn. Plutarchus: *Poſt hos ducebantur auratis cornibus armentales boves viginti mitris ornati & corollis*; in P. Aemil. Antiochus Syriæ. rex Hieroſolymam obſidens Judæis taurum auratis cornibus, thus & aurea vaſa, ut Deo in tabernaculorum feſto obferant, largitur. Vide Fulgos. lib. I. c. I. Virg. lib. IX. Aen. v. 627.

Et ſtatuam ante aras auratâ fronte juvencum
Candentem. - -

Ovid. lib. X. Metam. v. 271.

- - *Blandis indutæ cornibus aurum*
Conciderant ictæ niveâ cervice juvencæ.

lib.

lib. XV. Metam. v. 130.

Victima labe carens & præſtantiſſima formâ
Siſtitur ante aras, vittis præſignis & aurô.

Tibullus, lib. IV. epigr. I. v. 15.

Semper inauratô taurus cadit hoſtia cornu.

Juvenalis, Sat. X. v. 48.

- - *Auratam Junoni cæde juvencam.*

Prudentius, Hym. XIV. περιστεφ. v. 1024.

Nec non & aurô frons coruſcat hoſtiæ,
Setaſque fulgor bractealis inficit.

Val. Flaccus, lib. I. Argon. v. 89.

- - *Dabit auratis & cornibus igni*
Colla pater. - - -

Martialis, lib. IX. Epigr. XLII. v. 8.

Felix tunc ego, debitorque voti
Caſurum tibi ruſticas ad aras
Ducam cornibus aureis juvencum.

Vide ſchol. Calderini & Mancinelli in Juven. l. c. Gyraldum, ſynt. XVII. p. 499. Stuckium, f. 77.

Ebræi Lingvam coccineam victimis quibusdam adſigebant; & quidem cervici hirci in expiationis ſacrificio mactandi, ut tradunt Talmudici, ad differentiam capri emiſſarii, cujus capiti adligabatur. Ex illa poſteà divinare conabantur, an litâſſent, necne? Requirebatur enim ad bonum omnen, ut albeſceret. Vide Joma, c. IV. §. 2. c. VI. §. 6. cum Gemara Babylonica & not. Sheringham. Inde Rabbi Iſmaël in cit. Cod. (licet Miſchna illa ברתייתא id eſt *Exotica* inſcribatur) illud: *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur* Jeſ. I. 18. dictum eſſe adſerit. Verba ipſius ſunt: לשון של זהורית היה קשור על פתחו של היכל יכשהגיע שעיר למדבר היה הלשון

מלבין

מלבין שנאמר אם יהיו חטאיכם כשנים כשלג ילבינו: id eſt. *Lingva coccinea adligata erat ad portas templi, & cùm hircus ad deſertum acceſſiſſet, albeſcebat; quia dicitur: Si fuerint peccata veſtra ſicut coccinum, ſicut nix albeſcent*; c. VI. in fin.

ΤΡΙΑΣ ſeu *numerus Ternarius*. Si ſuperis & terreſtribus ſacrificaretur, inprimis obſervabatur in hoſtiis immolandis, vinô adſundendô, melle, ſale, hordeô &c: adſpergendis; temporis ſpatiô, veſtium ſacerdotalium figurâ ac genere; templi & aræ ambitu, extorum concremationibus, ſubſumigationibus, vaſorum ſacrorum figurâ, &c. Hinc illud Pythagoræ ſymbolum, aut, ſi magis placeat, præceptum: *τοῖς μὲν οὐρανίοις περιττὰ θύειν, ἄρτια δὲ τοῖς χθονίοις* id eſt: *Cæleſtibus imparia ſacrificato, inferis verò paria.* Item aliud: *Honora inprimis figuram ac pretium denariorum trium.* Vide Servium, Macrobium, Plutarchum, Eraſmum, P. Manutium &c. & qui Symbola Pythagorica expoſuêre, Jamblichum, Marſilium Ficinum, Joh. Capnionem, ſive Reuchlin, Lilium Greg. Gyraldum; & alios †: Inde quoque Maronis locus planus evadit: *Numerò Deus impare gaudet.* Ecl. VIII. v. 75. Evolve AuſonI ſcribtum elegans de ternario numero; Marſil. Ficinum in Plat. lib. V. de Rep. Petrum Bungum de numerorum myſteriis, Parrhaſium in epiſtolis, Nat. Com. lib. I. c. X. XI. Foquelinum in Sat. II. PerſI, Lauretum in ſilv. alleg. Stegerum de vett. lotionibus c. V. Certè ſacrificium plenum perfectumque ex ſue putabatur, cònſtare, tauro,

† *Cumprimis Cl. Chriſtianum Schotanum in Diſſertat. Philolog. de Ternario, Franekeræ habita & edita 1663. in 4to.*

ro, & hirco ſive ariete, adpellabaturque τρίττος: Sicut Romanis ſolitaurilia ex ſue, ove, tauro. Talia τέλεια Jovi præcipuè oblata invenimus, â quibus eum Cœlius τέλιον dictum putat. Sed cur Ariſtoteles inquit: *Naturâ impulſos homines trinitatis numerô in ſacrificiis uti:* An juxta quorumdam opinionem ideo; quòd omnibus hominibus â natura nihil fruſtra operante inſitum ſit, ut ſanctam Trinitatem in divinitate ſentiant? Verba Philoſophi, lib. I. de cælo hæc ſunt: μεγέθους δὲ τὸ μὲν ἐφ᾽ ἕν, γραμμὴ τὸ δ᾽ ἐπὶ δύο, ἐπίπεδον, τὸ δ᾽ ἐπὶ τρία, σῶμα, καὶ παρὰ ταῦτα οὐκ ἔστιν ἄλλο μέγεθος, διὰ τὸ τὰ τρία πάντα εἶναι καὶ τὸ τρὶς πάντα. καθάπερ γάρ φασιν οἱ Πυθαγόρειοι, τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα τοῖς τρισὶν ὥρισται. Τελευτὴ γὰρ, καὶ μέσον, καὶ ἀρχὴ τὸν ἀριθμὸν ἔχει τοῦ παντός. ταῦτα δὲ τὸν τῆς τριάδος. Διὸ παρὰ τῆς φύσεως εἰληφότες ὥσπερ νόμους ἐκείνους, καὶ πρὸς τὰς ἁγιστείας χρώμεθα τῶν θεῶν τῷ ἀριθμῷ τούτῳ, Confer exemplorum cumulum, quô Schedius clarat, Gentiles trinunitatem Dei † neutiquàm ignorâſſe; de D. G. lib. I. c. XII. Adde Parrhaſium comm. in lib. I. Claud. de Raptu Proſerp. A ternario etiam ſeptenarium haud adeò infrequentem fuiſſe, commonſtrant Cœlius, L. A. lib. XXII. c. XII. & lib. IV. c. XXIV. Meurſius, denar. Pyth. c. IX. Interdum hoſtiarum nume-

 rus

† *Philippus Mornæus in ſexto capite libri de Veritate Religionis Chriſtianæ, Trinitatem ſacro-ſanctam Ethnicis cognitam fuiſſe nonnullis eorum probare ſtudet teſtimoniis: at invitis Cl. Joh. Hoornbeeckiô, libr. II. de Converſione Indor. c. II. p. 97. ſ. & B. Jacobô Martini, lib. II. Exercitation. Metaphyſ. Exercit. IV. Theorem. IX p. m. 715. ſ. edit. Witteberg. M. DC XI. in 8t.*

rus ad vicenarium extendebatur, ſacrificiaque dicebantur εἰκοσάβοια; aliquando ad millenarium, quæ χιλιόμβαι: ſæpiſſime ad centenarium, unde ἑκατόμβαι vocatæ, atquè ita ab ἑκατὸν· Straboni, lib. VIII. quòd centum Peloponneſi urbes ſacerent; aliis ab ἑκατὸν & βοός â centum bobus, qui ſynecdochicè etiam cetera animalia comprehendunt. aliis ab ἑκατὸν βάσεων id eſt ποδῶν, quòd animalia XXV. necarentur quadrupedia, quorum pedes faciunt C: Hinc Hecatombe aliàs *Centumpedum victimarum*, aliàs σύσκιον id eſt *opacum & umbroſum ſacrificium* adpellatum. Vide Gyrald. ſynt. XVII. p. 477. Ita autem de iis Julius Capitolinus: *Hecatombe tale ſacrificium eſt: Centum aræ uno in loco ceſpititiæ exſtruuntur, & ad eas centum ſues, centum oves mactantur, Jam ſi Imperatorium ſacrificium ſit, centum leones, centum aquilæ, & cetera hujusmodi animalia centena feriuntur*; in vitt. Max. & Balb. c. XI. Alexander M. victis Lacedæmoniis Hecatomben immolavit. Suid. voc. *Athenæus*. Amm. Marcellinus: *tauros aliquoties immolavit centenos*; lib. XXII. c. XII. Apud Romanos tempore Caligulæ trium menſium ſpatiô ſupra CLX. millia victimarum cæſa ſunt. Svet. in ejus vita, c. XIV. Julianus Imp. *Victimarius* vocabatur, teſte Marcellinô, lib. XXII. c. XIV. quia innumeras ſine parſimoniâ pecudes mactabat; ut æſtimaretur, ſi reverti ſſet de Parthis, boves defuturos; auctore eôd. lib. XXV. c. IV. Rufus vir ſenatorii ordinis inter cœnam optaverat, ne Cæſar ſalvus rediret ex ea peregrinatione, quam parabat; & adjecerat: *Idem omnes tauros & vitulos optare*. Seneca de benef. lib. III. c. XXVII. Vide not. Gothofredi in h.l. Virg. lib. I. Aen. v. 637.

Mittit

Mittit
Viginti tauros magnorum horrentia centûm
Terga ſuum, pingveis centum cum matribus agnos;
Munera lætitiamque Dei. - -

Vir cetera πεϱίπυςος Joh. â Meyen eos qui navigârunt, vel navigaturi erant, Hecatomben tradit feciſſe; quod difficile quidem creditu: & unde tandem ſatis θεοθύτων? Fulgentius Grammaticus Hecates nomen ab ἑκατὸν deducit, ob centum victimas ei mactatas: Ideò etiam Jupiter, item Apollo ἑκατομβαῖος, & Diana ἑκατομβαία nominata eſt. Vide Cœl. lib. XIII. c. XXXIV. extr. Et Junius, â quo annum auſpicabantur, Athenienſibus ἑκατομβαίων dictus. Dionyſ. Halicarn. lib. I. Rogas autem, unde tot ſubinde ad ſacrificia ceſſerint victimæ? Audi Xenophontem: *Permiſit eiſdem, ut de omnium ſcrofarum partu ſingulos porcos caperent, ne unquàm ſacrificia regia impedirentur, ſi quâ re cum Diis communicatâ opus eſſet;* orat de form. civit. Laced. Idem habet Alex. ab Alex. *Reges Spartanorum, quum primùm in eam adſumti ſunt dignitatem, privilegiô honoris præcipui, Jovis cæleſtis & Lacedæmonii ſacerdotiô funguntur; quibus ex omni Scrofarum fœtu porcus debebatur, ut, ſi Dis immolare vellent, nunqvàm victima deeſſet*, lib. II. gen. dier. c. VIII.

CAPUT XIX.

D*Eductio victimarum.* Sacrificium Ambarvale: Amburbium. *Tituli victimis*

quibuſdam prælati. Ducere, Agere, *voces ſolemnes.* τȣ̃ Agere *ſignificatio.* Agolum. *Stuckio oculi aperiuntur. Officium victimas deducendi quorum? Patrimorum ac matrimorum puerorum in deductione ritus.* Terram tenere *quid ſit apud Ciceronem & Arnobium? Variæ in Cic. lectiones. LipsI conjectura laudatur ut ingenioſa, ſed non probatur ut vera. Mirandum ſacrificii Chthoniæ Hermionenſis. Triſtia & læta ſigna in deductione. Proverb:* Agamemnonis victima. *Lyſimachi effigies quare cornuta? Hoſtiæ cur ante ſacrificium cicuratæ? Stuckius leviter tangitur. Ionum & Delphorum contraria à reliquis gentibus opinio. Varii modi deducendi victimas.* Tenſæ: *Earum etymon. Scaligeri P. erronea opinio.* Thenſa *ne an* Tenſa *ſcribendum?* Tenſa *propriè quid? Cur ita ita vocata, & non* Tenta? Tendere, Tentum, Tentigo *vocabula nequitiæ: Horatius emendatur. Victimæ an ante aras ligatæ? Stuckius malè ſimpliciter adfirmat. Servius immeritò à Stuckio adroditur. Stuckius notatur: Juvenalis locus ab eo perversè explicatur. Negativa pars: Ab ea Juvenalis perperam intelligitur. Gyraldus notatur. ServI media inter duas illas opinio. Verba ServI clarantur. Veriſſima ex-*

explicatio loci Juvenalis. Victimæ ante percuſſionem ſolutæ. Victimæ plures unô continuô fune ligatæ ad ſacrificia. Sententia Servi limitatur. Hoſtiæ quænam ante aras non ligatæ? Germanorum mos victimam ante aram ligandi. Manus victimis impoſitæ: Cur? Agon' *formula in ſacris ſolemnis: Ab eâ* Agonalia, Agonium, Agonæ. *Falſa Suidæ adſertio. De Suida judicium.* Agon' *etiam in ſuppliciis uſitata.* Hoc Age, *reſponſio ad* Agon'; *â Numa ortum habens. Probatur hæc adſertio: Multorum doctorum virûm in explicatione formulæ iſtius labſus: Ejus duæ cauſſæ. Vulgata Plutarchi verſio caſtigatur.* Θείου *varia ſignificata.* προσέχειν τοῖς ἱεροῖς *quid apud Plutarchum?* χρείας *emphatica ſignificatio. Lutheri verſio Act.* VI. 3. *deprædicatur. Donati ſcholion reprobatum. Mureti notabilis oſcitatio. Faërnus adverſus Muretum defenditur. Mureti miranda motio aurium: Ejus mordacitas modeſtiâ adparenti colorata: Ejus elatio; Furta; Nefanda libido, & imminens ob eam pœna. Muretus Romæ Profeſſor. Gyraldi labſus. Paul. Manutius protervus compilator. Choulii titubatio. Stuckii adſentatio erroris cauſſa. Boxhornius notatur. Formula* Hoc Age *in proverbium abiit. Hadr. Junio tu-*

tela

tela præſtita. Junius & Eraſmus notantur. Mureti procacitas in Eraſmum. Officium percutiendi victimas quorum? Victima ante aram percuſſa. Stare, Statuere; Admovere, *voces ſacrorum. Victimæ collum retractum in ſuperûm ſacrificiis.* Ἀνερύειν, Ἀνάῤῥυσις, ἀναῤῥύω. *In inferûm capita hoſtiarum depreſſa. Commentitia Natalis Comitis diſtinctio. Culter Delphorum victimatorius qualis?* Σφάττειν, θύειν, mactare, immolare, *voculæ ſacrorum. Differentia inter* θύειν *&* σφάττειν. *Varii apud varias gentes conficiendi victimam modi. Percuſſionem ſequebatur jugulatio. Quædam percuſſio ſimul jugulatio: In hac ritus erigendi victimas: Percuſſionis hujus duo modi* Subponere cultros *quid? Gyraldi figmenta: Eum ſequitur Choul. Sangvis in inferiis quò, & quò in ſuperûm ſacrificiis emiſſus? Victimæ cur antè percuſſionem expanſæ? Expanſio hæc duplex, Ejus hodiernæ reliquiæ. Apud Ebræos jugulatio ferè uſitatiſſima, Quomodo facta?* הלכה והבאה *Cervix* בית שחיטתו *Avium immolatio qualis?* Ξύρησις *victimarum: Earum excoriatio: Excoriandi officium cujus? Diſſectio victimarum: Quomodo facta? victimæ quando multiplicatæ?* Hoſtiæ Succidaneæ: *Tantùm erant*

erant feminæ. Δεύτερα ἀμείνω, Præcidaneæ hoſtiæ. Προτέλεια. Præcidanea porca; agna. Porcus piaculus. *Præcidaneæ hoſtiæ quænam?* Hoſtiæ Primæ. Præſia porca. *Joſephi Scaligeri, Gyraldi, Taubmanni* σφάλματα. Succidanea *&* Præcidanea *unde? AgellI locus â mendis purgatur & plenè reſtituitur. Beroaldi tarditas: Ejus falſa adlegatio loci Agelliani.* Succedaneum *â cedere JCtorum vox.*

Omnibus ad ſacrificium ritè diſpoſitis atque ordinatis, præcedentibus lituis ac tubis victimæ ornatæ ad templum, & inde ad altare abibant: Quæ quidem, ſi rura expiarentur, rus; ſi urbs, urbem circumducebantur; illudque ſacrificium *ambarvale*; hoc *amburbium* & *amburbiale*, ſive *amburbale* vocabatur. *Am* enim Caſcis circum erat & *b* Euphoniæ gratiâ inſeritur. Vide LaurembergI antiquar. Vopiſcus in Aureliano: *Itum eſt deinde ad templum; inſpecti libri, proditi verſus, luſtrata urbs, cantata carmina, amburbium celebratum, ambarvalia promiſſa, atque ita ſolemnitas, quæ jubebatur, expleta*; c. XX. Apulejus: *Tandem pererratis plateis omnibus, & in modum eorum, qui luſtralibus piamentis minas portentorum hoſtis circumforaneis expiant*; lib. III. Metam. Vide Beroaldi not. in h. l. Virgilius, lib. I. Georg. v. 345.

Terque novas circum felix eat hoſtia fruges,
Omnis quam chorus & ſocii comitantur ovantes.

Luca-

Lucanus, lib. I. Phars. v. 592. ſ.

Mox jubet & totam pavidis â civibus urbem
Ambiri, & feſtô purgantes mœnia luſtrô.

Et paullò pòſt, v. 605.

Effuſam longis amfractibus urbem
Circumeunt.

Ita in Solitaurilibus victima ter exercitum circumagebatur, ut tradit Dionys. Halic. lib. IV. antiqq. Iis, quæ pro ſalute Principis aut Imperatoris occidebant, hoſtiis in deductione tituli præferebantur, cum inſcribtione v. g. *Libenter ſe mori, cùm relinquant tam bonum Principem ſuperſtitem*; quale exemplum exſtat apud Svet. in Aug. c. LIX. Voculæ, quando ad ſacrificium pergebant, ſolemnes notandæ ſunt, *ducere* & *agere*, quatenus hoc ſignificat ante ſe pellere id eſt minare, docente Feſtô: Unde *agolum* baculus paſtoralis. Cæcutit tamen Stuckius, qui *Agonium*, *Agonalia*, & *Agoniam*, de quibus nos infra, abhinc derivat, f. 76. Partes deducendi Victimariis competebant ac Popis, ut præter marmor, quod depinximus in tabellâ capiti ſuperiori præfixâ litt. F. infiniti numi ac alia monumenta teſtificantur: aliquando etiam pueris patrimis ac matrimis, inter quorum ritus erat hic quoque, ut nunquàm alterum pedem ſublatum, niſi ad ingrediendum, haberent, quod eſt *terram tenere* apud Ciceronem: *Aut puer ille patrimus & marimus, ſi terram non tenuit, aut tenſam aut lorum omiſit*; or. de aruſpp. reſpp. c. XI. & apud Arnobium: *Piaculi dicitur contracta eſſe commiſſio, ſi patrimus ille, qui vocitatur puer, omiſit per ignorantiam lorum, aut terram tenere non potuit*; lib. IV. adverſ. Gent. Fulvius Urſinus

ſinus tamen de hoc ritu ambigit, ac meritò commentum eſſe arbitratur: Ideò alii, *terram tenere* hh. ll. idem eſſe ajunt ac terram tangere; Ant. Auguſtinus & Pantagathus illum Ciceronis locum mutant & legunt. *Si tenſam non tenuit, aut lorum remiſit.* Lipſius ita emungere adlaborat: *Siſerram non tenuit.* Verba ejus ſunt: *Mihi ſemper ſuſpicio fuit corruptæ vetuſtæ vocis, & ne fortean Cicero ſcribſiſſet:* Siſerram non tenuit, *aut certè* Siſarram. *Siſarra propria ſacrorum vox, explicatur in veteri Lexico* περίβαπον μεῖζον ἐνιαυῖε; A. L. lib. IV. c. III. Magis fortè cruditè, quàm verè: Neque enim tàm ad Arnobl quoque locum quadrare videtur; qui tamen Ciceronem & legit, & exſcribſit. Ceterùm Angleriæ, in delubro Tutelæ, in ſaxo quodam integrum effictum eſt ſacrificium, in quo inter alia puellus nudus (quis alius quàm patrimus, aut matrimus?) adpellit juvencum, cujus picturam vide apud Gruterum in Inſcribt. p. 1007. Vide Plutarchum in Mario, Cic. Verr. In ſacrificio Chthoniæ Hermionenſis â Vetula imbelli bos immolandus ad aram ex armento cornibus ducebatur, quem decem aliàs viri robuſti attrahere non poterant; de qua re ita Ariſtocles.

Δάματερ πολύκαρπε, σὺκ' ἐν σικελοῖσιν ἐναργής.
  καὶ παρ' ἐρεχθείδαις ἔν τε μέγα κρίνεται.
Ἑρμιονεῦσι τὸν ἐξ ἀγέλης γὰρ ἀφειδῆ ταῦρον,
  ὃν τ' οὐχ αἱρῶσιν ἀνέρες οὐδὲ δέκα.
Τοῦτον γραῦς σείχουσα μόνη μόνον οὔατος ἕλκει
  τὸν δ' ἐπὶ βωμὸν, ὁ δ' ὡς μάτερα παῖς ἕπεται.
Σὸν τόδε δάματερ, σὸν τὸ σθένος ἵλαος εἴρης,
  καὶ πάντων θάλλει κλᾶρος ἐν ἑρμιόνῃ.

In deductione & percuſſione, ſi victima refuge-

ret,

ret, reluctaretur, mugitum icta daret, aut non placidè rectéque unô ictu caderet, piaculare ſacrum & ingratum habebatur; velut optimi contra ominis erat, ſi victima ſponte ſequeretur & facilè caderet. Svetonius tanquàm audax de J. Cæſare facinus: *Cùm immolanti aufugiſſet hoſtia, profectionem non diſtulit;* c. LIX. Alexandro Severo hoſtia cruenta aufugiens mortis ômen fuit, Lamprid. c. LX. Simile portententum Galbæ mortem præivit; Svet c. XVIII. Marcellinus: *Complures hoſtias Marti parabat Vltori, & ex tauris pulcherrimis decem ad hoc perductis, nondum aris admoti, voluntate ſuâ novem procubuêre triſtiſſimi: Decimus verò qui defractis vinculis labſus ægrè reductus eſt, mactatus ominoſa ſigna monſtravit;* lib. XXIV. c. VI. Plinius: *Hoc quoque notatum, vitulos ad aras humeris hominis adlatos, non ferè litare, ſicut nec claudicante, nec alienâ hoſtiâ deos placari, nec trahente ſe ab aris;* H. N. lib. VIII. c. XLV. extr. Feſtus: *Piacularia vocabant, quòd ſacrificantibus triſtia portendebant: cùm aut hoſtia ab ara profugiſſet, aut percuſſa mugitum dediſſet, aut in aliam partem corporis, quàm oporteret, decidiſſet.* Ovid. lib. VII. Metam. v. 597.

Mugitus victima diros
Edidit: & ſubitò conlabſa ſine ictibus ullis,
Exiguô tinxit ſubjectos ſangvine cultros.

Seneca, Oed. Actu. II. ſc. II. v. 336. ſ.

TIR. *Placidône vultu ſacra & admotas manus*
Patiuntur?
Vnone terram vulnere adflicti petunt?
MAN. *Juvenca ferrô ſemet oppoſitô induit,*
Et vulnere unô cecidit: At taurus duos

Per-

Perpeſſus ictus, huc & huc dubius ruit,
Animamque feſſus vix reluctantem exprimit.

v. 351. TIR. *Infauſta magnos ſacra terrores cient &c.* Unde proverbium: *Agamemnonis victima*, de quo ita Zenobius: Ἀγαμέμνονος θυσία. ἐπὶ τῶν δυσπειθῶν καὶ σκληρῶν. Ἀγαμέμνονος γὰρ θύοντος ἐν Τροίᾳ, ἔφυγεν ὁ βοῦς, καὶ μόλις ληφθεὶς, ἤχθη. Adde Eraſmum in Chiliadd. Lyſimachi effigiei, quòd ille quondam victimam aufugientem retinuiſſet, cornua adpicta in monumentis ac numis argenteis æreiſque exſtant, quales adducit Choul, & ad eos commentatur de Lyſimacho loquens: *Accouſtree de ſon drademe, & deux cornes, qui ſignifient, que ce Roy arreſta un taure furieux, qu' Alexandre le Grand vouloit ſacrifier, qui eſtoit eſchappé des mains des Victimaires, lequel il retint par les cornes, & le tua: Et pour telle raiſon furent adjouſtées à ſes ſtatues & ſimulacres deux cornes par gros honneur.* p. 54. Propterea hoſtias, ne refugerent, miniſtri ac victimarii cicurabant: Si autem refugiſſent, eô mactari illas locô, quô retinebantur, moris fuiſſe adſtruit Stuckius, f. 77. id quod ſimpliciter non eſt verum; perrarò enim id uſuveniebat, ſæpiuſque reductas victimas fidem faciunt locus adlegatus Ammiani, lib. XXIV. c. VI. Itemque marmor antiquum templi, quod habet Choul. p. 329. ubi Popa porcum humerô bajulans inter alios ad ſacrificium commeantes viſitur. Vide de his Servium in lib. II. Georg. Virg. H. Savill not. in lib. III. Hiſt. Taciti. Macrobius *planè prohibitum ſacrificium fuiſſe* ſcribit, *ſi quando hoſtia altaribus invita admoveretur, quaſi invito fieret Deo*; lib. III. Saturn. c. V. At Iones tunc ſe litare putabant, ſi ho-

ſtia mugitum daret: Et apud Delphos nullum reddebatur Oraculum nî ab imo tota prorſum contremuiſſet victima cum omnibus partibus. Cœl: L. A. lib. XII. c. I.

Deducendi ad altaria victimas varii erant modi. In nomiſmate Hadriani æreo apud Choulium arietem pedibus anterioribus adducit Popa poſterioribus incedentem, p. 302. Apud eumdem, p. 312. 313. in Solitaurilibus Popa ſuem, aliuſque arietem non ligatos adducunt, ſed manibus blandiuntur ac impellunt, quomodo etiam Patrimus puer in marmore Angleriano juvencum, de quo ſupra. Valde autem præ ceteris communis fuit modus lorô ſeu fune ſive ligatam cornibus, ſive quaſi capiſtrô frenatam ducere, quod compluria marmora & nomiſmata probant, quale nos quoque in capitis præcedentis apice, litt. F. adduximus. Vincula illa ac lora *Tenſas* dicta adparet ex Ciceronis & Arnobl ll. cc. atque ita non quidem σκηνὴ θεῶν, quod ex Aſconio complacere miramur J.C. Scaligero de Re Poët: lib. I. c. XXXII. unde ſeducti quidam *Thenſa* ſcribunt; verùm à tendendo, *quod ante ipſas* (ait Pedianus, III. in Verr. Cic.) *lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere & tangere, qui eas deducunt.* Erat enim propriè Tenſa vehiculum, quô deorum vehebantur ſimulacra, quodque trahebatur à bubus, equis vel aſinis. Aſconius: *Tenſæ ſunt ſacra vehicula pompa ordinum & hoſtiarum.* l. c. Gloſſæ: *Tenſa*, ἅρμα θεῶν. Videantur Lipſius, c. XI. de Veſt. Voſſius de Idolol. lib. II. c. X. Elmenhorſt. not. ad lib. IV. Arnob. adverſ. Gent. Muretus, qui etiam Servium *Thenſam* ſcribentem flagellat, not. in Catull. *Tenſam* au-

autem non *Tentam* dixêro, quia *tentum* ſæpiuſculè, velut & *tentigo*, & *tendendi* verbum, ad profanam virilitatis obſcœnitatem adcommodabatur. Apulejus: *Cùm ego jam vinô madens nec animô tantùm, verùm etiam corpore ipſô ad libidinem inquies, alioquin & petulans, etiam ſaucius pauliſper inguinum fine, laciniâ remotâ impatientiam Veneris Fotidi meæ monſtrans: Miſerere, inquam, & ſubveni maturiùs: nam, ut vides, prælio, quod nobis ſine fecialis officio indixeras, jam proximante vehementer intentus, ubi primam ſagittam ſævi Cupidinis in ima præcordia mea delabſam excepi, arcum meum & ipſe vigore tetendi, & oppidò formido, ne nervus rigoris nimietate rumpatur*; lib. II. Metam. p. 122. Apud Petronium Eumolpus rogat ephebum, *ut patiatur ſatisfieri ſibi, & cetera, quæ libido diſtenta dictat*; in Satyr. In quem locum vide Joh. à Wouweren. Cælius Aurelianus: *Hanc enim accipientes Venerem provocantur cum tentigine genitalium partium*; lib. III. acut. paſſ. In pervigil. Veneris: *Nemo tentis mentulis, det nemo nervis otium*; Catull. Epigr. LXXXI. v. 6. *Grandia te medii tenta vorare viri*. Virgilius, ſive quicumque auctor ſit Priapejorum, (Virgilium quippe eſſe Gyraldus & alii negant:) *Priape tento quod gravis ſis faſcino*. Martialis: *Cùm me velle vides, tentumque Teleſphore ſentis*; lib. XI. Epigr. LIX. v. 1. Ibid. Epigr. LXXIV. v. 3. *Cùm fruſtrà jacui longâ prurigine tentus*. Idem, lib. VII. Epigr. LXXI. v. 1. ſ.

Edere laſcivos ad Bætica cruſmata geſtus,
Et Gaditanis ludere docta modis;
Tendere quæ tremulum Pelian, Hecubæque maritum
Poſſet ad Hectoreos ſollicitare thoros.

Horatius, epod. XII. v. 7.

Quis ſudor vietis & quàm malus undique membris
Creſcit odor, cùm pene ſoluto
Indomitam properat rabiem ſedare: nec illi
Jam manet humida creta, colorque
Stercore fucatus crocodili: jamque ſubando
Tenta, cubilia, tectaque rumpit.

Alii malè jungunt: *Tenta cubilia.* Idem, lib. I. Sat. II. v. 116.

Tument tibi cùm inguina: num, ſi
Ancilla, aut verna eſt praſtò puer, impetus in quem
Continuò fiat, malis tentigine rumpi?

Eadem vox de mulierum quoque partibus impudicis adhibetur. Juvenalis de Meſſalina, Sat. VI. v. 129.

Tamen ultima cellam.
Cluſit, adhuc ardens rigidæ tentigine vulvæ.

Martialis, lib. VII. Epigr. LXVII. v. 1, ſ.

Pædicat pueros tribas Philænis,
Et tentigine ſævior mariti
Undenas vorat in die puellas.

Quamvis & *Tenſionis* vocem eôdem aliquando ſenſu legas, v. g. apud Cæl. Aurel. *Tenſionem autem veretur fuiſſe nimiam, ut cornu putaretur*; l. c. Theodorus Priſcianus: *Gonorrhœa ſine veretri extenſione.* Et paullò pòſt: *Tenſionem particulæ cum adſidua patratione facit*; lib. II. Log. c. XI.

At verò num & ante aras ligatæ fuerint victimæ, ingens in Philologorum foro lis eſt. Adfirmare Stuckius haud equidem ambigit, in ſubſidium Juvenalem vocitans, qui Sat. XII. v. 5.

Sed

Sed procul extenſum petulans quatit hoſtia funem
Tarpejo ſervata Jovi, frontemque coruſcat.

Cui ſubfragari videtur marmor Romanum, ubi Popa faſciâ ori bovis ad aram ſtantis circumdatâ victimam tenet, quod vide apud Choul. lib. de Caſtramet. Rom. p. 50. Proinde Servium adeò ſugillat, *hoſtias minores ante aras nullô vinculô ligatas ſiſti ſolitas* ſcribentem, f. 76. de Sacrif. Sed præter quòd falſò adlegaverit Virg. verſ. III. Æn. quem lib. IX. extare certum eſt: etiam curculiunculos minutos fabulat (ut cum feſtiviſſimo Comico loquar) ac inſubidè Poëtæ locum explicat. Et quantâ proh! Servium meum mactat injuriâ, cui verba adſinguntur, quorum nec veſtigium in vetuſtis exemplis? Alii in totum negant, illumque Juvenalis locum, ut & Iſidori etymon *victimæ* à vinciendo, non de eo tempore, quô ante aram ſtabant, ſed quô ad templum ducebantur, intelligunt, in quorum ſerie Lilius Gregorius Gyraldus, qui tamen ServI mentem minus aptè capit, & in citatione verborum ipſius, quæ habentur lib. II. Æn. leviter ceſpitat. Ita quoque ſcribit Choulius: *En tel ornement demeuroit la victime deuant l'autel, ſans eſtre liée* &c. *Car au parauant les victimes eſtoyent liées* &c. fol. 301. Accedere his videnter numi, litt. A, B, & E nunquàm antehàc ab ullo editi, capiti præced. à nobis præfixi, quos publicæ utilitati, prout ſtudia quorumvis immenſum quantum adminiculari, medius fidius! ſatagit, è gazophylacio ſuo benignè conceſſit vir ſine titulo laudatiſſimus Joh. Andr. Bosius: itemque alii, quos habet Urſinus ac Choulius; necnon ſolitaurilia columnæ Trajani in foro Romano, & marmor Anglerianum Gruteri, in qui-

 bus

bus victimæ ante aras conſpiciuntur liberæ. Duas has opiniones dividit Servius, traditque victimas ante percuſſionem fuiſſe vinculis liberatas, ſtetiſſe autem vel ante altare vinctas uſque ad percuſſionis tempus: Id quippe ex verbis ejus colligere eſt, ad illa VirgilI, lib. II. Æneid. v. 134. Vincula rupi: *Atqui*, inquit, *ſoluta ſunt hoſtiæ, cùm piaculum ſit aliquid in ſacrificio eſſe ligatum*; *Unde:* unum exuta pedem vincliſque in veſte recinctis. *Ergo vincula religionis intellige*; *ut:* Et vinclis innaret Clœlia ruptis. *Scil. federis. Sed dices: unde iſte ligatus fuerit? Non enim Trojani ligaverunt, cum ultrò ſe obtulerit: Unde intelligendum eſt à Græcis magis ligatum: Quia & conſvetudo illa, quam ſupra diximus, erat in ipſo tempore ſacrificiorum; anteà enim ligabantur. Juven.* Sed procul extenſum petulans quatit hoſtia funem; ad loc. cit. Æneid. Virgil. Hôc locô ſacrificii vocem ſtrictiſſimè pro victimatione ponit; atque ita dexterrimè Juvenalis verba de tempore eo, quô ante altare perſiſtebat victima, interpretatur. Apertè hanc ſolutionem ante confectionem factam indicat Virg. lib. V. Æn. v. 772.

Treis Eryci vitulos & tempeſtatibus agnam
Cædere deinde jubet, ſolvique ex ordine funes.

(Sed antiquos Codd. quotquot vidit, Vellutellus ait habere *funem.* Ex quo obiter monemus plures hoſtias continuô fune atque eôdem conligatas ad ſacrificia aliquando commeâſſe.) Vera hæc igitur ServI ſententia, ſi de eo, quod ut plurimùm accidere ſolebat, capias. Poterat namque aliquando evenire, ut victimarius hoſtiam lorô ligatam ſacerdote jam percutiente teneret, quod haud difficulter probatur ex marmore Romano ChoulI, p. 315. Quod ſi autem ho-

hoſtia templum ſine vinculis intrâſſet, ſimili etiam modô inligata ante aram ſtatuebatur; niſi apud Germanos, apud quos ad aram demum ligabantur victimæ. De iis Plinius: *Sacrificiô epuliſque ſub arbore præparatis, duos admovent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primùm vinciantur*; H.N. lib. XVI. c. XLIV. extr.

Proximè ante confectionem ſacrificantes ambas hoſtiæ ante aram imponebant manus: Sacerdos enim בא לו אצל פרו וסומך שתי ידיו עליו id eſt, *ibat ad juvencum ſuum, & duas manus ei imponebat*; Joma c. III. §. 8. Vel, ut vult Philo, ad teſtandam innocentiam; vel, ut notat Iſychius, ad indicandum, oblationem ſuam eſſe ſpontaneam; vel juxta Hugonem Cardinalem & Corn. Agrippam, ut ſignificarent, ſe renunciare juri, quod in iſtud animal haberent; vel, ut iram Dei deprecarentur, delictaque ſua in illud animal conjicerent, ſecundùm Abulenſem: quæ omnia copioſè pertractavit Joh. Fabritius in Cacozel. gentium, part. II. c. VII. Vide Lyranum & Burgenſem addit. 2. ſuper c. I. Levit. 4. Item Sheringham in l. c. Joma.

Inter hæc Cultrarius ſubinde iterabat vocem *Agon'?* nec niſi juſſus agere victimam percutiebat. Seneca: *Filius cervicem porrigat; carnifex manum tollat; deinde reſpiciat ad patrem, & dicat: Agon? Quod fieri ſolet in victimis*; lib. II. Controv. XI. circa fin. Ovidius, lib. I. Faſt. v. 319.

Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſſâ miniſter,
Hoſtia cœlitibus quô feriente cadit:
Qui calidô ſtrictos tincturus ſangvine culros,
Semper, Agatne? rogat; nec niſi juſſus, agit.

De Agonalibus loquitur, quæ ab hac formula ait dimanare: Unde etiam originem ſuam habet *Agonium*, dies, teſte Feſtô, quô rex ſacrorum immolavit hoſtias quaſdam inde ſimiliter adpellatas *Agonas* & *Agonias*, quas voces tamen Romanos à Græcis mutuâſſe ruditer adſeritur in Suida: Vix enim credo ipſum talia ſcribſiſſe Suidam, admirabilem planè ceu Thomæ Dempſtero videtur, & incomparabilem, atque unum inſtar omnium Grammaticorum, eumque ſcribtorem valde antiquum; cujus mentio fit à Strabone, Apollonl Scholiaſta, Stephano, & aliis. Condidit ille commentaria non admodùm magna, quæ Andreas Schottus nuncupavit theſaurum, & Hier. Wolfius Amaltheæ veluti cornu &, inſignem theſaurum, & copioſam ac perfectam quamdam Grammaticam; atque ea quidem ex XI. potiſſimùm viris ſapientiſſimis magnâ curâ conſcribſit: Sed illa ipſa ab aliis poſtmodùm miſerè ſubferta, ad hanc, quæ exſtat, magnitudinem excrevêre, Suidæque nomen retinuêre; idem ſcil. fatum experta, quod liber Calepini cujus minima pars eſt in illo, qui hodie ſub Calepini nomine circumfertur. Neque deſunt, qui nullum unquam vixiſſe Suidam adſeverant. Vide Gyrald. dial. III. de Poët. Eamdem formulam etiam in ſuppliciis conſvetam fuiſſe, haurimus ex Senecæ de ira lib. I. c. XVI. & lib. II. Controv. IX. 2. Liv. lib. XXVI. Val. Max. lib. III. c. VIII. ex. 1. Vide etiam Briſſon. lib. V. Form. Iſid. in Gloſſ. Scaligerum F. in Feſtum, Gyrald. ſynt. XVII. p. 504. Muretum & Gruterum in cc. ll. Senecæ. Stuckium, f. 8.

Victimario tandem à præcone cum boatu inclamabatur, ac reſpondebatur: *Hoc age*! quô ſermone, à Nu-

Numâ ortum trahente, admonebatur, attentus jam eſſet, & alacriter feriret; circa quam formulam viros animoſos ac in re litteraria pervigiles oſcitâſſe complures video. Sed quod propriè de percutiendo dictum ſit, atque intelligi oporteat, non operoſum eſt probare ex Naſonis l. c. *Semper Agatne? rogat; nec niſi* Juſſus *agit*. Plurimique auctores alii apertè id docent. Tranquillus in Caligula quoſdam tradidiſſe ſcribit, adloquenti pueros Caligulæ â tergo Chæream cervicem gladiô cæſim percuſſiſſe præmiſſâ voce: Hoc age! *tanquàm nimirum victimam immolaret*; c. LVIII. Vide not. Beroaldi in h. l. Extremam Galbæ vocem, percuſſoribus jugulum obferentis fuiſſe: *Ut Hoc agerent, & ferirent*, teſtantur Sveton. in Galb. cap. XX. & Plutarchus. L. Sylla apud Senecam, lib. I. de Clement. c. XII. cùm in vicino ad ædem Bellonæ ſedens exaudîſſet conclamationem tot millium ſub gladio gementium, exterritô Senatu: *Hoc agamus* inquit, *P. C. ſeditioſi pauculi meô juſſu occidentur.* Vide comm. Gruteri in h. l. & Agellium, lib. I. c. XXVI. Cauſſa autem, cur tot diſſentiant, partim videtur eſſe locus Plutarchi non rectè intellectus, in Coriol. ὅταν γὰρ ἄρχοντες ἢ ἱερεῖς πράττωσί τι τῶν θείων, ὁ κήρυξ προέρχεται, μεγάλῃ φωνῇ βοῶν· ΩΚ ΑΓΕ. σημαίνει δ' ἡ φωνή, τοῦτο πρᾶττε, προσέχειν κελεύουσα τοῖς ἱεροῖς, καὶ μηδὲν ἔργον ἐμβαλεῖν μεταξὺ, μηδὲ χρείαν ἀσχολίας. id eſt *Si quando enim Principes aut Sacerdotes cædunt aliquas victimas, præco accedit, elatâ voce clamans*: Ὧκ ἄγε, *ſignificat verò hæc vox, Hoc age, & jubet, ut habeant rationem victimarum, neque ullum opus interponant, neque quantumvis neceſſarium negotium.* Atque hanc genuinam duco ver-

ſionem, longè equidem aliam ab ea, quam tradunt interpretes: qui inter alia phraſin illam πράττειν τὰ τῶν θείων reddunt, *ſacris operari*; nos, *victimas obſerre.* θεῖον enim in genere divinum quid ſignificat & ſacrum: ſpecialiùs verò omne id quod deo obſertur; atque in ſtrictiſſima ſignificatione victimam ſive hoſtiam, veluti & ἱερεῖον. προσέχειν τοῖς ἱεροῖς communiter eſt *attendere ſacris*, juxta noſtram verò explicationem, *rationem habere victimarum*, veluti habes apud Xenophontem: προσέχω ἐμαυτῷ, *habeo mei rationem*; apud Thucydidem: προσέχοντες τοῖς ναυτικοῖς, *habentes rationem claſſium ſive rei nauticæ*; apud Demoſthenem: προσέχειν τῷ πολέμῳ, *habere rationem belli* &c. ἱερὸν autem aliquando idem eſt, quod ſuprà θεῖον ac ἱερεῖον. Ultima verba vulgariter exponuntur: *Aut negotium ſuſcipere.* A nobis: *neque negotium, quamtumvis neceſſarium.* Hoc quippe ſignificatum haud adeò rarenter capit vox χρεία. v. g. in illo Act. VI. 3. ἐπισκέψασθε οὖν, ἀδελφοί, ἄνδρας ἐξ ὑμῶν μαρτυρουμένους ἑπτὰ, πλήρεις πνεύματος ἁγίου καὶ σοφίας, οὓς καταστήσομεν ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης. Enucleatè Lutherus vertit. Die wir beſtällen mögen zu dieſer Nohtdurft. Corrupta, inquam, verſio illa nterpretum partim facile turbavit atque exorbitare fecit viros ceteroquin non vacillantis gradus; partim & Donati auctoritas, qui ſilentium formulâ iſthâc, neſcio unde ſeductus, denotari atque imperari prodidit in Terent. Phorm. quem ſecutus M. Ant. Muretus multò fœdiùs labitur, V. L. lib. XV. c. XVII. & cum *Favete lingvis* ineptè confundit, Plutarchi locô ſe muniens, qui num ad rem faciat, vide Lector & judica. Amarulenter interim Gbarielem Faërnum contra-

trarium, à ſe ſentientem proſcindit, *Et manus auriculas imitatur mobilis albas*, (Satyrici Poëta verba ſunt.) quamvis eô opus habere non videatur Muretus, quem ipſummet miraculoſô planè modô aures ſuas aſinorum inſtar pro lubitu movere potuiſſe certum eſt. Audiamus autem virulentum hominem, ſed benè fucatum, & primâ fronte magnum modeſtiæ exemplum. *Gabriel Faërnus*, ait, *homo Latinæ quidem lingvæ non ignarus, ſed Græcæ prorſus expers: neque hoc detrahendi ſtudiô dico: ita eſſe ſciunt, quibus ille notus fuit; neque id ipſe diffitebatur, ne poterat quidem: Is igitur hoc, quia nuſquàm alibi legerat, ferre non potuit, & , ut erat ingenioſus, confugit ad illud ſuum, ut diceret, in veteribus libris TerentI ſcribtum fuiſſe:* Hoc age ſt. *Sed unam aut alteram litteram eraſam eſſe; & verba illa Donati ad illud* ſt. *non ad verba* Hoc age *pertinere. Credo hoc acutè excogitatum eſſe, & agnoſco ingenium hominis, non tantum quid in vetuſtis exemplaribus ſcribtum eſſet, legere ſoliti, ſed divinare etiam quid deletum fuiſſet. Sed quia tardior ſum, quàm ut illam tantam celeritatem ſubſequi poſſim, continebo me intra ſepta, & contentus ero iis, quæ ab aliis confirmata reperio. Videor autem legiſſe* &c. l. c. Proh! quantus latet angvis in herbâ! Quàm acerbè ſingula dicta! Atqui hoc excogitatum ais, quod vett. Codd. oſtendunt Murete? Atqui hoc Faërnum nuſquàm alibi legiſſe putas, quod Tu in Plutarcho Tuo infeliciter atque invitô Apolline reperiſti? Superciliofum hominem! qui etiam Eraſmi aliorumque optimorum laudes impudentiſſimô ore conſpurcare laborat. Legat quis de eo Gruterum egregium furtorum Mureti buccinatorem præf.

in

in not. ad Sen. Noti quoque ſunt mores effeminati iſtius * Pædiconis, ſancti, ſi Diis placet, & honeſti ama-

* *Pædiconis*] Faciant huc adſcripta margini Epiſtolæ XVII. Mureti ad Lipſium, relatæ inter ſex decades Epiſtolar. Juſti Lipſii prætermiſſar. p m. 154. edit. Offenbacenſis CIↃ IↃC. X. in 8t. *Reſpondet* (Muretus) *literis* (Lipſii) *quæ exſtant Centur. I. Epiſt LIII. ubi legitur:* M. ANTONIO. S. D. *omiſſo* MURETI *cognomine, quòd ejus familiaritas tùm ſuſpecta propter impudicitiam & nefandos amores erat.* Quæ miror ignoràſſe vel neglexiſſe B. Thomaſium, recenſentem hanc ipſam Mureti epiſtolam in libr II. Mureti Epiſt. n. *II* p m. 568 Hoc è fonte fluxerunt egregia, ſcilicet, illa Carmina, de qvibus Franciſcus Bencius Jeſuita in Oratione funebri doctori ſuo dicta, p. m. 104. b. edit. opt. Colon. M. DC. XVII. in 12. ita rhetoricatur, ut Tertulliani phraſi utar: *Qvid magis pium aut eruditum verſibus? iis dico verſibus, qvos, Romæ cùm eſſet, compoſuit; namqve illa poëmatia, qvæ cùm eſſet annorum circiter viginti, juventutis qvôdam calore atqve impetu profudit in Galliâ, & convenienti qvôdam nomine appellavit Juvenilia; Juvenilia inqvam, dicam clariùs, ut meliùs exaudiar ab omnibus, ſæpe mihi in ſermone dicebat ſibi adeo non placere, ut ea tamqvàm ſua, non modò probaret, ſed ne agnoſceret qvidem. Et cupiebat hujuſce ſuæ voluntatis, ſi vita ſuppeteret, exſtare teſtimonium. Qvod ego nunc ipſe, opportunò ſanè loco & tempore, apertè teſtificor, planéqve; denuntio. Qvid igitur ſenilibus Mureti verſibus, magis pium, eruditum, addo etiam jucundum?* Qvis huic teſti non credet? Jeſuitæ ſcilicet, imò qvis credet, niſi decipi cupiens? Hujus nimirum hominis ſine omni fide auctoritas futilis tamqvàm magna ac gravis futura adducitur qvoqve Maximiliano Sandæo itidem Jeſuitæ Herbipolenſi, qvi plura legit qvàm intellexit, in Commentatione VII. Grammatici Profani, p.m. 233. ad excuſandam ſalacitatem hujus Galli, qvi & ex eadem oratione ejuſdem Bencii, Commentat, VI §. XXIV. p. 167. Mureti obitum recenſet pompoſè.

amatore, ne dicam Chriſtianô homine, perquàm digni, cui aliquando vivicomburii ſupplicium â magiſtratu ob παιδεραςίας crimen impendebat, ſed vix ac difficulter eum liberatum Roma læta excepit, atque Profeſſoris munere bonum virum ornavit. Vide Hofmannum, comm. in Galenum, lib. XVI. c. VI. & VII. de Uſu partium. Verùm revertimur. Offendit ad eumdem lapidem optimus ille Gyraldus, ſynt. XVII. p. 489. & 498. qui præconi præcedenti, ac populum ſubmonenti verba talia attribuit, & in explicatione ſymboli Pyth. *Adoraturi ſedeant* ſcribit: *Plutarchus tradit, quoties pontifex auguria ſeu ſacra adgrediebatur, præcones clamâſſe*: Hoc age! *Ea vox hortabatur, ut, qui ſacra adirent, reverenter & attentè id facerent.* Strenuum hîc mangonem egit Paullus Manutius, tantùm non ſingula eôdem ordine verbá (velut & in omnibus adagiis aut ex Gyraldo aut ex Eraſmo) audaciſſimè peculando, tanquàm vecticulariam in republica litteraria vitam agere eſſet laudes ac præconia orbis eruditi mereri; neque tàm piè hoc opus extuliſſet tanquàm genuinum fœtum Aldus Manutius P. F. A. N. ſi ipſi fraudulentæ & clancularíæ Patris ſui rapinæ cognitæ fuiſſent. In idem cum Gyraldo lutum incidit Choulius cujus hæc ſunt verba *Apres la confesſion le perbſtre ou la crie publicque, qui precedoit les choſes ſacrées, diſoit ſemblables parolles: Hoc age, pour inciter le peuple à ſilence, & pour eſtre intentif aux myſteres diuins: & auecques une uerge, qu' il portoit, faiſoit faire place, & taire les aſſiſtents*, p. 295. Horum adſentator Stuckius, eorum ſententiis, & opinionibus, & ſcribtis, imò verò verbis, nimiùm addictus, facilè hanc ſibi rubiginem adfricari

per-

permiſit, cùm ſic nugatur: *Præparatio poſita erat in ſilentio, & attenta ſacrorum meditatione, ad quam hæc ſacerdotis vel præconis publici ad ſacra præcedentis vox erat: HOC AGE! quâ voce populum excitabat, & ſilentium indicabat, ne mala aliqua vox obſtreperet, neve aliquid triſte audiretur: Hôc modô ſacris favere & attentos eſſe jubens;* f. 80. Neque etiam caliginem hanc ſibi aliisque diſcuſſit Boxhornius, quem adi not. ad Plut. probl. 11. Formula autem hæc, quæ in ſacris innuebat, victimam ſepoſitis omnibus jam jam percutiendam, in communi vita, ſed longè pòſt, adagionis locô uſurpata eſſe videtur, pro eo, quòd eſt alacriter atque potiſſimè aliquid facere; atque adeò immerenti dica ſcribetur Hadr. Junio, quod eam centuriis parœmiarum inſeruerit, lib. III. n. XXXVII. licèt in quibuſdam aliis, quæ proverbia non ſunt, & tamen ab eo pro adagiis venditantur, totus extra culpam non ſit: Veluti & Gerardus Gerardi Roterodamus, qui poſteà DeſiderI Eraſmi nomina, projectis illis, adſumſit, qui tamen propterea neutiquàm dignus, ut in eum tanta tela emittat homo maledicentiſſimus pariter ac malitioſiſſimus Muretus, V. L. lib. XII. c. XVI.

Victimas mactare primum erat Coquorum, apud Delphos ὁσιωτῆρ@, apud Pedalios, teſtibus Nicol. Damaſcenô & Stobæô, prudentiſſimi, qui aderat; Apud Græcos, & Romanos Sacerdotis, popæ, victimarii, cultrarii, Præconum, Regum, Cenſorum &c. quin & quorumcumque ſacrificantium. In ſolemnioribus atque publicis ſacrificiis Pontifex Max. mactabat victimam. Juvenal. *De grandi cervix ferienda miniſtro*, Sat. XII. v. 10. Vid. Stuck. f. 108, 109. Apud Ebræos

Ebræos in omnibus ſacrificiis, exceptô Expiationis, victimæ ab extraneis mactandæ erant: Et in paſchatis feſto lex violata cenſebatur, ſi non ab extraneo victima mactata fuiſſet. Vide Peſachim, c. V. Sheringham ad Jom. c. IV. Stabat autem victima percutienda & mactabatur, juxta vel ante aram, id quod præter innumeros numos indicat Virg. *Stabit ſacer hircus ad aram*; lib. II. Georg. v. 395. Id. *Stans hoſtia ad aram*; lib. III. Georg. v. 486. Idem: *multa tibi ante aras noſtrâ cadet hoſtia dextrâ*; lib. I. Aen. v. 338. Idem: *Solemnes taurum ingentem mactabat ad aras*; lib. II. Aen. v. 202. Ovidius: *Aut cadere ante aras commentaque ſacra coëgit*; lib. I. de art. am. v. 319. Idem: -- *Ante aras ingens ubi victima taurus Concidit*; -- lib. VIII. Metam. v. 763. Juvenal. -- *torvumque juvencum More Numæ cadit Jovis ante altaria*; -- Sat. VIII. v. 155. Seneca: *Et niveamagnas victima ante aras cadat*; Agam. Actu. III. v. 585. Ubi nota voces *ſtandi*, *ſtatuendi* & *admovendi*, hujus loci ferè peculiares. Apud Ebræos in die expiationis victima ſtabat בין האולם ולמזבח id eſt *inter veſtibulum & altare*; Joma c. III. §. 8.

Inter percutiendum in cælitum ſacrificiis collum victimæ, ſi minor eſſet victima, refringebatur; ſi major, â Poparum altero, qui in terram procumbebat, caput ejus elevabatur, ut perpulchrè conſpicitur in numo ChoulI, p. 284. marmore, p. 315. columnâ Trajani, ubi duo Popæ caput extollunt hoſtiæ, p. 324. Adde numos noſtros litt. B. & C. Id nuncupabant ἀνερύειν, unde ἀνάρρυσις Athenienſium feſtum, & in genere ſacrificium: ἀνἀῤῥύω non tàm ſurſum traho, quàm ſacrifico. In inferorum verò

ſacris

ſacris ſubprimebant caput hoſtiæ, ut terram intueretur. Myrtilus: *εἰώθασιν οἱ ἱερεῖς τὰ ἔντομα τοῖς κάτω θεοῖς ἐναγιζόμενα ἐν τῇ γῇ ἀποτέμνεσθαι τὰς κεφαλὰς, οὕτω γὰρ θύουσι τοῖς ὑποχθονίοις. Τοῖς δὲ οὐρανίοις ἄνω ἀναστρέφουσι τῶν ἱερείων τὸν τράχηλον σφάζοντες*; lib. II. rerum Lesb. Adde Cœlium, lib. XII. c. I. Gyraldum, ſynt. XVII. Inſtrumenta percuſſoria pleraque ſuprà, c. XVII. recenſuimus. Adfert hìc diſtinctionem aliquam Natalis Comes inter ſuperûm ac marinorum ſacrificia: in his ſecuribus, in illis victimas percuſſas fuiſſe cultris perhibet; lib. XI. mythol. quam tamen auctores non video obſervare. Ovid. lib. XII. Metam. v. 248.

Veluti qui candida tauri
Rumpere ſacrificâ molitur colla ſecuri.

Idem, lib. I. Faſt. * *A bove ſuccincti cultros removete miniſtri.* Apud Delphos côdem, quô victimabant, cultrô, â nocentibus ſupplicium ſumebant. Adſignandæ hìc ſolitæ in percuſſione voces; nimirum non *φονεύειν* aut *κτεῖναι*, & *interficere* aut *jugulare*; his enim tanquàm malè ominatis abſtinendum erat; ſed *σφάττειν* ac *θύειν*, *immolare* & *mactare.* Choulius: *La victime ſouventes fois eſtoit mactée auecques le couſteau, que le ſacerdote commendoit victimaire, de poulſer dedans la gorge victime pour euiter ce mot de couper: comme ils diſoyent de macter au lieu tuer*; p. 313. Quamvis & inter illa diſtinxerit Ammonius: *Σφάξαι*, ait, *καὶ θῦσαι διαφέρει. Θῦσαι μὲν γάρ ἐστι τὸ θυμιᾶσθαι· Σφάξαι δὲ τὸ ἱερουργῆσαί τι ζῶον.*

Καὶ

Hunc locum illo in libro reperire mihi non datum fuit, inveni in lib. VI. v. 413.

Καὶ Ὅμηρος τὴν διαφορὰν τετήρηκεν &c. : Et alibi Θύεσθαι τοῦ Σφάττεσθαι διαφέρει. Θύεσθαι μὲν γάρ ἐστιν ἐπὶ τιμῇ θεοῦ, καὶ τὸ μαντεύεσθαι ἐπὶ τιμῇ διὰ σπλάγχνων Θύεσθαι φαμέν. Σφάττεσθαι δὲ τὸ δι' ἡντιναοῦν αἰτίαν φονεύσασθαι. καὶ τὸ μὲν ἐπ' ἀλόγου, δ' ἐπ' ἀνθρώπου τάττεται. Apud Arcadas in ſacris Heræ, victimæ non jugulabantur, ſed artum, quem quisque fortuitò adripiebat, præciſum pro primitiis obferebat. Apud Argivos boves immolandi, vinculis ligati ad templum trahebantur, cui ſolæ aniculæ quatuor cum falcibus incluſæ erant, quæ ſingulatim intromiſſos conficere debebant, prodente Pauſaniâ. In Jovis Polyei ſacrificiis hordeum tritico permiſtum, aræ impoſitum, ſi bos immolandus comeſturus eſſet, feriebatur per Sacerdotem, ſecurim in eum jaculantem, moxque fugientem: Securis in judicium, tanquàm rea, vocata, ad confringendum damnabatur, boſque immolabatur. Nicocrates Cyprius in reb. patr. Porphyrius περὶ ἀποχῆς, lib. II. §. 29. & ſeq. Caper emiſſarius pro populi Iſraëlitici expiatione in deſerto è prærupto monte Zuck deturbabatur: Inde ſi redüſſet, peſſimum erat omen. Vide Sheringh. ad Joma, VI. 9.

Percuſſam è terra ſuſtollebant, atque in anclabrem repoſitam jugulabant, excoriabant, diſſecabant: Plerumque enim percuſſio jugulationem præcedebat. Ovidius: *Percuſſaque ſangvine cultros Inficit.* Et paullò pòſt: *Itaque conjectos incalfacit hoſtia cultros*; lib. XV. Metam. v. 734. 735. Notanter dixi: *Plerumque.* Erat quippe & alius percuſſionis modus, non maleô, aut ſecuri, ſed cultris, queîs jugulum hoſtiæ vivæ petebatur; quæ percuſſio ſimul erat jugu-

latio. Ovid. *Da jugulum cultris hoſtia dira meis*; in Ibin, v. 104. Atque in hac confectione conſpicio victimas erectas per Popas ad aras duci, ſuper aras jugulum percuti, ita ut pedibus anterioribus aræ jam etiam igne flagranti incumbant: & eas quidem tam majores, quam minores. Vide numum in noſtra tabella litt. B. & apud Choulium Carniolum, p. 147. Item monetam Caligulæ, p. 69. Neque hic mactationis modus erat ſimplex, ut ſplendidè docet Servius ad illud Virgil. *At vix ſubpoſiti tinguntur ſangvine cultri*, ſcribens: *Sic & in VI.* (v. 248.) Subponunt alii cultros. *Dicendo autem* ſubpoſiti, *feriendi genus oſtendit: Nam interdum deſuper feriebantur*; lib. III. Georg. v. 492. Ediſſerit commune apud veteres ſignificatum phraſews, *ſubponere cultros*, quod eſt cultrô ab inferiore parte petere hoſtiam. Proinde commiſereſcit nos boni illius Gyraldi, Viri ampliſſimè de bonis ſtudiis meriti, qui, cùm in verba illa Virgili, lib. VI. Æneid. *Subponunt alii cultros* &c. incidiſſet, neque ſatis, quid exprimeret, haberet, ſingularem tamen hîc latere ritum ſentiret, talia tandem comminiſcitur: *Sed illud non ſimpliciter à Virgilio dictum*, Subponunt cultros alii: *Ex eadem diſciplina prolatum eſt: Nam dum victimas cæderent, ſeceſpitam id eſt cultrum ſuperponebant*; ſynt. XVII. p. 510. Neque tenebras has effugere potuit Choul. lib. de relig. vett. Romanorum. In jugulatione itaque in inferiis ſpirantem cruorem in effoſſam terram emittebant: at hoſtiæ, quæ ſuperis cædebatur, ſangvis *αἱμνίοις* excipiebatur, ariſque inſpergebatur; qualia habentur apud Choulium in numis Auguſti & Caligulæ, p. 69. Virg. *Tepidumque cruorem Suſcipiunt pateris.*

VI.

VI. Æn. v. 249. Idem: *Sacrum jugulis demitte cruorem*; lib. ult. Georg. v. 542.

Ex hac ratione victimæ ante mactationem frequenter ſuper lapidibus expandebantur, ut ſangvis facilior efflueret, & ut animum effuſum oſtenderent Gentiles; apud Judæos verò, ut eſſet typus Meſſiæ crucifixi, teſtante Lyranô ad Exod. Qui etiam ventilationem talem duplicem ſtatuêre: Unam תרומה quæ fiebat ſurſum & deorſum exaltando; alteram תנופה quæ fiebat antrorſum & retrorſum, dextrorſum ac ſiniſtrorſum, à ſeptentrione ad meridiem & ab oriente in occaſum agitando. Lutherus eine Webe vertit, & Weben. Mentio fit ejus Exod. XXIX. 27. Levit. VIII. 29. Iſingius adhuc quædam ait ejus ventilationis exſtare hodieque apud Judæos veſtigia, qui ſynagogis exituri retrocedant corpuſque motitent, commurmurantes: עשה במה מיך הוא יעשה שלום עלינו ועל כל ישראל אמן ; i. e. *Qui facit pacem in excelſis ſuis, ipſe faciat pacem ſuper nos & ſuper univerſum Iſraël, Amen!* Ei precatiunculæ tantum refert Judæos tribuere, ut dicant Deum per illam toti mundo placari; Coll. Hiſtor. Quæſt. LIX. §. *6.* Sed & Gentilibus expanſionem illam uſitatam fuiſſe, adſerere nititur ex lapidibus & picturis Romanis Joh. Bapt. Villalpandus de templo, lib. III. c. XXXVII.

In Ebræorum victimis ſola ferè jugulatio, rarò percuſſio obtinuit. Abſcindebatur autem earum œſophagus ſeu gula, & aſpera arteria ſeu guttur: Quod ſi alterutrum eſſet diſſectum, imperfecta erat jugulatio. Ita legimus in libro Kol bo Halahoth Sechitah. וכנס סוא שעד שהיתס שני הסימנין שסן סקנס וסושט השחיטס סבעולם

סמעלם שחתכו שנוסם לגמרי i. e. *Quæ eſt autem menſura jugulationis? Duæ* סימנין *Simanin; videlicet œſophagus & arteria aſpera : Jugulatio perfecta eſt, ut abſcindant penitus utramque;* c. CVII. Unde Judæi in jugulatione victimarum cultrum acutiſſimum ducebant ac reducebant, quod, teſte Buxtorfiô, dicebant הלכה והבאה *abitum & reditum.* At in percuſſione prima ratio cervicis habebatur; unde illa בית שהיטתו id eſt *domus mactationis* dicitur in Talmud. cod. Joma, c. IV. §. 2.

In avium ſacrificiis mactatio longè alia erat, de qua legimus Lev. I. 14. & ſeqq. *Si de avibus holocauſti oblatio fuerit Domino, de turturibus & columbis obferet eam ſacerdos ad altare, & retortô ad collum capite, ac ruptô vulneris locô, decurrere faciet ſangvinem ſuper crepidinem altaris : veſiculam verò gutturis & plumas projiciet prope altare ad Orientalem plagam, in loco, in quo cineres effundi ſolent; confringetque aſcellas ejus, & non ſecabit, neque ferrô dividet eam, & adolebit ſuper altare igne lignis ſubpoſitô.* Vide & c. V. 7. 8. ad quem locum R. David Kimchi commentatur: *Scribunt Rabbini noſtri: Quomodo abrumpebatur hoſtia quæ fiebat ex ave? Ponebat ſacerdos duas alas ejus inter duos digitos ſuos; extendebatque ſive extrahebat collum ejus ſuper duos digitos ſuos, atque ſecabat ungve verſus cervicem, donec attingeret jugulum : Atque ita amputabat ea vel majorem partem; non autem dividebat, ſicut dicitur infra* (c. V. 8.) Et non dividet. *Verùm in holocauſto quod fit ex ave, de quo dicitur :* Et abrumpet caput ejus; *nec dicitur :* Et non dividet; *abrumpebatur & dividebatur caput ſeorſim, & corpus ſeorſim.* Et hæc ſectio

cer-

cervicis, quæ fiebat ungvibus, dicebatur מליקה. Audiatur in hanc rem Rabbi Levi Barſelonius: מליקה הוא שנועץ הכהן צפרניו ממול ערפו דהיינו עצם הנקרא עצם דמפרקת וחותך העצם בצפרנו עד שמגיע לסימנים וחותך גם הסימנים בצפרנו או רובו של אחד מהם וזאת היא שחיטתו של חטאת העוף וצריך שיכוון שלא יחתוך הכל לגמרי עד שיהא נפרד הראש מן הגוף ועל זה נאמר ולא יבדיל: Melikah *eſt cùm ſacerdos ſuos ungves è regione cervicis ejus* (avis) *oſſi, quod* os cervicis *dicitur, infigit, illudque ungvibus ſuis, uſque dùm ad ſigna* (quibus ſcil. avis munda ab immunda diſtingvitur) *pertigerit, incîdit, ipſa imò etiam ſigna, aut unum ex iis. Atque hæc ratio eſt mactandi ſacrificium pro peccato*, ὀρνίθιον. *Opus autem eſt, ut operam det, ne omnia ita diſcerpat, ut ſeparetur caput à corpore: De hoc enim dicitur: NE DIVIDAT.* Et quia ὀρνίθια plerumque fuêre pauperum; ideò peculiaris hujus jugulandi modi inter alias hanc quoque ponunt cauſſam Rabbini: ועניין איסור הבדלת הראש מן הגוף דבר ראוי הוא להידור הקרבן באמת כשראש העוף דבק עמו הוא יותר מהודר וראוי לנו להדר קרבנו של עני בכל כחנו די לנו בעניותו אין לנו להוסיף בדלותו לפחות תואר קרבנו: id eſt: *Ratio, cur non licuerit ſeparare caput à corpore, eſt, quia facit ad decorem ſacrificii. Verè enim, ſi caput avis conjungatur cum corpore, decorum magis eſt. Convenit autem nobis condecorare ſacrificium pauperis pro viribus noſtris: Satis nobis ſit adflictum eum eſſe; non neceſſe eſt, nos tenuitatem ejus augere ſacrificii formâ contemtâ & abjectâ.* Quamvis autem quilibet equidem locus altaris diſcerptioni huic commodus eſſet: Ipſa tamen ex diffi-

cillimis cultus ſacri muneribus erat docentibus Rabbinis. Plura de his Cod. Sebachim & Maimonidis Hilc. Maſ. Hakkorban. Itemque vir in ſolida ſanctæ lingvæ, cognitione hodie ſine pari cluens Clariſſ. Hottingerus tract. de jure Ebr. leg. 128. Hoc de jugulatione illa præceptum eſt inter Judæorum negativa.

Inde ſine mora ſequebatur *ξύρησις*, & ubi deglubta eſſet victima, *δορὰ* ſive *ἐκδορὰ Excoriatio*, quæ ſacerdotibus, aut iis, quibus pellis cedebat (licet & interdum unà cum pelle igni datæ fuerint victimæ) competebat. Apud Ebræos verò nec excoriatio nec ſectio ſacerdotibus neceſſariò competebat, ut tradit Gemara ad Joma, c. II. §. 7. his verbis: נתינת אש בעיא כהונה הפשט וניתוח לא בעיא כהונה: i. e. *Impoſitio ignis poſtulat ſacerdotium: excoriatio & ſectio non poſtulat ſacerdotium.* Ea in eleganti ſacrificii deſcribtione inter alia proponitur, quam habet Halicarnaſſ. cujus verba tranſlata talia ſunt: *Conſ. ſtatim boves immolabant & ex ſacerdotibus aut miniſtris cuicumque munus illud convenire putaretur, erat idem, qui apud nos ritus. Nam manus ipſi lavantes, purâque aquâ victimas luſtrantes, ac Cereris fructibus illarum capita ſpargentes, poſteà precati jubent miniſtris eas mactare. Ex iis vero alii ſtantis adhuc victimæ tempora ſcytale percuſſerunt, alii ſub illam cadentem ſigilla ſubpoſuerunt; ac poſteà* coriô nudantes, membratimque diſſecantes *è ſingulis inteſtinis primitias capiebant, ceterorumque membrorum. Illas igitur farinâ hordei conſpergentes, in caniſtris ad ſacrificantes adferebant. Illi ſuper altare, imponentes ignem, accendebant, vinumque libantes, in eas victimarum primitias effundebant*; lib. VII.

VII. Vide Stuck. f. 119. Subjungit, ut vides, Dionyſius excoriationi ἀνατομὴν diſſectionem, quæ illam non modò apud Judæos ſed & ceteras gentes proximè excipiebat. Fieri eam oportuit ἐπισταμένως, περιφραδέως, καὶ κατὰ μοῖραν, ut Homerus, loquitur, id eſt, *ſcienter; ritè conſideratéque; & juxta portiones*: In holocauſto quidem in caput, adipem, inteſtina, & crura. Lev. I. v. 8. 9. In ceteris certæ Dîs dabantur partes; certæ Sacerdotum erant, nonnullæ ab obſerentibus domum reportabantur. Sed latiùs hæc cap. ſeq. exſequimur.

Moris autem erat, ut primâ hoſtiâ non litante, altera, dein tertia, pluresve adhiberentur. Cæſar apud Florum, IV. II. 94. centum victimis perlitare non poteſt. Paullus Æmilius ſacrificans non litat uſque ad XX. hoſtiam. Auguſtus ſacrificiô non litante augeri hoſtias jubet id eſt multiplicari; aliter enim hîc ac ſupra hoc verbum ſignificat. Nominabantur hoſtiæ ille *ſuccidanea*, & ſubinde erant feminini generis: Siquidem ubi per marem litare nequirent, ſuccidanea femina dabatur; ſi autem per feminas non litabant, nulla ſuccidanea dari poterat. Græcis erant τὰ δεύτερα ἀμείνω. Vide Serv. in lib. VIII. Æn. Virg. Eraſmum in Chiliadd. Beroald. in Svet. Claud. c. XXV. Gyraldum, ſynt. XVII. p. 465. Mentio ſit earum in ſeq. SCto, quod citat Agellius, lib. IV. c. VI. QVOD. C. JULIUS. L. F. PONTIFEX. NUNCIAVIT. IN. SACRARIO. IN. REGIA. HASTAS. MARTIAS. MOVISSE. DE. EA. RE. ITA. CENSUERUNT. UTI. M. ANTONIUS. CONSUL. HOSTIIS. MAJORIBUS. JOVI. MARTI. ET. CETERIS. DIS. QVIBUS. VI-

DERETUR. PLACANDIS. UTI. PROCURASSET. SATIS. HABENDUM. CENSUERUNT. SI. QVID. SUCCIDANEIS. OPUS. ESSET. ROBIGUS. ACCEDERET. *Præcidaneæ* hoſtiæ imitabantur Græcorum προτέλεια, quæ ante ſacrificia ſollemnia pridie cædebantur, ut vult Agellius. Feſtus: *Præcidaneam porcam dicebant, quam immolare ante erant ſoliti, quàm novam frugem inciderent: Præcidanea agna vocabatur, quæ ante alias cædebatur: Item porca, quæ Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo juſta non feciſſet id eſt glebam non injeciſſet.* (Talis porcus teſte Catone aliàs *Piaculus* quoque dicebatur) Hæc ille. Fortean igitur in genere *Præcidaneæ hoſtiæ* in ſacrificiis nuncupabantur (ut *Præcidaneæ agnæ)* quæ ante ſuccidaneas mactabantur, quibuſque litare non poterant, aliàs *Primæ* vocitatæ, tradente Scaligerô ad Feſtum. Adi Fulvium Urſinum in Cicer. lib. II. de LI. Alicubi & apud Feſtum *Præſa* porca pro Præcidaneâ legitur. Humanitatis hîc exemplum præbent Viri Dîs ſimiles atque immortalis famæ, Scaliger F. Gyraldus, Taubmannus, qui duas illas voces *ſuccidanea* & *præcidanea* falſiſſimè â cedendo deducunt: Sed ego ab AgellI perſiſto partibus, â cædendo eas derivantis, cujus compoſita diphthongum mutant in í, quod nunquàm faciunt ea, quæ ſunt cum cedo. Ita Silius, inquit: * *Seges ſucciditur enſe.* Apud Lucanum, lib. IV. v. 138. *Succiſum nemus*; Item *Succiſa arbor.* &c. AgellI autem locum manifeſtò video corruptum

* Ubi hic locus in Silio legatur, non ſuccurrit; at ſeqvens hic: *Ite, gregem & metite imbellem, ac ſuccidite ferrô*, habetur lib. XIV. v. 135.

ptum, quem, ita mihi faveant Muſæ! limabo, ac edolabo, ut priſtina ei facies reddatur: Ille talis eſt editionis Argentin. Schurerianæ Annô 1517. *Succidaneæ hoſtiæ dicuntur e litterâ* (deleo hoc & lego: *æ litterâ*) *per morem compoſiti vocabuli in i litteram commutatâ*, (Obſerva, quod dicat: *Per morem* &c. quoniam pleraque omnia â *cædo* compoſita in *cido* deſinunt.) *Nam quaſi ſuccedaneæ* (lego cum editione Ternæſiana: *ſuccædaneæ*; expreſſè enim in ſeqq. id indicatur) *adpellatæ*; *quoniam*, *ſi primis hoſtiis litatum erat*, (meliùs editiones recentiores: *litatum non erat*) *aliæ poſt eaſdem ductæ hoſtiæ cædebantur* (Attende, jam clarè cauſſam profert, quare *ſuccædaneæ* dictæ; nempe quòd cæderentur, non quia cedebant) *quæ quaſi prioribus jam cæſis luendi piaculi gratiâ ſubdebantur & ſuccidebant* (optimè hoc & ſenſu planiſſimô recent. edd. mutant in *ſuccidebantur*: Quî autem ille rectô talô incedere poſſet, ſi *ſuccidere* & *ſuccidaneus* eſſet â *Cedo*?) *Ob id Succidaneæ nominatæ, litterâ i ſcil. tractim pronunciatâ &c.* lib. IV. Noct. Att. c. VI. Et ſic mecum Agellium intelligit Taubmannus in Pl. Epid. I. II. 37. eumque aliter â ſe, Succidaneum non â cædendo ſed cedendo derivante, ſentire, diſertè fatetur. Potuit tamen vitioſorum forte culpâ exemplarium AgellI mentem non adſequi, nec divinare Beroaldus; qui dum eum voces illas â cedendo deducere autumat ac contendit, verba ejuſdem non ſatis fidè recitat, Ita enim ille: *Succidaneæ hoſtiæ, ut docet A. Gellius quaſi ſuccedaneæ &c*: *ob id ſuccidaneæ â ſuccedendo* (Egregiè in rem tuam facerent duæ iſtæ voces, Beroalde! ſi tàm ab Agellio poſitæ eſſent, quàm abs te commentæ.) *&c*:

quæ ſubdebantur & ſuccedebant. (Atqui genu ini AgelliI Codd. conjurant, niſi totus fallor, in *ſuccidebant* & *ſuccidebantur*) comm. in Svet. Repertum tamen eſt aliquod apud JCtos *ſuccedaneum*, quod facilè viros doctiſſimos, ut cum ſuccidaneo confunderent, ſeduxit: Illius originem â *cedere* dimanare, nunquàm equidem inficias imus.

CAPUT XX.

Victimæ totæ crematæ. Promethei aſtus. Holocauſtorum variæ adpellationes. Victimæ quædam diſſectæ. Proſecari. *Audacia Petri Danielis exploditur.* Proſiciæ, Proſecta. *Victimarum partes: Quomodo diis oblatæ?* Aulicoqua, Aulicocia exta. Reddere exta. *Scholiaſtæ aliquot VirgilI veteres.* Porricere *unde? Levis macula in Servio deleta. ServI conſequentia conſpuitur. Vitii in loco Virgiliano antiquitas. Ovidius reſtituitur.* Adolere. Adoleſcere *quid propriè; quid in ſacris?* Μηρoὶ, μηρία. Viſcera *quænam? Quomodo differant ab extis?* Viſceratio. Viſcera *unde dicta? Eorum ſynonyma. Quorum animalium viſcera ſacrificata?* Minima exta. *LipſI in Plautum conjectura extollitur.* Viſcera & exta *ſæpe indifferenter uſurpata. Ebræorum oblationes quô ordine? Adipes, & quinam combuſti?* אימורים. *Caſus quidam*

dam apud Ebræos. Oſſa an combuſta? Pelles ſalitæ. Quid apud eos ſingulæ partes comburendæ denotârint? Lectio & preces inter adolendum. Lintei agitatio certum ſignum. Victimæ qvomodo ab iis exenteratæ? Coxæ apud gentiles profectorum potiſſimum: Cur? Partes aliquæ victimæ diis crematæ, ſed pingvedine tectæ. De Joh. & Is Tzetzis relatione. Coxæ *quænam?* Sacra ſpina: *Cur primùm de hoſtia diis oblata?* Femora *quænam? Pedis diviſio. Femora Veneri cur oblata? Eorum in Venere exercenda vis: Eorum præſtantia in feminis laudata. Coxis in ſacrificiis carnis particulæ additæ:* Ablegmina, Albegmina. Strobula. Fratres. *Rom. Cod. lectio in Arnobio rejecta.* Caviaria: Caviares hoſtiæ. *Farcimina diis oblata: Et quædam alia quæ de victimis fiebant. Gentilium ſtulta opinio. Raptores* θεοθύων: *Eorum nomina.* Βωμολόχοι *pro ſcurris. Capita victimarum vendita, abjecta: ad expiationem adhibita: Quædam locis ſacris adfixa & adficta; cur? Lingva Mercurio ſacra, quare? Aliquando præconibus data, cur? Mercurio armus ſacer. Bilis cur in nubtialibus ſacris abjecta? Corda ſeorſim cremata: Quomodo*

modo extracta? עורות לבובין : *Earum uſus Ebræis prohibitus*: *Item vaſorum idololatricorum. Pelles ſuſpenſæ*: *Earum apud Scythas uſus*: *Eæ maximè ad nocturna viſa adhibitæ*. Incubare. Dormire *unde?* E *ſæpe in* O *mutatum. Divinationis ex extis varia nomina*. Haruſpicina *unde dicta?* Haruga *quid? Ejus etymon*. Haruſpices *quinam? Eorum ſynonyma*. Victimæ Conſultatoriæ: *Earum viſcera quis eduxerit & quomodo?* Conſulere Exta. *Extiſpicii auctor. Exta quænam in haruſpicina? Extorum ibi potiſſimum Jecur*: *Ejus bona & mala omina*: *Duo in eo capita. Jecur, item cor interdum in victimis deficientia*: *Quare abfuerint, opinio gentilis. Inſpectio lienis, pulmonis, membranarum; bilis, veſicæ*: *Caudarum. Color extorum notatus*. Litare: Καλλιερεῖσθαι Deus. Exta læta; triſtia; muta; arguta; regalia; luſtralia; clivia; peſtifera.

Victimæ quædam, imò primitus omnes, Diis reddebantur totæ; quô tamen cultu Prometheum Deos defraudâſſe docet Heſiodus in Theog. de. Prometh. v. 535. ſ.

Καὶ γὰρ ὅτ' ἐκρίνοντο θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι
Μηκώνῃ, τότ' ἔπειτα μέγαν βοῦν πρόφρονι θυμῷ
Δασσάμενος προὔθηκε, Διὸς νόον ἐξαπαφίσκων.
Τῷ μὲν γὰρ σάρκας τε καὶ ἔγκατα πίονι δημῷ

En

Ἐν ῥινῷ κατέθηκε, καλύψας γαστρὶ βοείῃ.
Τῷ δ' αὖτ' ὀστέα λευκὰ βοὸς δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ
Εὐθετίσας, κατέθηκε καλύψας ἀργέτι δημῷ.
Δὴ τότε μιν προσέειπε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε
Ἰαπετιονίδη, πάντων ἀριδείκετ' ἀνάκτων,
Ὦ πέπον, ὡς ἑτεροζήλως διεδάσαο μοίρας.
Ὣς φάτο κερτομέων Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδώς·
Τὸν δ' αὖτε προσέειπε Προμηθεὺς ἀγκυλομήτης,
Ἦκ' ἐπιμειδήσας, δολίης δ' οὐ λήθετο τέχνης.
ζεῦ κύδιστε μέγιστε θεῶν αἰειγενετάων,
Τῶν δ' ἑλοῦ ὁπποτέρην σε ἐνὶ φρεσὶ θυμὸς ἀνώγει.
Φῆ ῥα δολοφρονέων. Ζεὺς δ' ἄφθιτα μήδεα εἰδώς,
γνῶ ῥ', οὐδ' ἠγνοίησε δόλον, κακὰ δ' ὄσσετο θυμῷ
Θνητοῖς ἀνθρώποισι, τὰ καὶ τελέεσθαι ἔμελλεν,
χερσὶ δ' ὅγ' ἀμφοτέρῃσιν ἀνείλετο λευκὸν ἄλειφαρ.
χώσατο δὲ φρένας, ἀμφὶ χόλος δέ μιν ἵκετο θυμόν,
Ὡς ἴδεν ὀστέα λευκὰ βοὸς δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ
Ἐξ οὗ δ' ἀθανάτοισιν ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων
Καίουσ' ὀστέα λευκὰ θυηέντων ἐπὶ βωμῶν.

Et Hyginus: *Antiqui*, inquit, *cùm maximâ ceri-moniâ deorum immortalium ſacrificia adminiſtrarent, ſoliti erant totas hoſtias in ſacrificiorum conſumere flamma: Itaque cùm propter ſumtus magnitudinem ſacrificia pauperibus non contingerent; Prometheus (qui propter excellentiam ingenii miram homines finxiſſe exiſtimatur) recuſatione dicitur ab Jove impetrâſſe, ut partem hoſtiæ in ignem conjicerent, partem in ſuo conſumerent uſu; Idque poſteà conſvetudo firmavit: quod cùm facilè à Deo, non ut ab homine avaro impetrâſſet, ipſe Prometheus immolavit tauros duos, quorum primùm jecinora cùm in ara poſuiſſet, reliquam carnem ex utroque tauro in unum compoſitam coriô bubulô texit;*

oſſa

oſſa autem, quæ circum fuerunt, reliquâ pelle contecta in medio conlocavit, & Jovi fecit poteſtatem, ut, quam vellet, earum conſumeret partem: Jupiter autem, etſi non divinâ fecit cogitatione, nec ut Deum decebat, omnia qui debuit ante providere, ſed quoniam credere inſtituimus hiſtoriis, deceptus à Prometheo, utrumque putans eſſe taurum, delegit oſſa pro ſua dimidia parte. Itaque poſteà in ſolemnibus ſacrificiis carne hoſtiarum conſumtâ, reliquam, quæ pars fuit deorum, eôdem igne comburunt. Hæc ille in Aſtron. poet. lib. II. c. XV. Latini tale ſacrificium, in quo tota adoletur hoſtia, adpellitant *Proterviam*, quaſi Propter viam, ut quidam ſentiunt, Germani Ein Brandopfer / Græci τελεστὴν, & à cremando ὁλόκαυστον, & ὁλοκαύτωσιν, ipſamque victimam ὁλοκαύτωμα: Ebræi אשה *ignitum*, & כליל quaſi *perfectum, conſummatum*; necnon עלה ab elevando, quod odor ejus elevetur, vel שהיה עלה כלו כליל על המזבח *quia totum adſcendebat ſuper altare*, ut ait R. Kimchi. Ejus tres fuiſſe ſpecies notat Iſing: Sacrificium juge, holocauſtum ſabbati & neomeniæ; Coll. Hiſt. Quæſt. LIX. §. 3. Vide de Ebræorum holocauſtis Cod. Sebachim, Rambam Hilc. mas. hakkorban c. XIII. Lyranum (qui converſus erat Judæus) in c. I. Levit. Sigonium de Rep. lib. IV. c. III.

Poſt doloſam tamen Promethei vafritiem atque deceptionem pleræque victimæ cum diis dividebantur, quod *Proſecari* dicebatur. Aruſpex apud Livium *exta proſecuit*, lib. V. c. XXI. Plautus: *Verum extra proſicarier, quoniam illa non bona aruſpex dixit*; Pœn. II. VIII. I. Petronius de Maſſilienſium victima piaculari humana: *Et ſic projiciebatur.* in ſatyr. Ad quæ Pe-

Petrus Danielis: *Puto leg.* Proficiebatur, *id eſt, ſacrificabatur & immolabatur, & in partes diſſecabatur; à verbo* proficior, proficeris, *cujus activum eſt* proficio, cis: *quod in* porricio, poſſicio, prolicio, *perperam & corruptè mutatum paſſim apud bonos auctores reperitur. Eſt autem verbum antiquum ſacrificantibus ſolemne, ut docet Macrobius*, lib. III. *ſaturn. c. II. apud quem vulgo malè* porricio *legitur.* Hæc ille. Satis audacter, ut manifeſtum eſt, verbum *porriceo* (de quo nos in ſeqq.) totô Latiô eliminare, municipiôque Romanô impetuoſè abdicare conatur contra permiſſum cùm vetuſtiſſimorum Codd. tum verò etiam antiquiſſimorum Grammaticorum. Exta autem & particulæ diviſæ *Proficiæ* & *Profecta* inde nuncupatæ. Vide Scalig. ad Feſtum, Turnebum, adverſ. lib. XXII. c. VI. Ovidius: *Sic ubi libavit profecta ſub æthere ponit*; lib. VI. Faſt. v. 163. Arnobius: *Quòd ſi omnes has partes, quas proficias dicitis, accipere Dii ament*; lib. VII. adverſ. Gent. Macrobius: *Hoc & in Ponto fieri videmus, in quo fruſta quadam & (ut ita dixerim) proficiæ gelidæ feruntur*; lib. VII. c. XII. Earum una pars ſacrificantibus reſervabatur: altera Diis vel verubus aſſabatur, vel elixabatur, vel in ollis coquebatur: etiam in Judæorum ſacrificiis. Vide Zach. XIV. 20. 21. qualia exta *Aulicoqua* & *Aulicocia* nominabant, teſte Feſtô. Conferenteis deos, in humani penis ſimilitudinem verſos, cineri ſe obruiſſe, qui ſub tali Ollula Extorum erat, indeque poſteà Ocriſiam imprægnatam, Servium Tullium peperiſſe, ait Arnobius; lib. V. Atque primùm ita percocta planè ac madida, paullò pòſt verò cruda in ignem conjiciebantur. Martial. *Nos tamen exta Jovi cru-*

cruda merumque damus, lib. XI. Epigr. LVIII. v. 4. Arnobius : *Cùm Romulô Pompilióque regnantibus percocta planè ac madida concremarentur diis exta, nonne rege ſub Tullo ſemicruda cœpiſtis & leviter animata porricere, priſcâ obſervatione contemtâ*; lib. II.

Notanda hîc aliquot verba ſolemnia, videlicet in conjectione victimarum & extorum in ignem,aut aram, aut mare, quod Marinis diis aræ locô REDDERE. Virgil. *Fumantia reddimus exta*; lib. II. Georg. v. 194. ad quod Scholiaſta (ubi κατ' ἐξοχὴν Servium indigitamus, cùm & alii ex veteribus in Virgilium commentati fuerint, v. g. C. Julius Hyginus, Valerius Probus, Scaurus, Caper, Æmilius, Aſper, Urbanus, Aurelius, Cornutus, Pius, Carminius, Junius Philargyrius, Carpinus, Donatus, Macrobius: Poſteà Lætus Pomponius, Landinus, Sabinus, Mancinellus, & alii:) *Sacerdotum uſus eſt verbô: Reddi enim dicebantur exta cùm probata & elixa aræ ſuperponebantur*. Deinde PORRICERE, quod Alciatus exponit *Porro jacere* ex Macrobio, & ait eſſe verbum ſacrificale. Lex. Plaut. Neque enim concedimus Petro Danielis procacitatem ſuam & ſævitiam, verbum hoc è tot auctoribus admodùm protervè exſciſſuro. Livius: *Secundùm eas preces exta caſâ victimâ (uti mos eſt) in mare porricit*; lib. IX. dec. III. Nævius: *ſimul atrocia exta porricerent miniſtratores*; Lex XII. Tabb. *Exta Diis porriciunto*. Ita prætori *inter cæſa & porrecta* fari licuit: id eſt inter jugulationem victimæ & extorum in focum conjectionem, Virgilius: *Extaque ſalſos Porriciam in fluctus*, lib. V. Aen. v. 238. ubi Servius: *Extra* (Emaculandus locus & ſubſtituendum: *Exta*) *porriciuntur*,

id

id eſt, *porriguntur niſi fortè*, *dicamus & fluctibus maris obferri*; *quod*, *ſi eſt*, Projiciam, *id eſt porrò jaciam legendum eſt*. Conſequentia hæc ServI futiliſſima eſt, ex qua *Projiciam* legendum ſtatuit. Sed novi vitium hoc non modernum, verùm perquàm antiquiſſimorum amanuenſium. Certè Alex. Vellutellus, omnia antiqua VirgilI exemplaria, quotquot videre potuerit, oſtendere refert *Proiciam*: Similiter eôd. librô, v. 776. - - *Extaque ſalſos Porricit in fluctus*; idem contra omnium veterum Codd. fidem legi adſeverat, in quibus paſſim ſit *Proicit*. Viri tamen docti, parvi auctoritatem obſoletorum Mſſ. facientes, in recentioribus editionibus, optimè poſuêre *Porriciam* & *Porricit*. Vide Macrob. de hoc verbo Saturn. lib. III. c. II. Varr. lib. V. de L. L. Briſſ. de form. Turneb. adverſ. lib. XXIV. c. XIII. Joh. Vatellum comm. in Muſæi Leandr. Stuck. f. 130. Idem hoc verbum capere quoque non potuêre inertes OvidI deſcribtores, unde & depravârunt locum ejus hactenus quidem nondum, ne quidem à diligentiſſimo Nic. Heinſio, repurgatum, qui eſt lib. II. Faſt. v. 651.

Inde ubi ter fruges medios immiſit in ignes
Porricit inciſos filia parva favos.

cùm in illis ſcribtum & hactenus lectum fuerit: *Porrigit*. Ceterùm & in comburendis victimis *Cremandi* vox malè ominata erat, cujus vice ADOLERE & ADOLESCERE uſurpabant: Siquidem *adolere* & *adoleſcere* propriè eſt creſcere. Serv. in Ecl. VIII. v. 65. ſed quia malè ominatis vocibus in ſacris abſtinebant, adhiberi cœpit pro cremari, idque per μετωνυμίαν, quod altaria verbenis & extis creſcerent atque augerentur. Vide Voſſium, Inſt. Orat. lib. IV. c. X. ſect. 9. Ser-

9. Servius: *Adolere in ſacris per bonum ſignum dicebatur: Nam in ſacris non adoletur quicquam, ſed crematur.* lib. I. Aen. v. 708.

Partes illæ diviſæ μηρῶν ac μηρίων, uſitatis in ſacrificiis voculis, inſigniebantur; quas nonulli coxæ, alii coxendicis, alii femoris, alii cruris, alii ingvinum nomine intelligunt. *Viſcera* porrò omnia illa victimæ eſſe putârunt, quæ pelle conteguntur; pulmonem, cor, jecur, ilia, præcordia, &c: atque ab *extis* diſtinxêre, quòd hæc ſint ea quæ Diis ſacrificantur, & ab aruſpicibus inſpiciuntur: Quamvis Servius aliter diſcernere videatur, cùm: *Viſcera*, ſcribit, *lãtius quid eſſe videntur, quando non inteſtina tantùm, ſed omnem carnem, quæ ſub tergore eſt, ſignificant: Unde in Albano Latinis viſceratio dabatur, id eſt caro.* l. c. *Viſcus*, ait idem, *eſt quicquid inter oſſa & cutem eſt: Hinc viſceratio convivium, quod fit de carne.* ad lib. I. Aen. v. 215. & in lib. VI. v. 253. Alii dicta exiſtimant, quaſi veſca; alii, quòd inſtar viſci corpori adglutinata ſunt; alii â vivendo. Græci ea nuncupabant σπλάγχνα, ἐντοσθίδια, ἔγκατα, ἔντερα, ἔνδινα, ἐγκοίλια, ἔντομα, χορδὰς τομία &c. Ebræi קרבים & מהים. Vide Stuck. f. 125. Tàm igitur hominum, quàm boum, taurorum, ovium (quæ *minima exta* dicta ſunt; licèt Lipſius apud Plautum egregiè *minina* pro *minima* reponat, A. L. lib. II. c. I.) caprarum, canum, & plurimorum animantium viſcera Dîs porrecta legimus & exta, cùm ſcribtores hæc non usquequaque diſtingvant. Florus: *Concepêre votum, ut cæſorum extis ducum litarent*; lib. IV. c. XII. 15. Perſius: *An quia non fibris ovium ergennâque jubente* &c. Sat. II. v. 26.

Idem:

Idem: *Tot tibicùm in flammis junicum omenta liqueſcant*; ibid. v. 47. Virg. *Imponit taurorum viſcera flammis*; lib. VI. Aen. v. 253. Ovid. *Viſcera jam tauri flammis adolenda dediſſet*; lib. III. Faſt. v. 803. Prudent. *Aras ofellis conſecrare bubulis*; hym. XIV. περιστεφ. v. 383. Id. ibid. v. 916.

Reponit aras ad tribunal denuò,
Et thus, & ignem vividum in carbonibus,
Taurina & exta, vel ſuilla abdomina.

Ebræi in ſacrificio adſiduitatis membra eô ordine obferebant, quô victima viva incedebat; caput primò, dein ceteras partes. Sheringham ad Joma, c. II. §. 3. Sed Ben-Aſai alium ordinem adſerit, quem omninò vide in Tamid. c. IV. Inprimis autem in aliis, quæ non erant holocauſta, curæ ipſis fuêre Renes & Adipes. Rabbi Levi Barſel. לחייבין לתת אותו בכור לכהנים ויקריבו חלבו ודמו על המזבח והם אוכלים הבשר בירושלם id eſt *Et tenentur dare primogenitum ſacerdotibus, ut obferant adipem ejus ſuper altari: Ipſi verò comedant carnem Hierosolymis.* Hæ partes vocabantur אימורים ſive quaſi eſſent קרבנות האמורות ברגל *oblationes obferri juſſæ Deo*; ſive שהם מורים ואדונים על כל האברים ועולים על גבי המזבח לחלק אדון העולם *ideò, quia ſunt Morim* (h. e. præcipua, principalia) *Domini ſuper omnia membra, & adſcendunt ſuper altari in partem Domini mundi* h. e. Dei; quam rationem reddit Baal Aruch in כר ſecundo Et erant quidem in ſpecie de bove & capra, adeps, qui operit inteſtina; ſub quo etiam comprehendebatur adeps, qui eſt ſuper ventriculo, duo renes & adeps eorum, adeps item iliorum & reticuli hepatis &c. Videatur Rambam id eſt Rabbi Moſes Ben Maimon in hilc. mas. hakkorb.

c. I. Buxtorfius Lex. Talm. rad. אמר. Fuſiùs de his R. Barſelonita: אלו הן האימורין של שור או של עז החלב שעל הקרב ובכללו שעל גפי הקיבה ושתי הכליות בחלב שעליהן עם החלב אשר על הכסלים ויתרת הכבד ונוטל עם הכבד מעט עם היותרת והאימורין של מין כבש הם אלו בעצמם ומוסף עליהם מין שנוטלין עוד ממנו האליה תמימה עם חולייות שבשדרה עד מקום הכליות שנ׳ לעמת העצה יסירנה כלומר מלעמת מקום הכליות וכנו המקום ההוא כן מפני שאמרו ז״ל שהכליות יועצות id eſt *Hæ ſunt* Imurim *in bove & capra,, adeps, qui operit inteſtina, ſub quo etiam comprehenditur adeps, qui eſt ſuper ventriculo: duo renes & adeps ipſorum, cum adipe ilium & reticulo hepatis, Aufertur autem nonnihil hepatis cum reticulo. Partes agni eædem ſunt, unâ tantùm additâ ſpecie: Accipiunt enim adhuc ab illo caudam integram, cum vertebris ſpinæ dorſi ad locum usque renum*, q. d. E regione ſpinæ dorſi removebit eam; Levit. III. 9. id eſt *è regione loci ſeu ſedis renum, quem locum propterea ſic (עצה) adpellant, quod Rabbini dicant, renes conſulere.* Itaque trium tantùm animalium adipes Deo comburi ſancitum erat, ita ut ne minima quidem portio hominibus de iis cedere poſſet: Sic quippe ſtatuunt Rabbini שאין איסור חלב אלא בג׳ בהמת שכתוב שור וכשב ועז *non prohiberi adipem niſi trium tantùm beſtiarum: bovis, agnæ, & capræ.* Ex eo caſum formant Ebræi; ſi quis v. g. habeat ante ſe duas portiones, adipis alteram, alteram pingvedinis (de quorum differentia confer MartinI lex voc. Adeps) Earum ſi unam comedat, altera pereat, ipſeque neſciat], adipemne ederit an pingvedinem: Tum ei certum obferendum dicunt ſacrificium vocatum קרבן אשם תלוי *pro reatu ſuſpenſo ſeu dubio*: de quo vide Hottingerum de jur. Ebr. lege CXXIII. adde legem CXXXV. CXLVII.

Oſſa

Oſſa hoſtiarum nulla comburebantur, præter agni paſchalis, ut enucleatiùs docet Idem, tract. cit. lege CXXXIX. Pelles earum ſale condiebant ſacerdotes in domo הפרוה, Vid. Joma, c. III. §. 3, Middoth, c. IV. & V. Singulæ autem partes comburendæ Judæis certarum rerum erant ſymbola, qualia adnotavit Ramban, h. e. Rabbi Moſes Bar Nachman; ubi inter alia diſſerit: וישרוף באש הקרב והכליות שהם כלי המחשבה והתאוה וכרעים כנגד ידיו ורגליו של אדם העשים כל מלאכתו ויזרוק הדם על המזבח כנגד דמו בנפשו כדי שיחשוב אדם בעשותו כל אלה כי חטא לאלהים בגופו ונפשו: id eſt, *comburit autem inteſtina & renes, quia ſunt organa cogitationis & deſiderii. Crura σχέσιν habent ad manus & pedes hominis, quibus opera omnia ſua facit. Sangvine, quô conſpergit altare, ſignificatur ſangvis ſuus ipſius, ut ita homo, dum hæc facit, cogitet, peccâſſe ſe in DEUM corpore & animâ* &c. &c. Solebat etiam inter cremandum quædam legere ſacerdos magnus, v. g. in die expiationis אחרי מות quod incipit Levit. XVI. & אך בעשור Levit. XXIII. 27. Poſteà convolutô librô dicebat: *Plus quàm id, quod legi, coram vobis eſt hîc:* Atque è Pentateucho memoriter recitabat octo benedictiones. Vide Joma, c. VII. §. 1, 2. cum notis Sheringham. Erant etiam ſpeculæ דרגאות dictæ, in quibus ſtetiſſe legimus virum cum linteo ſive vexillo albo in manu; qui, quamprimùm obſervaret hircum emiſſarium perveniſſe in deſertum, agitabat linteum: Hoc cùm cuſtodes templi Hieroſolymitani animadverterent, monebant ſacerdotem, ut in ſacra lectione pergeret. Baal Aruch. Ceterùm in hunc modum victimas ſuas exenterabant, quem adnotatum habemus in Talmud his verbis: בא לו אצל פר ושעיר הנשרפין קרען

 והוציא

והוציא את אימוריהן נתנן במגים והקטירם על גבי המזבח קלען במקלעות והוציאן לבית השריפה id eſt *Ibat ad juvencum & hircum, qui erant comburendi: Findebat eos, & eorum viſcera educebat; ponebat in ſcutella, eaque ſuper altare obferebat. Incidebat eos inciſionibus, & ad locum combuſtionis portari curabat.* Ad quam Miſchnam R. Salom. Jarchi ritum victimas ad exenterationem & ſectionem jam mactatas deportandi adnotat: ארבעה בני אדם נושאין שני מוטו' שנים לפנים שנים לאחור למהלכין מוט אצל מוט הפר והשעיר נתונין עליהן מורכבין זה על זה וכופפין זה תחת זה כמין קליעה ושלימין הן אלא שנקרע כריסן להוציא אימוריהן id eſt *Quatuor homines duos vectes ferebant; duo ante, & duo pone: Portabant vectes juxta ſe; & juventus & hircus iis imponebantur: alterum ſuper alterum vehebant, & alterum ſub altero incurvabant velut opus implexum; & integri erant, niſi quod venter eorum diſſectus erat, ut viſcera educerentur.*

Apud gentiles potiſſima inter omnes proſectas victimæ partes COXARUM ratio habebatur, διὰ τὸ συντελεῖν, ut Euſtathius loquitur, τοῖς ζώοις εἰς βαδισιν τε, καὶ εἰς χύσιν τῇ προέσει τοῦ σπέρματος; quæ, ut femora, renes, adeps & ingvina cniſſâ opertæ ſeu pingvedine perfuſæ, & quidem duplicatæ, igni tradebantur πάντα, quod explicat Euſtathius ὅλα, ſive ὁλόκληρα ſcil. μηρία. Catullus, Epigr. XC. v ult.

Gnatus ut acceptô veneretur carmine divos;
Omentum in flamma pingve calefaciens.

Heſiodus, lib. I. Operum & dierum, v. 335. & ſeqq.

Ἁγνῶς καὶ καθαρῶς ἐπὶ δ᾽ ἀγλαὰ μηρία καίειν
Ἄλλοτε δὴ σπονδῇσι θύεσσί τε ἱλάσκεσθαι
Ἠ μὲν ὅτ᾽ εὐνάζῃ καὶ ὅταν φάος ἱερὸν ἔλθῃ &c.

Ad

Ad quæ verba Joh. Tzetza (qui & in Homerum commentatus eſt, Iſaaci Tzetzæ, celebris Lycophronis ſcholiaſtæ, frater, aliquando ineptiſſimè *Coeci* nomine citatus, neque etiam *Zezes* ſcribendus, tanquàm ſcribtio *Zzetzes* per conſvetudinem eſſet introducta, ut falsò tradit Gyrald. lib. III. de Poët.) Grammaticus: *Hiſtorica interpretatio non eſt obſcura, quòd videlicet coxa ſive femora ſolebant præcipuis Diis cremari. Allegoricè autem per illa ſignificârunt, ſe ſuas actiones, ſuaque cœpta & animi cogitata diis commendare, ut auſpicata & fauſta fiant, felicemque eventum ac finem ſortiantur: Quod etiam nunc ſignificat Poëta, dum inquit: Moderare vitæ tuæ curſum, & omnes conatus tuos ad normam divinæ mentis, ut ſint auſpicata & proſpera, quæcumque agis.* Vide Arnobium, lib. VII. Sunt autem coxæ duo oſſa adſtricta ſacræ ſpinæ, quæ eſt *una pars ſpinæ, quam Græci ὀςέον ἱερὸν* vocant, (id eſt os ſacrum) *quoniam primùm infante conceptò naſcitur, ideoque & de hoſtia id primùm deis ſuis dabatur*, ait Iſidorus, lib. XI. c. I. FEMUR ad genu deductum (dividitur enim pes in coxam vel coxendicem, femur, femen & genu) ex lato in anguſtum deſinit: In pleriſque omnibus ſacrificiis (ſi non victimæ eſſent ſuillum inviſum Deæ ob Adonidis mortem, pecus) Veneri obferebatur, quoniam femorum valde operoſa in libidinis exercitio vis: Unde & eorum Poëtæ, rem obſcœnam circumſcribentes, frequentem faciunt mentionem. v. g. Ovid. lib. I. amor. el. IV. v. 43.

Nec femori committe femur, nec crure cohære,
Nec tenerum duro cum pede junge pedem.

lib. II. el. IV. v. 21. ubi ſe quaſvis ait amare mulieres:

Eſt etiam, quæ me vatem & mea carmina culpet:
Culpantis cupiam ſuſtinuiſſe femur.

lib. III. el. VII. v. 9.

Oſculaque inſeruit cupidâ luctantia linguâ,
Laſcivum femori ſubpoſuitque femur.

lib. eôd. el. XIV. v. 21.

Illic nec tunicam tibi ſit poſuiſſe pudori,
Nec femori impoſitum ſuſtinuiſſe femur.

Catullus, carm. LXX. v. 1.

Noli admirari, quare tibi femina nulla,
Rufe, velit tenerum ſubpoſuiſſe femur.

Tibullus, lib. I. el. VIII. v. 25.

Sed corpus tetigiſſe nocet, ſed longa dediſſe
Oſcula, ſed femori conſeruiſſe femur.

Et in ſpectatione formæ muliebris præcipuè aptitudo & qualitas femorum æſtimabatur. Horatius, lib. I. Sat. II. v. 81.

Tenerum eſt femur, aut crus
Rectius: atque etiam melius perſæpe togatæ.

Ovidius de Corinnæ concubitu, lib. I. Amor. el. V. v. 2.

Quàm caſtigato planus ſub pectore venter!
Quantum & quale latus! quàm juvenile femur!

Idem lib. III. Amor. *

Cui femur eſt juvenile, carent quoque cetera mendâ:
Semper in obliquo fuſa ſit illa toro.

Petronius de impuriſſimis ſcortis maſculis:

Huc

* *Malè, eſt enim Art. Amand. v. 781.*

Huc huc convenite nunc ſpatalocinædi;
Pede tendite, curſum addite, convolate plantâ,
Femore facili, clune agili, & manu procaces &c.

Inde Juvenalis vocem hanc pro natura muliebri & obſcœno membro ponit: *Ac ſummum dominæ femur exclamare coëgit.* Sat. VI. v. 423. prout quidem Rigaltius & alii explicant; Poſſent huc multa conferri de Ebræorum ירך quod ſignificat *femur*; & phraſi illa נפק מירך, id eſt, *egredi è femore*: Sed nos recedimus ad altaria noſtra, iiſque impoſitas coxas, & profecta adipe obducta, quibus & ex omnibus hoſtiæ membris crudæ particulæ abſciſſæ farinâque conſperſæ imponebantur, diiſque unà adolebantur. Strabo: *μελίσαντος δὲ τοῦ μάγου τὰ κρέα τοῦ ὑφηγουμένου τὴν ἱερουργίαν ἀπίασι διελόμενοι τοῖς θεοῖς, οὐδὲν ἀπονείμαντες μέρος, τῆς γὰρ ψυχῆς φασι τοῦ ἱερείου δεῖσθαι τὸν θεὸν, ἄλλου δὲ οὐδενός. ὅμως δὲ τοῦ ἐπίπλου μικρὸν τιθέασιν, ὡς λέγουσί τινες, ἐπὶ τὸ πῦρ.* Hæ, teſte Feſtô, ABLEGMINA, vel, ut alii volunt, *albegmina* dicta ſunt. STROBULA verò, ceu idem prodit, Umbrorum lingvâ adpellabantur in genere partes carnium ſacrificatarum. Fiebat item aliquid ex conciſa & comminuta carne, & obferebatur in ſacrificiis, quod peculiari terminô FRATRES nuncupârunt. Arnobius: *Cupientes addiſcere, quid cum pultibus deo ſit, quid cum libis, quid diverſis cum fratribus, confectionis jure multiplici, atque impenſarum varietate conditis;* lib. VII. adverſ. Gent. ubi Rom. Cod. haud amuſſitatè legit: *diverſis cum fartibus.* Canterus, V. L. lib. I. c. IX. *fratrem facere* eâ ſignificatione accipit, quâ Muretus *fartum facere*, de quo nos c. XXIV. CAVIARIA pars hoſtiæ caudâ tenus fuit, quæ

quintô quôque annô pro Collegio Pontificum adponebatur in ſacrificio, unde *hoſtiæ Caviares* nominatæ. Feſtus.

Quandoque ad ſacra farcimina refertiſſima adferebantur ex animalibus. Perſius, Sat. II. v. 42.

Eſto, age! Sed grandes patinæ, tucetaque craſſa
Adnuere his Superos vetuêre. - - -

Eaque vel cruda aræ imponebantur, vel variis juſculis confecta, veluti & infinita alia ciborum ex hoſtiarum carnibus genera, quæ enucleatè ſed prolixè refert Arnobius, cujus verba adſcribere operæ erit: *Quid*, ait, *ſibi hæc volunt, apexabo, iſicia, ſilicernia, longano? Quæ ſunt nomina & farciminum genera, hirquinô alia ſangvine, comminutis alia inculcata pulmonibus? Quid tuceta? quid teniæ? Quid offæ? non vulgi, ſed quibus eſt nomen adpellatioque penitæ: ex quibus, quod primum eſt, in exignas arvina eſt miculas & ilia minutim infecta de more: quod in ſecundo ſitum eſt, inteſtini porrectio, per quam proluvies editur ſuccis per exſiccata vitalibus; offa autem penita eſt, cum particulâ viſceris caudâ pecoris amputatâ: Quid polimina? Quid omenta? Quid palaſea? ſive (ut quidam cognominant) plaſea? ex quibus eſt omenti pars quædam, quô receptacula ventrium circumretita finiuntur. Bovis cauda eſt plaſea ſiligine & ſangvine delibuta. Polimina porrò ſunt ea, quæ nos proles verecundiùs dicimus: à vulgaribus autem adſolent cognomine teſtium nuncupari. Quid fitilla, quid frumen, quid africia, quid gratilla, catumeum, conſpolium, cubula? ex quibus duo, quæ prima ſunt, pultium nomina, ſed genere & qualitate diverſa: Series verò, quæ ſequitur, liborum ſignificantias continet; & ipſis*

non

non eſt una eademque formatio: Non enim placet carnem ſtrebulam nominare, quæ taurorum è coxendicibus demitur, pulpamenta non aſſa, quæ in veribus exta ſunt, animata priùs & torrefacta carbonibus; non ſalſamina denique quæ ſunt una commixtio quadrinis copulata de frugibus. Non ſimiliter fenditas, quæ & ipſæ ſunt dira, quas plebis oratio illa ſolet, cùm eloquitur nuncupare: non ratione eâdem rumas, quæ ſunt prima in gurgulionibus capita, quà dejicere cibos & referre natura eſt ruminatioribus vitulis. Non magmenta, non augmina, non mille ſpecies, vel amen ſangvinum vel ſitillarum, quibus nomina indidiſtis obſcura, vulgoque ut eſſent auguſtiora fecistis. Si enim quæcumque ab hominibus fiunt, maximeque in re ſacra, debent habere ſuas cauſſas, nec ſine ratione eſt quicquam in negociis omnibus, atque in omni adminiſtratione faciendum; ediſſertate nobis & dicite, quæ ſit cauſſa, quæ ratio, ut hæc etiam diis dentur ſacriſque adoleantur altaribus? lib. VII. adverſ. Gent. Hiſce talibus Deos delectari, vivere, ac pingveſcere ſtultè opinabantur Gentiles, tradente Porphyriô. Licèt inter eos quidam veriti non fuerint oblationibus illis omnî modô inhiare, & ſi occaſio tuta adfulgeret, bolos quoſcumque Deorum faucibus eripere, qui dicebantur θυάρπαγες, βωμάκες, & βωμολόχοι; tantumque, ut victimarum carnibus inſidias tenderent, circum aras verſabantur: Poſteà βωμολόχων nomine ſcurræ & adſentatores inſigniti ſunt ab Ariſtotele, lib. IV. Eth.

CAPITA victimarum Ægyptii aut peregrinis vendebant, aut diris devovebant & cum imprecatione in mare abjiciebant, Romani iis fulgurita expiabant; id Jupiter Numæ in mandatis dedit, auctore Arnobiô,

lib.

lib. V. Taurorum autem, boum, ac arietum capita carne ſpoliabant, & vel lancibus imponebant, vel altaribus, templorum parietibus, ac valvis, vaſis & locis ſacris, unà cum verbenis fructibusque ſuſpendebant: Similiter & capita vervecina pingebant, ac inſculpebant *pour monſtrer la pieté & religion*, ut ait Choul, quem adi, p. 316. 318. Vide & tales picturas in tabellis c. XVII, litt. B. & P. c. XVIII. litt. H. præfixis; in ara marmorea in inſcribtt. Gruteri f. 1. necnon apud Rubenium in Electis. LINGVA hoſtiarum Mercurio ſacra fuit propter eloquentiam, ob quam & præconibus aliquando dabatur. cui ſub veſperam adolebatur. Vide Phurnutum de N. D. Athæneum, lib. I. c. IX. ApollonI Scholiaſtam, Stuckium f. 124. & ſeq. 136. & ſeq. Eidem & ARMVS in immolationibus conſecrabatur. Suidas voc. κωλή. Adde de his omnibus Eund. voc. καρδιωσά-μενος. Cœl. Rhod. L. A. lib. XII. c. I. BILEM in προτελείοις & ſacris nubtialibus non reliquis immiſcebant, ſed juxta altare projiciebant, abeſſe in matrimonio oportere iracundiam innuentes. Plutarch. in Connub. præceptis. In ceteris non item; cujus cauſſam audi ex Porphyrio: ὅθεν καὶ τοῖς θεοῖς χολὴν ἔθυον· ἢ ὅτι ὁ μὲν θάνατος λυσίπονος, ἡ δ᾽ ἐνταῦθα ζωὴ ἐπίμοχθος καὶ πικρά. lib. de antr. Nymf. CORDA pingvedine obtecta ſeorſim flammæ imponebantur, quæ Ebræi idolololatræ peculiari modô extrahebant, per foramen, circuli aut potius cordis ſpecie, quales hôc pactô perforatas pelles עורות לבובין, *pelles cordium* vocabant. Meminit hujus Maimonides de idol. c. VII. §. 3. & in not. ad Miſnajot ע"ן פ"ב מ"ג. Sed ſi foramen illud per errorem in longum diſruptum fuiſſet,

illam

illam pecudem pro inutili habuêre. Confer Dionyſ. Voſſium ad l. c. de idol. Talium perforatarum pellium uſus (veluti & vaſorum idololatricorum, ut ſi v. g. calix idololatrici cultus incidiſſet in capſam aliis calicibus plenam, cuncti fuerint vetiti. Maim. c. c. l. c. §. 12. & 14) ſeveriſſimè orthodoxis Iſraëlitis prohibebatur: וכן עור לבוב שנתערב בכמה עורות הכל אסור id eſt *Et ſi pellis perforata pellibus ſit aliis admixta, uſus omnium earum eſt interdictus*. Ceterùm apud gentiles PELLES victimarum aliquando certis hominibus cedebant, aliquando unà comburebantur, aut, ut ἀναθήματα, ſuſpendebantur, cujus figuram ex antiquitate promit Choul. p. 319. Scythæ ſuper eas jurabant. In expiatione quoque adhibitas fuiſſe, Suidas teſtatur, luſtrandoſque ἀριστερῷ ποδὶ inſtitiſſe Διὸς κῳδίῳ, Heſychius auctor eſt. Vide Stuck. f. 121. Præcipuè tamen reſponſa & viſa nocturna capturi (veluti & in ſepulcris, in AeſculapI templo) iis incubabant. Vide Pauſan. de reb. Att. B. Hieronymus: *Sedens quoque & habitans in ſepulchris, & in delubris idololorum dormiens, ubi ſtratis pellibus hoſtiarum incubare ſoliti erant, ut ſomniis futura cognoſcerent*; in c. LXV. Jeſ. Virgil. lib. VII. Aen. v. 86. ſ.

In dubiis reſponſa petunt: Huc dona Sacerdos
Contulit, & caſarum ovium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit.
Multa modis ſimulacra videt volitantia miris.
Et varias audit voces, fruiturque Deorum
Conloquio, atque imis Acheronta adfatur avernis.
Hic & tum pater ipſe petens reſponſa Latinus,
Centum lanigeras mactabat ritè bidentes,
Atque harum effultus tergo ſtratisque jacebat

Vel-

Velleribus: ſubita ex alto vox reddita luco eſt.

Ubi proprium hujus loci verbum eſt *incubare*; Servius: *Incubare propriè dicuntur hi, qui dormiunt ad accipienda reſponſa; unde eſt:* Ille incubat Jovi, *id eſt dormit in Capitolio, ut reſponſa poſſit accipere;* Schol. in h. l. Quod verò Pauſanias ait, ſolere ſubſterni δέρμα, ſciendum, inde derivatum eſſe *dormire*, quòd priùs *dermire*, dixêre; veluti *benus*, *hemo*, *temperi* &c. Ita *helus*, *Compes*; locô *holus*, *compos*. Vide Jul. Cæſ. Scaligerum de Cauſ. L.L. lib. I. c. XXI. Aus. Popmam de Uſu antiqu. Lect. lib. I. c. I. Paſcaſium Groſippum id eſt Gaſparem Scioppium in Grammat. Philoſ. Voſſium de Idol. lib. III. c. XXXIII.

Jam de DIVINATIONE EX EXTIS loquamur, quæ Græcis dicebatur θυηλὴ, ἱεροσκοπία, σπλαγχνοσκοπία, ἡπατοσκοπία; & in ſpecie, ſi ex hominum fieret viſceribus, ἀνθρωπομαντεία; ſi ex piſcium, ἰχθυομαντεία: Latinis *Vis extalis* ſive *extaris*, *Extiſpicina*, *Extiſpicium* & *Haruſpicina* ab Hariungâ ſive Hargâ, hoſtiâ, deſcribente Feſtô, cujus adhærentia inſpiciebantur exta, ita dictâ vel ab *arâ*, vel ab *harâ*, cui includebatur. Inde & denominabantur *haruſpices*, quos Marcellinus *extiſpices* vocat * lib. XXI. c. II. qui exta pecudum inſpiciebant, & ex iis futura prædicebant, ceu tradit decr. XXVI. Qu. IV. Græcis σπλαγχνοτόμοι, σπλαγχνοσκόποι, θυοσκόοι, θυοσκόποι, ἱε-

* *Hos eô locô Marcellinum ita vocare, in meo exemplo reperire non potui, utor verò* Lugdun. *Batav. M. DC. XCIII. in 4to. At jam dudum legi vocabulum Extiſpex apud Ciceron. I. de Divin. c. XVI. ut Marcellini teſtimoniô non multum ſit opus.*

ἱεροσκόποι, ἐμπυροσκόποι vocati. VICTIMÆ CONSULTATORIÆ nuncupatæ ſunt, quarum viſcera interiora vel Haruſpex ipſe, vel Victimarius educebat cultrô, quia manibus ea tangere nefas habebatur, haruſpicique in anclabrem menſam tradebat, ubi is ea contemplabatur ac inſpiciebat, quod peculiari vocabulô erat *conſulere* exta, ut docet Servius ad lib. IV. Aen. v. 64. & ex inde aut bona deſignari, aut mala portendi adſeverabat, ſacrificiumque aut piaculare eſſe, aut litationem. Tacitus: *Hoſtiæ, ut quiſque voviſſet, mares deliguntur: Certiſſima fides hœdorum fibris.* * lib. II. Hiſt. Lamprid. in Heliog. *Cùm inſpiceret exta puerilia & excuteret hoſtias ritu gentili*; c. VIII. quem etiam Julianus permiſit. Marcell. lib. XXII. c. XII. Juven. *Apertâ palluit agnâ*; Sat. VI. v. 392. Lucanus: *Iram ſuperûm raptis quæſivit in extis*; lib. I. Phars. v. 617. Plautus in Poen. II. 17.

- - Aruſpex non homo triboli
Omnibus in extis ajebat portendi mihi
Malum damnumque, & deos eſſe iratos mihi.

Perſius, Sat. II. v. 26.

An quia non fibris ovium ergennâque jubente
Triſte jaces lucis evitandumque bidental?

Sidon. Apoll.

- - - Chaldæus in extis
Pontificum de more ſenex arcana peregit
Murmura.

Ti-

* *Hunc locum Taciti inquirat, cui vacat; ego incaſſum quæſivi.*

Tibull. lib. I. El. VIII. v. 3.

- - Nec conſcia fibræ deorum
Præcinit eventus. - -

Virgil. lib. II. Aen. v. 63.

Pecudumque recluſis
Pectoribus inhians, ſpirantia conſulit exta,

Ovid. lib. XV. Metam. v. 136.

Protinus ereptas viventi pectore fibras
Inſpiciunt, menteſque deûm ſcrutantur in illis.

Id. lib. eôd. v. 575.

Mactatarumque bidentum,
Quid ſibi ſignificent, trepidantia conſulit exta.
Quæ ſimul adſpexit Tyrrhena gentis haruſpex;
Magna quidem rerum molimina vidit in illis,
Non manifeſta tamen. Cùm verò ſuſtulit acre
A pecudis fibris ad Cippi cornua lumen:
Rex, ait, O ſalve! Tibi enim, Tibi, Cippe tuiſque
Hic locus, & Latiæ parebunt cornibus arces.

Ἱεροσκοπίας auctor ac inventor exſtitit Tages, filius genii & nepos Jovis, teſte Cicerone, lib. II. de divin. c. XXIII. Hinc de eo Ovidius, lib. eôd. Metam. v. 558.

Indigenæ dixêre Tagem, qui primus Etruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.

Et Lucanus; lib. I. v. 636.

Et fibris ſit nullà fides, ſed conditor artis
Finxerit illa Tages. - - -

In eâ EXTORUM nomine veniebant Præcordia, perhibente Pliniô, lib. XXX. c. V. circa fin. Ejuſque palmarium ac fons erat Epar ſeu jecur, quod, ubi vitiô careret, læta ominabantur. Vide Lubinum in illud

illud Juvenalis: *Ponimus, & ſectum vituli jecur*, &c. ſat. XIII. v. 117. Ita veteres, urbes ſtructuros, jecinora pecorum ibi paſcentium inſpexiſſe, &, ſi fuiſſent livida ac vitioſa, aliò ſeceſſiſſe, ſcribit Vitruvius, lib. I. c. IV. In S. Codice apud Prophetam Rex Babel dicitur interrogaturus Teraphim, inſpecturusque jecur, Ezech. XXI. 21. fontem nempe extiſpicii, & præcipuam partem. Et ſacratiſſimus Imp. Theodoſius, cùm impietatem iſtam prohibet, ſic loquitur: *Ne quis mortalium faciendi ſacrificii ſumat audaciam, ut inſpectione jecoris, extorumque præſagiô vanæ ſpem promiſſionis accipiat; vel(quod eſt deterius)futura ſub exſecrabili conſultatione cognoſcat. Acerbioris etenim imminebit ſupplicii cruciatus ei, qui contra vetitum præſentium vel futurarum rerum explorare tentaverit veritatem.* l. 2. C. de pag. & ſacr. & templis. Petronius: *Recluſô pectore extraxit fortiſſimum jecur, & inde mihi futura prædixit;* in Satyr. Syllæ apud Laurentum ſacrificanti ſimilitudo coronæ in capite jecoris adparuit, quod Poſthumius haruſpex illi victoriam cum regno portendere interpretatus eſt. Ituri enim in prælium & cum hoſte pugnaturi Conſultatoriam mactabant victimam, in cujus epate haruſpex duo conſtituebat capita, qvorum alterum civi, alterum hoſti dicabat; conlatiſque capitibus hujus aut alterius partis pronunciabat victoriam. Exemplum legimus apud Lucanum; lib. I. v. 626.

Quodque nefas, nullis impune adparuit extis,
Ecce videt capiti fibrarum increſcere molem
Alterius capitis, pars ægra & marcida pendet,
Pars micat, & celeri venas movet improba pulſu.

Claudius & L. Petellius Coſſ. cùm immolâſſent vi-

ctimas, jecur ſubitò tabuit; nec multò pòſt hic morbô, alter Ligurum armis interiit, extis ita prædicentibus. Interdum planè deerat jecur ſignô piaculari & oppidò horrendô, veluti Cajo principi & M. Marcello: Item C. Mario Uticæ immolanti. Simile aliquando evenire ſolebat in cordis inquiſitione, quod ſecundum poſt jecoris conſiderationem locum obtinebat. Julio Cæſari, quô die veſte purpureâ proceſſit, & in ſella aurea ſedit, ſacrificanti, cor in extis bis defuiſſe, refert Svetonius, Cæſar. c. LXXVII. Pertinace, quâ die occiſus fuit, ſacrificante, cor in victima inventum non eſt; & cùm propterea quærendo laboraret, epar quoque defuiſſe compererunt. Vide Fulgoſum, lib. I. c. IV. Hoc autem, quòd exta ſine corde reperirentur & epate, â dæmoniis procurari credebant. Vide Voſſ. de Idol. lib. I. c. VII. Inſpiciebant & lien †, pulmones, ac membranas viſcera ambientes: Necnon obſervabant fel ſive bilem, quomodo humorem ejacularetur. Eâdem ratione veſicam, ore lanâ conligatô, igni imponebant, & quô illa pactô diſrumperetur, &, quam in partem lotium fudiſſet, attendebant. Colligebantur quoque ex hoſtiarum caudis vaticinia: Igni quippe inflexæ difficultatem rei indicabant vel belli; extenſæ & deorſum conruentes cladem futuram: Si verò in altum erectæ fuiſſent, victoriæ indicia præ ſe ferebant. Vide Gyraldum, ſynt. XVII. Adhæc conſideratè extorum colorem circumſpiciebant, qui ſi maculis nigris aut cruentis eſſet infectus, ſi pallidus, ſi lividus, tanquàm diri ominis reſpuebatur. Tibull. lib. II. el. V. v. 13.

Per te præſentit haruſpex,
Lubrica ſignavit cùm Deus exta notis

† *fortè* lienes.

Lu-

Lucanus, lib. I. v. 618.

Terruit ipſe color vatem; nam pallida tetris
Viſcera tincta notis, gelidôque infecta cruore
Plurimus aſpersô variabat ſangvine livor.

Vide plura apud Svetonium, Aug. c. I. Cic. de div. Lucianum de ſacrif. Plinium, lib. X. c. XXII. Apul. lib. I. Metam. cum not. ColvI, Porphyrium περὶ ἀποχῆς, lib. II. §. 51. & ſeqq. Nonium, Feſtum, Catonem de R. R. c. CXXXIII. Briſſon. lib. 1. Form. Scalig. not. ad Feſtum. Caſp. Peucerum de div. extiſpicum, Ludov. Lavaterum, comm. in l. c. Ezech. Corn. Agrippam de O. P. lib. I. c. LV. Turnebum, Adverſ. lib. XV. c. VII. Joh. Gram. in Homerum de genere auſpiciorum, Janum Parrhaſium, epiſt. XVIII. Gruterum, Opin. lib. V. c. III. Stuck. f. 127. & ſeqq. At in Ditis ſacrificio contraria exta potiora erant. Vide Svet. in Oth. c. VIII. Exta ubi fauſta dediſſent ſigna, *litâſſe* ſe iis, & καλλιερεῖσθαι dicebant. Evolve Cicer. de div. lib. I. & II. & lib. I. de N. D. Val. Max. lib. I. c. V. Suidam voc. καλλιερῶ. Briſſon. lib. I. Form. Erat etiam ſignum quoddam, quod vocabatur *Deus*, de quo Lactantius Gramm. *Fuit quoddam in extis ſignum quod Deus appellabatur: Quod ſi integrum adparuiſſet propitium numen oſtendebat: Sin verò dimidium iratum ſignificabat numen: aut certè non præſens;* in lib. V. Theb. StatI. Ad hoc ſanè ſignum collimare videtur Porphyrius: παρουσιῶν τῷ θεῷ, ὅς ἐν τοῖς ἀληθινοῖς αὐτοῦ σπλάγχνοις ἵδρυται; lib. II. §. 52. Extaque felicia vocabantur *læta*. Tacitus: *Soſtratus, ſacerdotis id nomen erat, ubi læta & congruentia exta videt;* lib. II. Hiſt. c. IV. *Triſtia* verò ea,

quæ infelicia portendebant. Idem: *XVIII. Cal. Febr. ſacrificanti pro æde Apollinis Galbæ, haruſpex Umbricius triſtia exta, & inſtantes inſidias, ac domeſticum hoſtem prædicit*; lib. I. Hiſt. c. XXVII. In ſpecie ea, in quibus nulla erant ſigna, adpellabantur *muta*; quæ conſpicuas exhibebant notas, *arguta*; quæ potentibus pollicebantur honorem, humilioribus hæreditatem, filiofamiliàs dominationem, *regalia*; præpingvia, *luſtralia*; quæ aliquid prohibebant, *clivia*, in quibus cor aut caput in jecore defuiſſet, *peſtifera*. Vid. Stuck. f. 126. & ſeq.

CAPUT XXI.

Progreſſus ad victimas in ſpecie. Animalia primitùs non mactata. Cur à Syris poſtmodùm ſacrificata? Ζώων ἀπέχεσθαι *Pyth. ſymb. Animalia quando primùm mactata; & à quo? Animalium princeps homo. Diotimi dicterium de humanis victimis laudatur.* Ἀνθρωποθυσίαι *horrenda. Iphigeniam ex quo principio Voſſius eamdem fecerit cum Jephthæ filia? An Jephthæ filia immolata? Aliquot rationes repugnantes. Loca Judic. XI. quæ huc faciunt, explicata.* ו *præfixum in* והעליתיהו *disjunctivum. Mos Judæorum virgines ad perpetuam caſtitatem Deo dicandi.*

TE

τȣ̃ לחנות *varia explicatio: Vera ejus ſignificatio ex alio ejuſdem libri loco elicitur. Homo quando primum ſacrificatus? Qui poſteà magnô numerô immolati: Quâ maximè fini? Varii ſine diſcrimine homines immolati.* Μυϛικὴ θυσία. *Germani in mactandis hominibus populorum crudeliſſimi: Vel jam Chriſtiani. Varii dii, quibus homines dati, variarum gentium.* Teutates & Heſus *quiſnam? Vocis* Dienſtag *derivatio: Dicebatur olim* Zinſtag: *Quô etymô? Jupiter à Numa aſtutiâ circumventus. Homines in deorum honorem feris objecti. Saturni præ ceteris diis inexplebilis* ἀνθρωποφαγία. *Duo proverbia adducuntur. Saturno cur præcipuè liberi immolati? Idem ferè cum eo Molech: Hujus ſacrificia: Locus eorum: Unde dictus vallis* הנם*? Etymon aliquorum proturbatur. Vallis* Hinnom *commune ſepulcrum. Communia ſepulchra* Agri figulorum *olim dicta. Ignis in valle Hinnom: A quo infernus* Gehenna *dictus: Sicut à frigore* Tartarus. *Duobus Scribturæ Sanct. locis lux præfertur.* Gehennæ *vox etiam Rabbinis in uſu: Quando illa creata. Loco Geneſ. I. lux à Rabbinis confertur. Proverbia de gehenna.* תפת *qualis locus,*

& unde dictus ? מלכן *: Mutatur à Maſoretis in* מלך.מלכן *quis & unde? Ejus alia nomina.* Adramelech *&* Anamelech. *Quinam indicentur voc.* לשדים *Pſalm. CVI? Molech deſcribtio: Stella in fronte ejus :* Remphan: *Diverſæ voculæ hujus lectio: Ejus etymon: Varia ejus explicatio: Quale Remphan ſidus? Liberi an Molech combuſti, an per ignem tantùm traducti? Contrariarum ſententiarum deciſio. Comburendi modus & forma Molech. Seldenus leviter notatur. Traductionus modus. Tricæ & turbæ inter Rabbinos. Cultus illius primordia: Cultorum horum pœna. Ritus ſimilis populi Dughün.* תרפים *quid? Eorum confectio: Siderum in ea obſervatio. R. R. Bechai & AbenEſra ex pluribus aliis Rabbinis oppugnantur. Aliquot Scribturæ loca adprimè inluminantur. Teraphim tantumne oracula, an etiam dii fuerint? Eorum etymon & verſio Germanica. Singulæ hominis partes immolatæ. Mortuis captivi ſacrificati.* Ἀνθρωποθυσίας *apud Romanos finis: Ea apud Limnatas in flagellationem mutata. Diana* Orthia. *Flagellationis illius ritus.*

Egi-

Egimus hucuſque de Victimarum in genere requiſitis ac immolatione. Reſtat, ut ad ſingulas jam hoſtiarum ſpecies, & inde ad ceteras res diis oblatas pervolvamur. Syros antiquitùs ſe abſtinuiſſe à necandis animalibus, ut neque ipſa Diis immortalibus immolarent: poſteà tamen cœpiſſe victimas mactare, ut arcerent à ſe quædam mala, refert Porphyrius, lib. IV. περὶ ἀποχῆς. Memoratur & inter Pythagoræ ſymbola illud: ζώων ἀπέχεσθαι, quod explicant quidam, animantia non eſſe occidenda neque immolanda. Vide Gyrald. in not. In ara Apollinis γενέτορος nullum animal ſacrificabatur. Laërt. Coelius, animalia germinibus terræ deflorefcentibus mactata, ſcribit, idque primò Hyperbium Martis filium feciſſe; L. A. lib. XII. c. I. Dabimus in relatione noſtra primas, vel Deô teſte, principi, & animali omnium nobiliſſimo, HOMINI.

Sapientiſſimè Diotimus Theſſalus, quem alii Aratum nominant, quamvis Ethnicus, humanas victimas deo non convenire, religionique omni repugnare dictitabat, ut notat de eo Euſtathius. Verùm horreſcat auris, rauceſcat vox, concurrant labra, conſuatùr os, lingva titubet, ſangvis gelaſcat, ſtupeſcat humanitas! Homo hominem immolat! Adeoque abominamur ferocem majorum noſtrorum morem,

- - Quibus immitis placatur ſangvine dirô
Teutates, horrenſque feris in altaribus Heſus,
Et Taramis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Lucani verba ſunt, lib. I. Pharſ. v. 444. Adeò exſecramur Heliogabali inhumanitatem, cædentis huma-

nas hoſtias, lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris per omnem Italiam, patrimis & matrimis, ut major eſſet utrique parenti dolor. Lampr. in ejus vit. c. VIII. Adeò indignamur Cyanippo; inceſtu fœdô, ut ad aram victimæ locô traheretur, promerenti. Plut. in parall. Adeò Abrahami fidem miramur, animumque obfirmatum, filium unicum Jehovæ in ſacrificium neutiquàm denegantis. Geneſ. XXII. 9. Adeo commiſeremur ad flammam ſacrificalem abreptæ, ſed fraude poſteà liberatæ Iphigeniæ ſive Iphianaſſæ; quam magnus Voſſius de Idolol. addend. 176. ad lib. I. eamdem facit cum Jephthæ filia; quam nempe à patre immolatam, cum viris undiquaque doctiſſimis autumat. At verò difficile id adſertu. Præter enim quod DEUS Sanctiſſimus nullô id modô conceſſurus fuiſſe videatur, etiam Jephthæ fides id non admiſiſſet, utpote à Spiritu S. illuminati, ut exſtat Jud. XI. 29. atque inter viros DEO cariſſimos numerati, Ebr. XI. 32. Neque id, medius fidius, ex S. Litteris oſtendi poteſt. Siquidem in loco illo Jud. XI. 31. *Et erit quodcumque egredietur foribus meis domus meæ obviam mihi, quando revertar cum pace ab Ammonitis:* וְהָיָה לַיהוָה וְהַעֲלִיתִיהוּ עוֹלָה littera ו (ut non malè putat Andr. Oſiander) non eſt copulativa, ſed diſtinctiva; atque adeò verti debet: *Et erit Jehovæ, aut obferam illud in holocauſtum*; ut ſenſus ſit: immolabo, ſi poterit immolari; quod ſi verò tale erit, quod ex lege noſtra immolare non licet, aut occidere; ſacrabo tamen illud certè ſervitio cultus divini. Atque hôc modô omninò explicari oportere, ex ſeqq. obſcurum non eſt, in quibus ne γρῦ quidem de mactatione. Ita enim v. 39. *Et reverteba-*

batur exactis duobus menſibus ad patrem ſuum; & exſequebatur in ea votum ſuum. Quale autem illud? Apertè id indicat S. Scriptura: *Et ipſa nunquàm agnovit virum.* Itaque non mactâſſe dicitur Jephtha filiam, ſed tantùm feciſſe ei, ut voverat; ut ſcil. virum non cognoſceret, ſed perpetuam ſervaret virginitatem; quod inter Judæos non erat inſolens, prout ait textus: *Et ipſa non agnovit virum:* ותהי חק בישראל *fuitque ritus in Iſraël.* Hîc namque Soph-Paſuk (ceu adnotat Schedius de D. G. lib. II. c. XXXI. cujus hæc ferè argumenta ac probationes ſunt, quas adducimus) ſententiam claudit. Vidit & hoc jam pridem Chytræus: *Non amiſſionem*, inquit, *vitæ deplorabat filia Jephthæ; ſed virginitatem perpetuam, quòd abſque marito & liberis victura eſſet: Sicut Hannam, matrem Samuelis, ſterilitatem ſuam defleviſſe legimus*; comm. in h. l. Eadem ratio eſt verborum ſeqq. v. ult. *De anno in annum ibant filiæ Iſraëlitarum*: לתנות לבת יפתח; quod R. Kimchi vertit: *ad confabulandum cum filia Jephthæ*; ut ſcil. amicis colloquiis eam de virginitate & ſtatu vitæ ſolitario conſolarentur. Hæc Bibliorum exactiſſimus, qui litteralem ſenſum maximè exprimit, commentator. Eâdem ſignificatione eôdem verbô utitur auctor ejuſdem libri Judicum c. V. 11. ubi in Ebræo extat יתנו *confabulentur*, quod etiam B. Lutherus vertit: Da ſage man von der Gerechtigkeit dāß HErren. Dum autem illum locum c. II. 40. glorioſiſſimus ſanctæ fidei reſtitutor interpretatur, Daß die Döchter Iſrael jährlich hingehen zuklagen die Dochter Jeftha; ſecutus eſt Chaldæum & R. Salomonem Jarchi, qui illud לתנות exprimunt: *ad lamentandum*,

 ſcil.

ſcil. cum ea ſuper virginitate ejus, ut ſplendidè & rectiſſimè eos explicat R. Kimchi. Vid. Buxtorfium Lex. rad. ענה.

Humana primùm adhibita fuit in jurejurando Iphigeniæ tempore confirmando victima, quod exinde Lycophron πρωτόσφακτον, & Æſchylus προτέλεια ναῶν dixit: id eſt ἀπαρχὰς καὶ προτέλεια. Conſtant. Leonis Iconomachi filius Venerem coluit, & humanas hoſtias immolavit, prodeunte Suidâ, Svet. in Oct. *Scribunt quidam trecentos ex dedititiis electos utriuſque ordinis ad aram divo Julio extructam Idibus Martiis hoſtiarum more mactatos*, c. XV. In PeruvI confinibus hodiedum homines immolant. Lipſius Mon. Pol. 2. §. 8. lib. I. c. III. Et apud Mexicanos; ibid. §. 10. Lucanus: *Omniſque humanis luſtrata cruoribus arbor*; lib. III. Phars. v. 405. Seneca de Thyeſtæ liberis, Thy. Actu IV. ſc. I. v. 685.

Poſt terga juvenum nobiles religat manus: &c. v. 690.

- - - *Quis manum ferro admovet?*
Ipſe eſt ſacerdos!

Fiebat ἀνθρωποθυσία iſthæc plerumque pro ſalute alterius amici, Principis, aut civitatis, quales victimæ erant καθάρματα & περιψήματα. Ita Amaſtris Plutoni pro vita propria decem homines vivos promittit: Pro ſalute Patriæ Protogenia & Pandora Erechtei filiæ obcumbunt: Molpis deficientibus pluviis cæditur. Vide Suidam ac Ovidium.

Neque ulli ordini, ſexui, aut ætati parcebatur. Sævierunt ita incolæ Sardiniæ in ſenes, qui annum ſeptuageſimum expleviſſent, teſte Æſchylô; Caribes, teſte Benzone, aliique in captivos, Albani in ſanctiſ-

ſimum

ſimum omnium; Maſſilienſes in pauperes; alii in hoſpites. Seneca in Oct. extr.

Hoſpitis illic cæde litatur
Numen Superûm.

Ovid. lib. de art. am. v. 649.

Monſtratque piari
Hoſpitis effuſo ſangvine poſſe Jovem.

Alii in Servos, alii in liberos, alii in nobiles; *Multique dicunt* (ait Capitolinus) *apud veteres hanc devotionem contra hoſtes factam, ut ovium ſangvine litatô, ſpecie pugnarum ſe Nemeſis id eſt vis quædam fortunæ ſatiaret*; in Max. & Balb. c. VIII. Referenda huc aſtu diabolicô excogitata, gentiliumque mentibus indita μυστικὴ θυσία, quando infans matris uterô ſectus mactabatur; de ea Lucanus, lib. VI. Phars. v. 558.

Vulnere ſi ventris, non, quà natura vocabat,
Extrahitur partus, calidis ponendus in aris.

De aliis gentibus, quæ liberos ſuos combuſſêre, Vide Athen. lib. IV. Diod. lib. XX. Juſtin. lib. XVIII. c. VI. extr. Hug. Grotium de ſatisfact. Chriſti, c. X. Inter omnes tamen populos ſangvinolentâ feritate ac diritate barbarâ in hominibus innumeris diis ſuis percutiendis teterrimos, & monſtroſis ſacrificiorum humanorum modis famoſiſſimos legimus Germanos priſcos, de quibus Cic. *Si quando aliquô metu adducti deos placandos eſſe arbitrantur, humanis hoſtiis eorum aras ac templa funeſtant, ut ne religionem quidem colere poſſint, niſi eam ipſam priùs ſcelere violârint. Quis ènim ignorat, eos uſque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbaram conſvetudinem hominum immolandorum?* orat. pro M. Font. c. X.

Digitized by Google

delitate apud Cæs. de B. G. Joh. Magnum, lib. I. hiſt. Goth. Robertum Gagvinum, lib. XIX. Hiſt. Franc. Schedium de D. G. ſynt. II. c. XXXI. & XXXIII. Eſaiam Puſendorferum de Druidibus c. V.

Variis inſuper Diis à variis gentibus humanæ victimæ oblatæ. v. g. à Germanis Lunæ, Dianæ Tauricæ, ſive Tarami, de qua Lucanus, lib. I. Phars. Strabo, lib. III. præcipuæ autem Marti. Jornandes: *Martem Gothi ſemper aſperrimâ placavêre culturâ: Nam victimæ ejus mortes fuêre captorum.* de reb. Get. c. V. Vide Procop. lib. II. rerum Goth. quem vocavêre Teutatem. Lucanus, l. c. item Heſum ſive Heeſ vel Hieſ. Unde dies Martis, quem nos dicimus hodie Dienſtag / adpellatus quaſi Hiſes Tag vel Thieſtag / ſive, d' Hies Tag cui non refragatur ſummus Voſſius de Idol. lib. II. c. XXXIII. In antiquioribus tamen ſcribtis Germanicis legimus, & à priſcis ita pronunciatum eſſe, ac hodieque ab Helvetiis, Alſatis, &c. pronunciari novimus Ziſtag / vel Ziſtag. quaſi d's Hies Tag / ſive daß Hieſes Tag / id eſt Heſi ſeu Martis dies, cùm & hodie articulum illum præpoſitivum Genitivi ſingularis daß / tanquàm nudum S / præſertim ante vocalem aut H / in communi ſermone eloquamur. Oblatæ etiam à Cretenſibus Agraulo; Veneri à Conſtant. Leonis filio; ab aliis Nemeſi, ab aliis Plutoni. Vide Porphyrium & Suidam. Jupiter Latialis ſangvine humanô ex hoſtiis ſibi cæſis proluebatur, teſtibus Athanaſiô & Tertullianô. A Numa tamen Jupiter hominum eſuriens argutam retulit repulſam, cujus meminit Ovidius, lib. III. Faſt. v. 339.

Cade

Cæde caput, dixit. Cui rex: Parebimus, inquit;
Cædenda eſt hortis eruta cepa meis.
Addidit hic: Hominis ſumes. Ait ille: capillos?
Poſtulat hic animam. Cui Numa: Piſcis? ait.
Riſit; & his, inquit, facito mea tela procures,
O vir conloquio non abigende deûm!

De pluribus Minucius Felix: *Tauris etiam Ponticis & Aegyptio Buſiridi ritus fuit hoſpites immolare; & Mercurio Gallos humanas vel inhumanas victimas cædere. Romani Græcum & Græcam, Gallum & Gallam ſacrificio viventes obruêre; hodieque ab ipſis Latiaris Jupiter homicidiô colitur, &, quod Saturni filiô dignum eſt, mali & noxii hominis ſangvine ſaginatur.* in Octav. Adi ElmenhorſtI not. in h. l. Pertinet huc illud, quando in theatris homines paſſim feris objiciebant, in honorem dei illius, cui ludi erant dicati, quod multis S. Apoſtolis contigit. Vide Tertull. in Apolog. c. IX. Salvianum, lib. VI. Confer hiſtoriam Danielis c. VI. Inſatiabilis tamen præ ceteris omnibus erat Saturnus, ferociſſimus ille ſemper deorum, cui Carthaginienſes excellentiores ex filiis ſuis ſorte lectos combuſſerunt, quorum locô aliis clanculum alios infantes ementibus, & in ſacrificio pro ſuis ſubponentibus, iraſcens Saturnus, CC. nobiliſſimis & CCC aliis ſponte ſe obferentibus vix placatur; ubi & matres adſiſtere cogebantur, citra lacrumas & gemitus, reſonantibus circumcirca tibiis tympaniſque. Plato quoque ita illius meminit: *Neque leges noſtræ homines ſacrificare permittunt; Carthaginienſibus autem juſtum ſanctumque habetur, adeò ut eorum nonnulli Saturno etiam ſorte filios immolare permittant,* in Protag. A Tyriis verò

id

id ortum fuiſſe Q. Curtius auctor eſt, IV. III. 23. Vide de hoc Carth. ritu & Saturni ſtatua plura apud Diod. lib. XX. Auguſt. de C. D. lib. VII. c. XIX. Euſeb. orat in laud Conſt. Cæſ. & præparat. Euang. lib. IV. c. XVI. Cyrillum adverſ. Julianum. lib. IV. Tertullianum, Apolog. c. IV. & IX. & adverſ. Gnoſticos c. VII. Lactant. lib. I. c. XXI. Philoſtratum in vit. Tyan. Apoll. Platon. in Minoë, Lucianum in Anachars. Plutarch. de vind. tarditate & de ſuperſtit. & in apophth. Porphyrium περὶ ἀποχῆς, Trogum, lib. XVIII. c. VI. Silium Italicum, lib. IV. Punic. Gyrald. ſynt. XVII. Nat. Com. Myth. lib. I. c. XVIII. Stuckium, qui varios de ἀνθρωποθυσίᾳ Scribtores citat, f. 41. & ſeqq. Sardiniæ incolæ Saturno ſuos dederunt, teſte Aeſchylô, ſenes; Galli verò juvenes quoſdam, ſi credimus Auguſtino. De Phœnicibus Porphyrius. Φοίνικες ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς ἢ αὐχμῶν, ἢ λοιμῶν, ἐθύοντο τῶν φιλτάτων τινα ἐπιψηφίζοντες Κρόνῳ; lib. II. de abſt. animalium. Rhodii eorum quempiam, qui capitali adficiendi erant ſupplicio, Saturno cædebant. Theodoretus: ἐθύετο ἐν ῥόδῳ μηνὶ Μεταγειτνιῶνος ἕκτῃ ἱσταμένου ἄνθρωπος τῷ Κρόνῳ· ὁ δὴ ἐπιπολὺ ϰρατῆσαν εἰς ἔθος μετεβλήθη· ἕνα γὰρ τῶν ἐπὶ θανάτῳ δημοσίᾳ κατακριθέντων μέχρι τῶν Κρονίων συνεῖχον; lib. VII. Græcar. adfection. Unde proverbium illud: *Saturni hoſtia*, de quo vide Alciatum Lex. Plaut. veluti à Diana Taurica Germanorum: *Tauricâ arâ crudelior*, de quo Hadr. Junius, cent. VI. adag. XV. Adde Janum Parthaſium, comm. in lib. III. Claud. de rapt. Proſerp. Cauſam, cur Carthag. Galli, plurimique populi liberos ſuos Saturno

turno ſacrificârint, tradit Minucius Felix: *Non Saturnus filios ſuos non expoſuit, ſed voravit: Meritò ei in nonnullis Africæ partibus à parentibus infantes immolabantur, blanditiis & oſculô comprimente vagitum, ne flebilis hoſtia immolaretur*; in Octav. alii; non quia expoſuerit, ſed quoniam immolaverit μονογενῆ: id quod ad Abrahami hiſtoriam reſpicit. Vide illuſtrem Seldenum de D. S. lib. I. c. VI.

Idem planè & ſacrificii ritus, & idolum ἀνθρωποφάγον fuit MOLECH, cujus cultores liberos ei accendebant: Ideò Jehova ad Judæos: *De ſemine tuo non dabis, ut conſecretur idolo Molech.* Lev. XVIII. 21. Additque pœnam: *Homo de filiis Iſraël, & de Advenis, qui habitant in Iſraël; ſi quis dederit de ſemine ſuo idolo Molech, morte moriatur, populus terræ lapidabit eum.* c. XX. 2. Adde Deut. XVIII. 10. Illi tamen poſteà ædificârunt excelſa התפת, quod eſt בגיבן הנם ut incenderent filios ſuos & filias igni. Jer. VII. 31. Verùm Joſias rex pientiſſimus contaminavit התפת, quod eſt בגי בן הנם, ut nemo conſecraret filium ſuum aut filiam per ignem Molech. 2. Reg. XXIII. 10. Obſerva locum, ubi immolabantur, qui erat vallis in tribu Benjamin, dictus גי הנם *Ge hinnom* id eſt vallis hinnom, vel גי בן הנם *Ge ben hinnom*, vallis filii hinnom, quod multi nomen viri, vallis illius poſſeſſoris fuiſſe falſô adſerunt. Veriſimiliora etenim legimus in lib. Jalkut, in c. VII. Jerem. fol. 61. Vallis fuit dicta הנם, quia vox pueruli erat נהם *rugiens*; aut quod aſtantes ſacrificuli dicerent: יהנה לך *Utile erit tibi*; *dulce condimentum* erit tibi. Scribit enim R. Bechai Lev. XVIII. *Parentes perſuaſos fuiſſe; reliquos liberos hôc*

ſacri-

ſacrificiô à morte ereptum iri, ſeque totâ vitâ futuros proſperrimos. Sic etiam R. Levi Barſelonius: שהכומרים השקרנים היו מבטיחין אבי הבן כי על ידי תקרובת בן זה יצלח שאר זרעו בכל אשר יפנה ותהיה הברכה והטובה מצויה בביתו ולרוב תרמית לא לצו מתחלה לקבוע החק רק במי שיש לו זרע מלבד אותו שהוא נותן להם פן ימאנו מלשמוע אליהם הן לשורפו לגמרי הן להעבירו בתוך הלהב כדעת קצת המפרשים ולמען יבטיחו גם כן על הברכה והטובה בנשארים ויפתו אליהם מתוך כך הפתאים h. e. *Falſi flamines patri prolis ſpondebant, beneficiô oblati filii proſperè habiturum reliquum ejus Semen, quocumque ſe verteret, adeoque domi ſuæ locum habituram benedictionem & proſperitatem. Utque dolus faciliùs ſuccederet, nullam initiô fixerunt legem, niſi illi, cui præter ſemen datum aliud ſupereſſet; ne obſequium detrectarent, ſive comburendus planè fuerit filius, ſive traducendus tantùm juxta quosdam interpretes per flammam, &, ut certos eos redderet benedictionis & proſperitatis in reliquis, ſicque his blanditiis commodiùs ſimplices pellicerent.* Vallis illa commune quoque erat ſepulcrum, quò cadavera magnô numerô fuêre conjecta, qualia loca *agros figulorum* dicta Viri docti exiſtimant. Vid. Caſp. Sanctium, comm. ad. Jeſ. V. 14. R. David Kimchi: *Gehinnom*, ait, *eſt locus vicinus urbi Jeruſalem, contemtiſſimus, in quem projiciebant ſordes & cadavera, fuitque illic ignis continuus, ad comburendum cadavera, oſſa & reliquas ſordes*; in Pſalm. XXVII. 13. Propter hunc ignem intenſiſſimum, tum etiam propter acerbum fletum infantium hîc combuſtorum ipſamque vallis fœditatem, damnatorum locus ſeu infernus nuncupatus fuit גיהנם, Græcis γέεννα, Latinis

tinis *Gehennæ*; veluti contra ab ineffabili frigore idem *Tartarus*, τάρταρος. Vide Eraſmum, not. in N. T. Dilherrum, ecl. V. dict. III. p. 128. Joh. Lorinum in 2. Petr. II. 4. Huc Chriſtus fortè reſpicit, quando ait: ἔνοχος ἔσται εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός Matth. V. 22. Et Jacobus: φλογιζομένη ὑπὸ τῆς γεέννης. c. III. 6. Voce hâc etiam Rabbini utuntur, qui ſeptem res ante creationem mundi creatas dicunt; Legem, Pœnitentiam, Paradiſum, Gehennam, ſolium gloriæ, domum ſanctuarii, & Meſſiæ nomen in Nedarim, fol. 39. item in Targum Jonathanis, Geneſ. III. 24. Vide Buxtorf. voc. גיא, & in Lex. Talm. rad. גהן, Creatam autem gehennam ajunt die ſecundô creationis mundi, elicere idipſum conantes ex Cantic. VIII. 6. Et hanc reddunt rationem, quare in hiſtoria creationis ad diem ſecundum Geneſ. I. v. 6. 7. 8. non ut ad ceteros, addatur כי טוב *quod bonum eſſet*; מפני שנברא בו אור של גהנם i. e. *quia creatus fuit in eo ignis gehennæ*; Peſach. f. 54. Id gehennæ judicium, (quod duplex eſſe volunt, Aquæ & Ignis) duodecim perſiſtere fabulantur menſes, ut videre eſt ex libro Zohar in Geneſ. Vulgaria de ea ſunt in Judæorum ore Proverbia: v. g. *Tres non vident faciem gehennæ* / דקדוקי עניות וחולי מעים והרשות *extrema paupertas, dolor colicus, & magiſtratus*, vel, ut quidam exponunt, *cui ſunt debita multa*. Cod. Erubhin, c. IV. Item טוב שברופאים לגהינם *optimus medicorum pertinet ad gehennam*. Item: עז פנים לגהינם ובושת פנים לגן עדן *qui eſt impudenti facie, gehennâ; qui verecundâ paradiſô*: ſcil. dignus eſt; Avoth. c. V.

Ipſe Locus in valle, in quo comburebantur, excelſus erat, & dicebatur תפת Topheth à תפים tympanis,

panis, quæ ibi pulſabantur, ne quis infantum vagitus audiretur; quod, dum fit, *audimus hunc ſonum toph! toph!* ait Georg. Paſ. Lex. N. T. voc. *γέεννα*. Præterea & adpellabatur מלכן *Malken*, pro quo Maſorethæ ponunt מלבן, quod ſignificat furnum ad conficiendos lateres. Vide R. Kimchi 2 Reg. XXII. 11. R. Moſen Ben-Maimon. in More-Nebochim, lib. III. c. XXXVIII. Seldenum de D. S. lib. I. c. VI. Glaſſ. Gram. S. p. 814, 816. * Schindl. in Lex. Becmannum, Orig. LL.

Nunc de nomine, figura, & ſacrificiis Molech. Nomen idoli hujus Ammonitarum erat מֹלֶךְ *Molech* i. e. rex, à מלך regnavit: aliquando in Scribturis vocatur מִלְכֹּם & מַלְכָּם ab eadem radice. Memorantur & alia Deorum nomina *Adramelech* & *Anamelech*. quibus populi de Sepharvaim filios ſuos combuſſiſſe feruntur. 2 Reg. XVII. 31. qui fortè indigitantur per vocem לשדים Pſalm. CVI. (al. CV.) 37. Fuit autem Molech ſtatua ſeptem cubiculorum facie vituli, manibus extenſis, quales ſunt homines parati ad aliquid accipiendum; quam, *ſi infans penitus eſſet comburendus*, igne accendebant ſacrificuli, adreptumque infantem ponebant inter manus ipſius Molech. Fronti ejus ſtellam fuiſſe adfixam, Oecumenius putat, Rempham dictam; cùm & in Actis Apoſtolorum *Molech* & *Remphan* conjungantur: *καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ μόλοχ καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν* Ῥεμ-

* *Quale habuerit exemplar Philologiæ Glaſſii Auctor noſter non indicat, in meo exemplo Francof. M DC LIII. edito, eſt lib. IV. Philol. Tract. III. Obſerv. XIX. p. 1016. in præcedente editione 878.*

Ῥεμφὰν, τὺς τύπυς, ὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς; VII. 43. Syrus, Arabs & Juſtinus legunt ῥεφὰν; al. ῥαιφὰν, al. ῥάφὰν, al. ῥεφὰ, al. ῥακχὰν, al. ῥαμφὰν, al. ῥομφὰν, al. ῥομφᾶ. Orta hæc vox ex doctiſſimorum quorumque conjecturis à voce Arabico-Perſica כיון ubi Græci decurtatâ inferiùs literâ כ, ut τῷ ר ſimilis evaderet, legerunt ריון ῥεφὰν, tandemque inſertô, μ, ῥεμφάν. Vide Buxtorfium, Lex. voc. כן. Voſſ. de Idolol. lib. II. c. XXIII. AbenEzra lingvâ Iſmaëliticâ כיואן *Chiwan* Saturnum ait nuncupari, quod verum eſt. Vide Pocok. Specim. hiſt. Arab. p. 390. & Hotting. Smegm. Orient. p. 89. Kircher. in Copticis vult Ῥηφάν eſſe Ægyptiacum: ſed exploditur à D. Majore in Acta, p. 387. R. Salomon dicit eſſe idoli; Chaldæus paraphraſta, Aquila, & Symmachus retinuerunt vocem *Chiun*. Theophylactus ad Actor. l. c. ῥεμφὰν vertit obtenebrationem, obcæcationem, σκοτισμὸν καὶ τύφλωσιν: Theodotion; ἀμαύρωσιν, obſcuritatem. Nonnulli Heſperum eſſe arbitrantur; alii Solem; quidam Lunam. Confer Seldenum de D. S. lib. II. c. XIV. Voſſ. Patrem de Idol. lib. II. c. V. & XXIII. Voſſ. Fil. ad R. Moſ. de Idol. c. VI. §. 5. Cyrillus etiam Luciferum aut Solem innuit: Λίθον ἔχων διαφανῆ, καὶ ἐξαίρετον, εἰς ἑωσφόρυ τύπον ἐπὶ μετώπυ ἄκρυ; in Amos. Notanter ſupra diximus, *ſi libri eſſent comburendi*. De hoc enim ſunt, qui ambigant, ſolamqve per ignem traductionem tradant; quamvis diſertè cremationem ſtatuant R. D. Kimchi, R. Saomo Jarchi, R. Moſes Gerundenſis, R. Joſeph. Karon, R. Moſes Mikotzi, Iſaccus Abravanel, Lyranus & Toſtatus Abulenſis in Lev. XVIII. Tor-
niel-

niellus in annal. ad A. M. 346. Adrichomius in ſua Jeruſal. num. 186. Druſius ex Megilla comm. I. in voc. N. T. & alii. Lutherus ipſe: Der Abgott Molech war ein ähern Bild; innwendig voller Glut: dem ſie ihre Kinder in die Arme legten und verbranten / und die Prieſter mit Paucken und Schellen klungen / daß die Aeltern der Kinder Geſchrey nicht hören ſolten; gloſſ. ad Jerem. VII. 31. Sed utramqve ſententiam veram eſſe, adſerimus cum Voſſio Patre de Idol. lib. II. c. V. & Filio ad Maim. aliamque fuiſſe traductionem, quâ liberos tantùm Molech initiabantur; aliam combuſtionem, quâ totos penitus ei obſerebant ac adolebant. Hujus modum exactiſſimè deſcribit R. Simeon in comm. bibliorum myſtico, qui dictus *JalKut*, l. c. *Etſi fuerint omnes domus idololatricæ in ipſa urbe Jeruſalem; Molech tamen fuit extra urbem in loco ſeparato. Quomodo Molech erat factus? Imago erat* (ærea; R. Salomo, Jerem. l. c.) *habens faciem vituli, manus expanſas inſtar hominis manus aperientis, ut ab alio aliquid accipiat, intrinſecus excavata. Septem ipſi exſtructa fuêre ſacella, ante quam imago iſta fuerat conlocata. Avem ſive pullum columbinum obferens primum ingrediebatur ſacellum: Ovem aut agnum, ſecundum; Arietem, tertium; Vitulum, quartum; Juvencum, qvintum; bovem, ſextum; qui denique filium proprium obferret, ſeptimum occupabat ſacellum. Hìc Molech oſculabatur, juxta illud: Sacrificatores hominum vitulum oſculantur. Hoſ. XIII. 2. Filius ante Molech ponebatur; Molech igne ſubpoſitò ſuccendebatur, donec ignitus fieret inſtar lucis. Tunc ſacrificuli acceptum infantem candentibus Molech manibus indebant; ac ne*

 parens

parens (quod pro piaculo habebatur) ejulatum ac clamorem pueri audiret, tympana pulſârunt. Hactenus Jalkut. Paullus Fagius in Chald. paraphr. Levitici planè aliter. Omiſſô enim quintô locô juvencô, primo conclavi ingerit ſimilam, ſecundo turtures, tertio ovem &c. Videat jam aliquis, an ſecutus ſit R. Simeonem; quod tamen perhibet Seldenus de D. S. lib. I. c. VI. Traductionis meminit Concilium ſextum Conſtantinopolitanum in Trullo habitum, can. LXV. *τὰς ἐν ταῖς νεομηνίαις, ὑπό τινων πρὸ τῶν οἰκείων. ἐργαστηρίων ἢ οἴκων ἀναπτομένας πυρκαϊάς, ἃς καὶ ὑπεράλλεσθαί τινες κατά τι ἔθος ἀρχαῖον ἐπιχειροῦσι* &c. Et Virgilius, lib. XI. Æn. v. 786.

Cui pineus ardore acervo
Paſcitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multâ premimus veſtigia prunâ.

Quô autem illa pactô peracta fuerit, ſatis luculenter depingit הרב הגדול i. e. Rabbi magnus, ceu eum Kimchi vocat, Moſes, ben Maimon: כיצד היו עושין מדליק אש גדולה ולוקח מקצת זרעו ומוסרו לכומרים עובדי האש ואותן הכומרים נותנין הבן לאביו אחר שנמסר בידן להעבירו באש ברשותו ואבי הבן הוא שמעביר בנו על האש ברשות הכומרים ומעבירו ברגליו מצד זה לצד אחר בתוך השלהבת: *Quomodo id fiebat? Accenſô igne magnô partem ſui ſeminis accipiebant, quam dein ſacerdotibus igni ſervientibus tradebant. At Sacerdotes, ubi filium accepiſſent, eum patri reſtituebant, quò ipſe ex ſententia ſua eum per ignem traduceret. Igitur pater filium permiſſu ſacerdotum per ignem agebat. Pedibus autem jubebat tranſire; donec flamma quicquid erat, emenſus foret.* lib. עב"ום c. VI. §. 5. Interim aut R. Moſes ſibi ipſi non conſtitit, ſimul ac Rabbinorum antiquiſſimi differentiam inter traductionem

ctionem & combuſtionem capere non potuêre: aut moderniores Rabbini vetuſtiorum illorum verba conconciliare, indeque ritum hunc duplicem colligere neſcivêre. Sic quippe legimus: ודעת הר"ש ז"ל והרמ"בם ז"ל שלא היה שורפו אלא העבודה היתה להעבירו לבד וכיון שהעבירו כמו שהורת דרכם להעביר הייב ודעת הרמב"ן ז"ל שהיה מעבירו בלהב עד שנשמתו יוצאת וראיותיו בפירוש חומש שעשה i. e. *Volunt autem R. Salomo Jarchi & R. Moſes filius Maim. quòd illum* (pater) *non combuſſerit, ſed quòd cultus in hoc conſtiterit, ut traduceret eum tantùm; & quòd poſtquàm eum more illorum traduxiſſet, reatum contraxerit. Sed R. Moſes filius Nachman ſtatuit, quòd per ignis flammam tamdiu eum traduxerit, uſque cùm egreſſa fuerit anima ejus. Rationes ejus exſtant in comment. in Pentateuch. quæ adornavit.* Hæc omnia â Judæis in memoriam Iſaaci immolandi facta, vir Cl. Joh. Buxtorfius auguratur, quòd Deus Abrahamo dixerat: *Adſume nunc filium tuum unicum Iſaacum, & obfer eum in holocauſtum*; Gen. XXII. 2. Hinc factam religionem, *ut adoleverint incenſum in valle benhinnom, & luſtrârint filios ſuos in igne, juxta ritum gentium*; 2. Paralip. XXVIII. 3. Iſtiusmodi idololatræ tàm feminæ, quàm viri, etiam gentiles, ſi teſtibus convicti fuerant, præmiſſâ quoque dehortatione, lapidabantur: Si defuiſſent teſtes & admonitio, aquâ & igni iis interdicebatur. Vide Cl. Hottingerum de jur. Ebr. lege CCVIII. Similem ferè morem populorum Dughiin in inſula Chanag memorat R. Benjamin in itin. apud quos ante ſingula fana campus magnus & latus eſt, in quo ingens ignis omnibus diebus ardet, quem Elthotha vocant: Per hunc filios ſuos expiandi cauſſâ mittere ſolebant, mortuosque

tuosque ſuos in medium rogum conjiciebant. Præterea Magnates eorum cùm vivos ſe ſummâ omnium familiarium gratulatione igni devoviſſent; præſente die exſolutionis voti ſplendidô conviviô exceptus, ſi dives eques; ſi pauperior, pedes deducitur ab amicorum tympanis & choreis ludentium turbâ ad campi initium: Unde curſu initô in ignem inſilit. Triduô pòſt duo ſacrificuli primores familiam adeuntes jubent patri ipſorum parari domum, hâc eis die adfuturo. Advocantur igitur è civitate teſtes aliquot; & Satan ſpeciem imitatus combuſti adeſt, cum quo uxor & filii varia conferunt &c. Idem adhuc hodiè apud aliquot Indiæ gentes obtinere, complures oculati teſtes fidem faciunt.

Majori adhuc, & vix fandâ impietate flagrârunt Judæi, quando pueri alicujus primogenti, dæmonique ſacrificati, caput præciſum, ſalitumque aromatibus condiebant, ut diu perſiſteret, ac ſuper lingvam in lamina aurea nomen dæmonis ponebant, capientes inde reſponſa, taleque תרפים dicebant. Vide Nicol. Lyram in Gen. XXXI. 19. Ubi Rachel patris ſui Teraphim furatur. Elias Levita Germanus: *Inveni, quòd in hunc modum fiebant Teraphim. Mactabant hominem primogenitum, cujus caput torquendo ungve ſecabant, quod poſteà ſale & aromatibus condiebant, ſcribebantque ſuper laminam auream nomen ſpiritus immundi; quâ ſubpoſitâ capiti ejus, ponebant illud in pariete, incendentes coram eo candelas & adorantes coram eo;* in חשבוני' Eadem fermè recenſet Ben-Uziel & R. Elieſer, niſi quòd hic addat: *laminam infra lingvam poſitam:* Item: *Unde autem probatur, quòd Teraphim locuta ſint? Inde, quòd dicitur: Teraphim loquuntur*

loquuntur vanitatem. Zach. X. 2. *Propterea furata eſt eas Rachel, ne indicarent Labano fugiſſe Jacobum.* Obſervabatnr præterea in parandis Teraphim cæli conſtellatio: Aliquorum enim ſiderum influxus etiam eò requirebatur; quod notare poſſumus ex verbis Carpi, quod imperiti quidam *centiloquium Ptolemæi* adpellant: Τὰ ἐν τῇ γενέσει καὶ φθορᾷ εἴδη πάσχει ὑπὸ τῶν οὐρανίων εἰδῶν. Διὰ τοῦτο χρῶνται τύποις οἱ στοιχειωματικοὶ ταῖς ἐπεμβάσεσι τῶν ἀστέρων σκοποῦντες ἐπ᾽ αὐτά; c. IX. Vide omninò quid ad h. l. commentatus ſit Arabs Haly Aben Rodoan. Ita R. Bechai in Geneſin ſcribit: *Sententia Ramban de Teraphim eſt, quòd fuerint inſtrumenta ad cognòſcendum horas, & utebantur eis ad divinationem, ut ſcirent futura.* Quam ſententiam unà cum aliis etiam recitat R. Aben Eſra in Geneſ. XXXI. Sed manifeſtè adverſatur R. David in 1. Sam. XIX. 13. *Quidam*, ait, *dicunt fuiſſe inſtrumentum æreum, eis factum, ut viderentur in eo partes horarum, ſimul etiam futura beneficiò aſtrorum. Id poſſit convenire negotio Labanis, ſed in negotio Michalis grave eſt explicare, quare poſuerit ea in lecto in loco Davidis; cùm iſtud inſtrumentum planè non fuerit ad hanc diſpoſitionem adcommodatum.* Similiter Ralbag ſive Kabbi Levi Ben Gerſom: *Teraphim ſunt imagines formâ, ut videre eſt in Michale filia Saulis: Fuitque iſta forma facta horis certis notis apud ipſos, quâ excitaretur facultas imaginatrix divinantis, audiretque quaſi vocem ſubmiſſam loquentem ad ſe de rebus futuris, quibus occupata fuit cogitatio ejus* &c. in Genſ. Raſchi, vel Rabbi Salomo Jarchi, comm. 2 Reg. XXIII. 24. *Teraphim fuerunt imagines, quæ loquebantur per artes magicas: Qui faciebant eas, opus*

habebant reſpicere horam certam, & annum certum convenientem ad id. Et Ezech. XXI. 21. *Teraphim eſt imago loquens per artem magicam, eſtque hora certa diſpoſita, quâ, ſi confecerit eam, eſt in ea ſermo perpetuus.* Latinam tantùm verſionem adpoſuiſſe ſufficiat, cùm textum Ebraicum adducere longius fuiſſet: Interim tu hunc & plura de Teraphim lege apud Buxtorfium lex. Talm. voc. תרף. Hujusmodi Teraphim Michal Davidis jam fugientis lecto impoſuiſſe, & hôc maritum modô ſalvâſſe dicitur. 1 Sam. XIX. 13. Apud Ezechielem ſtetit rex in bivio, & interrogavit Teraphim, & inſpexit jecur; c. XXI. 21. Vid. Kimchium in Sam. l. c. Aben-Eſram in Gen. l. c. R. Salom. in Hoſ. III. 4. Pirke R. Elieſaris c. XXXVI. De tali capite Gereberti G. Malmesburienſis de geſtis R. Anglorum, lib. XII. c. X. & luteo Oxonienſi Seldenus de D. S. lib. I. c. II. Memini & egomet, vidiſſe me in ſplendidiſſima Bojarienſi bibliotheheca, quæ eſt Ingolſtadi ad Danubium, caput adſpectu adeò horribile, ut vel intuentem longè fuget, è quo Diabolum aliquando voce humanâ locutum perhibent. De alio integro ſimulacro, quod Monachi ſervatur, vide quid ſuprà retulerimus c. VI. p. 126. Admodùm hîc inter doctores ambigitur, utrum capita hæc pro Diis culta, an tantùm pro oraculorum inſtrumentis habita? De qua controverſia videatur R. Simeon Ben-Jochai in Zohar, f. 94. Quidam certè vertunt εἴδωλα; al. δήλους, al. γλυπτά; Aquila μορφώματα & φωτισμούς; Targum Hoſeæ מחוי i. e. *adnunciantes*: Vocem autem תרפים Joh. Mercerus & Simeon de Muis peregrinam dicunt: quidam deducunt à רפא mederi aut ſanare: R. Bechai & R. Jehuda à

רפה

נאר deſtitit, defecit, remiſſus fuit, quæ derivatio etiam B. Luthero placuit: R. Joſe à תרף turpitudine, ignominiâ: Alii à תרף i. e. vermiculari. Tu uberiùs hæc vide apud Buxtorfium, l. c. & Dilherrum, Tom. II. diſp. XIII. B. Lutherus modò vertit Götzen / Geneſ. XXXI. 34. 35. Zach. X. 2. modò Abgott / Ezech. XXI. 21. modò Abgötterei / 1 Sam. XV. 23. modò Bilde / 1 Sam. XIX. 13. 16. modò in plurali Bilder / 2 Reg. XXIII. 25. modò Heilige / Jud. XVII. 5. modò Heiligthum / Jud. XVIII. 14, 17, 18, 20. Hoſ. III. 4. Stuckius etiam ſingulas hominis partes v. g. caput, calvariam, dextras, ſangvinem, lac, capillos, corpus, truncum, pudenda, lingvam &c. variis ait fuiſſe diis immolatas, f. 42.

In inferiis ſive ſacrificiis mortuorum opulentiorum apud gentiles frequenter captivi pro victimis jugulabantur. Virg. lib. X. Aen. v. 518. ſ.

Quatuor hîc juvenes, totidem, quos educat Vfens,
Viventes rapit inferias, quas immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat ſangvine flammas.

Idque adhuc hodiè apud Indos Orientales moris eſt, regibus primoribus aut divitibus jam humandis aut comburendis addere comites; quos ex compoſito à ſuis aliquò miſſos quidam in inſidiis locati de improviſo transfigunt, & capita avulſa circa ſepulchrum in haſtis erigunt.

Sapere tandem, & ab inhumana iſta ſævitia abſtinere cœpêre Romani A. U. I϶. cLVII. ut prodit Plinius: *DC. LVII. demum annô urbis Cn. Corneliô Lentulô P. Liciniô Craſſô Coſſ. ſenatusconſultum factum eſt, ne homo immolaretur, palamque in tempus ſiluit ſacri prodigioſi celebratio* &c. *Non ſatis æſtimari poteſt,*

poteſt, quantum Romanis debeatur, qui ſuſtulère monſtra: in quibus hominem occidere religioſiſſimum erat; mundi verò etiam ſaluberrimum, H. N. lib. XXX. c.I. Ideò ob ἀνθρωποθυσίαν Bletoneſiorum Magiſtratus, ut pœnas de iis ſumerent, acciverunt Romani: Cùm autem ex lege ea quadam facta adpareret, miſſos fecerunt, ſed tali ſacrificiô poſthàc interdixerunt. Unde Plutarchus quærit, cur fecerint Romani, cùm tamen ipſi non multò ante duos Græcos & duas Gallas immolârint? probl. LXXXII. Lycurgus quoque cùm αἱμαλὴ ἀνθρώπων τῷ βωμῷ αἱμάσσειν Limnatæ juberentur, immolationem in diſſlagellationem mutavit, de qua Seneca de Provid. c. IV. Tertull. ad martyr. c. IV. Lucianus Icaromenipp. Philoſtratus, lib. VI. de Apoll. Thyan. Petron in Satyr. Arrian. diſſ. in Epict. I. 3. Vnde Diana *Orthia* cognominata fuit. Cæl. Rhod. L. A. lib. XVIII. c. I. Erat autem certus plagarum numerus, teſte Zonarâ Tom. III. Inter cædendum aliquam ſacerdotem parvam & levem deæ ſtatuam tenuiſſe notat Silenus Chius in fabulos. hiſt.

CAPUT XXII.

QVæſt. Cur ex animalibus potiſſimè ſacrificia facta? Veteres agrorum & pecudum ſtudioſiſſimi. Πολύμηλος. Opes *quid propriè & antiquitus?* Pecuniæ & Peculii *etymon. Pecorum in obſoletis nummis*

mis effigies. Iconium numi: Ejus ἐπιγρα-φή. Nomiſma *unde dictum? Aliquot variarum gentium numi; eorumque ſigna: Hircus præmium athletarum: Poëtarum: VirgilI verſus excutitur. Nomina propria multa tàm maſculina quàm feminina. Romanorum & Græcorum ab animalibus; & plantis: Item Ebræorum: Inprimis Germanorum. Multa nomina propria Teutonica dilucidantur.* Marr *quid? Bos victima præſtantiſſima: Eorum qualitas ad ſacrificia neceſſaria: Eorumdem ſignificatio. Bos aliquando immolari vetitus: Cur Cereri non immolatus? Aegyptii boum cultores. Quibuſdam locis S. Codicis lux magna conceditur. Vitulus aureus Judæorum Apin repræſentabat: Non erat vivus. Fabula Rabbinica de aureis barbis.* Cl. *Voſ-ſI etymon* Apis *non receptatur. Molech forma.* Radagiſius *quis, & ejus forma. Veneri vaccæ nutritæ. Primus boum immolator. Quibus deorum boves immolati?* Bos Quintus. חג כפורים *quare celebratum? Vaccæ immolatæ & quibus? Taurus an Jovi immolatus? ServI ſcholion confutatur. Taurus quibus ſacrificatus? Neptunus* ταῦρος *&c:* ταυρία. *Veneri cur taurus ſacrificatus? Schedio præcipitantia*

tantia ſua oſtenditur. Tauri libido. Laſtaurus. Ταῦρος. Τριταύριον. *Diana* Ταυροβόλος. Ταυροβόλιον. *Symbola Taurobolii: Ejuſdem dux myſticus: Ejuſdem origo.* Βου *additum vocibus magnitudinem ſignificat; & cur? Bucephali etyma varia. Joach. Camerari, VoſſI & aliorum oſcitatio. Veriſſima Bucephali etymologia.* Βουθυσίαι: Βουθυλαί. *Sacrificium* Βούπρωρον: Βουφόνια: Ἐπίβοιον θῦμα. *Proverbium explicatur.*

Qværimus, priuſquàm ad victimas è brutis calamum conferimus, quare ſacrificia ex animalibus, terræqve fructibus vulgaribus, & non potiùs metallis, auro ac argento, nobilioribus gemmis, aromatibuſqve pretioſioribus facta? Notum certè illud, antiquos in agris, ejuſque proventibus, & quæ de iis paſcebantur, armentis, & gregibus, omnem theſaurum conlocâſſe, eorumqve opes totas in his conſtitiſſe; ita ut deos ἀπαρχῇ καὶ σπλάγχνον honoraturi de ſubſtantiarum ſuarum medullis; id eſt, pecore & plantis obtulerint. Neqve verò turpe ſibi duxêre ex agricola conſtituere dictatorem, qualem adducunt Florus lib. I. c. XI. Sym. lib. VII. ep. XV. Perſius Sat. I. v. 74. Aur. Victor de Vir. inl. c. XVII. Paul. Diaconus, miſc. lib. I. c. XX. cùm *ipſis* † *manibus Imperatorum tunc culti fuerint agri, gaudente terrâ vomere laureatô, & triumfali aratore,* dicen-

† Ipſis] *At in Plinio eſt* ipſorum manibus Imperatorum.

dicente Pliniô; H. N. lib. XVIII. c. III. Latinus Pacatus Drepanius: *Depoſitis in gremio Capitolini Jovis laureis triumfales viri ruſticabantur: Inde eſt, qòd accepimus datos ferentibus faſces, & miſſas cum curulibus ſuis per rura palmatas; quòd, agricolas conſulares, paſtoreſque trabeatos, & dictatores inter armenta veſtitos*; in paneg. c. IX. Vide verba præced. & not. Acidall. Sanè πολύμηλος eſt *opulentus* Latinis, & *oves* veteribus dicebantur *opes*; quæ poſteà communiter pro divitiis ponebantur; quamvis in priori ſignificatu remanſerint *Opicerda*, *Opilio* &c. Vide Becmannum, orig. L. L. voc. Opiparum. Taubm. in Culic. p. 139. Ipſæ *pecuniæ* adpellatæ ſunt quaſi res pecuinæ, quarum, ut & *piculii* nomine, nihil aliud quam pecus olim venit. Serv. in Ecl. I. Virg. Unde ſcimus vetuſtiſſimos numos pecoris notam geſſiſſe in iconio (quod indigitat formam numi, teſte Svet. & Extravag. Joh. XXII. lib. 2. tit. 2. de dilat. incip. In delictorum. cui addebatur ἐπιγραφὴ, â qua & νόμισμα, Nomiſma, quaſi ὀνόμισμα dicebatur. Utriuſque meminit Chriſtus, Matth. XXII. 20. Vide Andr. Dinnerum, diſp. I. de monetæ mutatione §. 7.) docente Plutarchô: ἑτέρῳ δὲ ἐχρύσαντο νομίσματι βοῦν ἔχοντι καὶ πρόβατον, ἢ ὗν παράσημον, ἀπορεῦντες ἀπὸ τῶν θρεμμάτων μάλιστα, ἢ τὴν πελυσίαν ἀπὸ τούτων ἔχοντες; Qv. XLI. Talis erat δίδραχμον, priſcum nomiſma Athenienſium, *ſignatum bovis effigie, percuſſum â Theſeo, vel ad monumentum victoriæ ſuæ, cùm ſuperâſſet ſeu Marathonium, ſive Minois taurum; vel adcelebrandam rem ruſticam & agriculturam*, ait Joach. Camerarius, vir impenè doctus; lib. de monet. vet. p. m. 313. *Ab hoc*, pergit

pergit idem, δεκάβοιον & ἑκατόμβοιον *putant deductum: quorum alterum poſitum eſſet in priſcis legibus Draconis, alterum apud Homerum legeretur; Ibi quidem in multa ἀποτίνειν δέκα βόας, apud hunc verò in nobili commutatione illa armorum, quæ inter ſe permutant Diomedes & Glaucus,* Il. ζ. v. 236. ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων. *Sed & multa videtur animantum fuiſſe, non pecuniæ, ut apud Romanos quoque non niſi ovium boumque impendiô dictas has Plinius ſcribit, & Heroicis temporibus permutatione fuiſſe, non emtione & venditione contractas res, ſatis conſtat* &c. p. 314. Et ſuperiùs ſcribit: *fuiſſe divitias veterum agros & pecus, notum; ex eo ſunt* πολυκλήμονες & πολυπάμονες *i. e. locupletes & opulenti; Item alia Homerica* &c. p. 278. Ita τετράδραχμον & τριώβολος habuêre effigiem noctuæ, τετρώβολος duarum noctuarum; nomiſma Dardanienſium, gallinaceorum; Rheginorum leporis, Cephallenωn equi, Argivorum lupi; Romanorum, ServI inprimis tempore, qui primam apud Latinos monetam ſignavit, boum & ovium. Pertinent huc etiam vetuſtiſſimorum præmia, quæ non quidem talenta fuêre auri ac argenti, palatia, arces, pagi, aut gemmæ æſtimatiſſimæ, ſed frondes ac plantæ in coronarum formam contextæ, ſed animalia tantùm, quæ ſi quis ingeniô & labore promeruerat, ingentia ſtrenuitatis ſuæ auctoramenta credebat, & ex iis famam plauſibilem, non ſine quorumdam invidia, aliorum verò ardore paria conſequendi, nanciſcebatur. Euſebius in Chron. refert, *hircum XLVII. Olympiade in agone certantibus præmio datum, à quo etiam Tragœdia nomen acceperit.* Vide Donatum, præf. in Terent. Eumdem cepit, qui in carminibus faciendis palmam retulit. Virgil. eclog. III. v. 21.

An

An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruiſſet fiſtula caprum?

Ad ſimilem fortè ritum reſpicit ſub finem ejusdem ecl. ubi amato felicitatem ſuam ante oculos ponit, dignumque ait eſſe qui ametur: eum verò, qui amore excidit, conſolatur; & alîus beatitudinis, ac honoris admonet, dum canit, v. 109.

Et Vitulâ *tu* dignus, *& hic; & quisquis amores*
Aut metuet dulces; aut experietur amaros.

Quos verſus nolo cum quibusdam obſcœnè interpretari; meritò in talibus benigniora præferens, aurem ita vellicante Cajô, l. 57. ff. de R. J.

Proſilit inde ratio nominum apud Græcos & Latinos propriorum utriusque ſexus, ab agricultura, à plantis, animalibus, ubi fortè eos, quibus indita ſunt, animalibus illis i. e. honoribus divitiisque ſummis dignos aut eſſe, aut futuros indicare voluerunt. De iis Plutarchus: Διὸ καὶ τῶν ὀνομάτων πολλὰ τοῖς παλαιοῖς, Συέλλιοι, καὶ Βυβολκοὶ, καὶ πόρκιοι εἰσιν, ὡς Φαινεστέλλας εἴρηκεν; l. c. Talia erant: *Aegius*, *Aquilinus*; *Aquilius*, *Aſellius*, *Aſinius*, *Aſellus*, *Aper*, *Bovius*, *Bubalus*, *Caninius*, *Canianus*, *Capra*, *Capella*, *Caprius*, *Caprola*, *Capriolus*, *Capellius*, *Capellinus*, *Capellianus*, *Catus*, *Caticillus*, *catius*, *Catilius*, *Catullus*, *Catulus*, *Catulius*, *Catullius*, *Catullinus*, *Catulinus*, *Catullatius*, *Cervarius*, *Chelydonius*, *Corvinus*, *Draco*, *Equaſius*, *Feliculus* (quod quidam à felix deminuere malunt) *Gallus*, *Gallius*, *Gallio*, *Gallonius*, *Juvencus*, *Leontis*, *Leonas*, *Leonteus*, *Lupus*, *Lupulus*, *Lupianus*, *Lycus*, *Mulius*, *Ovius*, *Ovinius*, *Ovilius*, *Paſſer*, *Palumbus*, *Porcius*, *Porcianus*, *Suillius*, *Taurus*, *Taurinius*, *Tauriſcus*, *Tauricius*,

ricius, *Taurifius*, *Tigris*, *Vitulus*, *Vitellius*, *Vitullius*, *Verres*, *Volturcius*, *Volturnius*, *Urianus*, *Urſus*, *Urſulus*, *Urſius*, *Urſinius*, *Urſacius*, *Urſicinus*. Inter feminina compèrio fuiſſe *Aegiæ:* Metis apud Lepidum: AEGIO. IRLANDO. ET. AEGIAE. JANUARIAE. MATRI. *Aquilinæ:* Romæ ad D. Angeli in foro piſcario: D.M. AELIA. AQVILINA. SE. VIBA. SIBI. FECIT. VIXIT. ANN...:: *Capriolæ.* Romæ: UXORI. AELIAE. CAPRIOLAE. B. M. *Feliculæ.* V. ABURIAE. C. ET. Ɔ. FELICULAE. *Merulæ.* Romæ: ALBANAE. MERULAE. UXORI. *Lupæ.* ibid. juxta palat. Carp. FEC. AEFLANA. LUPA. MATER. *Urſulæ.* Romæ: EUTYCHAE. URSULAE. CONJUGI. KARISSIMAE. CUM. QUA. VIX. ANNIS. XXII. MENSES. VII. DIES. XXI. DE. QVA. NUNQVAM. NIHIL. QVESTUS. SUM. ET. ASIANAE. MATRI. B. M. F. *Porciæ.* Marmor Gallicanum:

D. M.

QVI. ME. VOLENT.
VALETE. MATRONAE. MATRESQ
FAMILIAS. VIXI. ET. ULTRA
VITAM. NIHIL. CREDIDI. ME
VENERI. ALUMNAE. ADDIXI
QUOS. POTUI. PELLEXI. FILTRIS
ET. ASTU. VIRO. HUMATO
NON. VIDUA. FUI. NEC. MARITI
NOMEN. ADEPTA. QVAESO. NON. INVIDETE
PORCIA. FAMILIA. EST. VENERIS. DOMUS

IL-

ILLICIVA. CUPIDINUM. CAVE. VIATOR
NE. ME. DIU. CALCATAM. CALCES

Adde his ſeqq. *Aquilia*, *Aquilina*, *Aſellia*, *Aſinia*, *Aprulla*, *Alce*, *Caninia*, *Capria*, *Caprilia*, *Catia*, *Catilia*, *Catulla*, *Cervaria*, *Cervonia*, *Galla*, *Gallita*, *Gallonia*, *Juvenca*, *Lupula*, *Luporina*, *Merullina*, *Mulla*, *Pardala*, *Tauria*, *Uriana*, *Vitullia*, *Urſa*, *Urſia*, *Urſina &c.* Extolluntur etiam à Romanis ſcribtoribus nomina familiarum ab agris & plantis denominatarum v. g. *Hortenſiorum*, *Stolonum*, *Serranorum*, *Lactucinorum*, *Ciceronum*, *Lentulorum*, *Fabiorum*, *Piſonum*, & ſimilium, de quibus evolvi poteſt Petrus Sainct-Fleur Monſpelienſis in hiſt. libro, quem edidit Cl. Cunradus Dietericus. Apud Ebræos, licet ex alia ratione, itidem talia propria reperimus nomina à fructibus & arboribus; ut: הדסה myrtus, רמון malum punicum, לח corylus, סנחריב rubus vaſtationis. Ab animalibus; ut יונה columba, רבקה Juvenca, עגלה vitula, יעלה ibex, רחל ovis, צביה caprea, ראם unicornis, עגלון vitulus, תחש melis, שעלים vulpes, חזיר porcus, פרעש pulex &c. Vide Greg. Francum, L.S. in præf. Sed Germanis generoſis, majoribus meis, eumdem fuiſſe morem, ut ornaturi aliquem omnibus venerationis infulis, dignum eum eſſe hôc vel illô animanti adſeruerint, facilè probo ex nominibus propriis, quæ inde defluxerunt: quorum aliqua partim nobis adhuc uſitata, partim apud Aventinum, Cranzium, Saxonem Grammaticum, Magnos, Warnefredum, aliosque Germanicæ Hiſtoriæ auctores exſtantia, adducam; &, inſpirante Itherô, aut cuicumque ortum ſuum fateatur libellus iſte, qui de nominibus Germanor. propriis circumfertur, expo-

 nam.

nam. *Caſibertus*, Kazzenwerth; alii Käswerth / *Chilibertus* Kühleinwerth / vitulâ dignus; *Chimsbertus* Gemswerth / *Chunibertus*, Hundwerth / *Gisbertus*, Geißwerth / *Giſelbertus*, Geißleinwerth / *Hegibertus* (qui aliàs Eggenbrecht) Hechtwerth / *Luibertus* Löwenwerth / *Röbertus* Rehwerth / *Roſibertus* Roßwerth / *Sigebertus* Ziegenwerth; Sic *Lambertus*, *Osbertus*, *Suibertus* &c. Quædam quis ambiguè interpretaretur; e.g. *Albertus*, quod non tam Aalwerth / quàm Allwerth dicerem. All / ut olim apud Francos, ita hodienum inprimis apud Germanos inferiores, convenit cum Gallorum *tres*; ita dicunt Allrecht / Allgut. Vide Wo ff. Hungarum, not. ad Tabb. Bavill. Gloſſ. Lindenbrogl, voc. Allode. Beſoldum Politic. lib. I. c. VI. n. 4. v. 7. Eumdem de natura populorum, p. 102. Deinde *Hansbertus*, cui idem cum urbibus Hanſeaticis etymon eſſe, multi contendunt, de quo Cl. Beſoldus, polit. lib. II. c. VI. §. 11. num. 1. Philip. Caroli, V. L. lib. II. c. XV. Hornius, diſp. polit. de urb. Hardervico: Sed quid ſi fortè ab eo recederet, & ſignificaret Ganswerth? Vitiô mox temporum mutata terminatio *bertus* in *vardus*; ut *Marquardus* Pferdwerth. Marr eſt equus; unde ein Marſchall / Marſtall &c. apud Pauſaniam, *Trimarciſia*; apud Paullum Diaconum *Marpais*? Vide Geſnerum, præf. in Lex. Germ. Joſ. Pictorl, Becanum de origg. lib. II. Beſoldum de Lingg. ortu voc. Mareſchall. p. 72. Abr. Mylium de L. Belg. c. XXVI. & addit. ad c. IX. Wurſbain. præf. in Car. M. *Arvardus* vel *Hervardus*; Aarwerth. Aahr eſt aquila. vide Heniſchl Theſ. L. Germ. Et in tantum barbaries graſſabatur, ut in *Herwortt* tandem finiretur, ceu id ipſe obſervavi Auguſtæ

Vind.

Vind. in inſcribtione quadam ad S. GeorgI in ſacello Patritiorum cluentiſſimorum & nobiliſſimorum Herwartorum, quam inſuper, ut video, Bruſchius adnotat.

Digniſſima Diis inter bruta victima BOS habebatur; unde eum Plinius *optimam victimam*, *lautiſſimamque Deorum placationem* vocat; H. N. lib. VIII. c. XLV. Sed tales intelligendi ſunt, qui mediam aut viridem, nondum exoletam, agunt ætatem, quales dictitante Tzetzâ ad Heſiod. lib. II. op. & dier. v. 55. nemo adprobabit: id eſt, qui florent adhuc liberè, non qui per aliquot annos ſubjugati imbelles ſunt facti, cùm & aliàs boum adpellatione magis armenta, quàm jumenta ſignificentur, ex l. 89. in pr. ff. de V. S. Domitianus verò planè vetuit immolare boves. Svet. c. IX. Quod & aliis gentibus, ſi de aratoriis intelligas, comprobatum, Cœlius perhibet, L. A. lib. XII. c. I. Ob quod etiam Cereri planè nullus immolabatur. Ovid. lib. IV. Faſt. v. 413. ſ.

A bove ſuccincti cultros removete miniſtri!
Bos aret: ignavam ſacrificate ſuem.
Apta jugo cervix non eſt ferienda ſecuri:
Vivat; & in dura ſæpe laboret humo.

Licèt Jovi Dodonæo bos quoque arator occubuerit. Demoſth. in Mid. Aegyptii autem tantum abeſt, ut bobus cædem intulerint, ut potiùs mares Oſiridi, feminas Iſidi dicatas, ſtudioſè coluerint. Sol enim illis dicebatur *Mnevis*, Luna *Apis*, utrique forma erat bovis. Vide Plin. lib. VIII. c. XLVI. Strab. lib. XVIII. Solinum, c. XXXV. Melam, lib. I. c. IX. Suidam, Julianum Ammiani, Spartiani Adria-

num, Lucianum de ſacrif. Diod. lib. I. Herodorum in Euterpe & Thalia, Plut. de Iſid. & Oſirid. Macrobium, Saturn. lib. I. c. XXI. Spectant huc illa Geneſ. XLIII. 32. *Non poſſunt Aegyptii cum Ebræis comedere panem*: Cauſſam addit Onkelos: *Eò quòd pecus Aegyptii colunt, Ebræi comedunt.* Exinde Gen. XLVI. ult. *Abominatio Aegyptiis* dicitur *omnis paſtor gregum.* Et Moſes, Exod. VIII. 26. juſſus â Pharaone ſacrificare Deo ſuo; *Abominationem Aegyptiorum ſacrificaturos ſe* regerit, ita, ut periculum foret, ne ab Aegyptiis lapidarentur. Hunc Apin ſive Oſiridem i. e. Solem (ad quem ferè omnia Numina redeunt) impiam Aegyptiorum ſuperſtitionem imitantes, verſatiles illi & facilè mutabiles Judæi in deſerto adorârunt formâ vituli aurei. Vide Seld. de D. S. in proleg. c. III. Sed Hieronymus ad c. IV. Hoſeæ, Lactantius de vera ſap. c. X. Tertull. adverſ. Jud. Optatus Milevitanus, lib. III. caput bovis, ſive vituli fuiſſe ajunt. Adde. Ambroſ. de pœn. lib. I. c. VI. Ruffinum ad Amos, lib. I. Seldenum de D.S. lib.I. c. IV. Stultus ille & diabolicus ſacrarum litterarum perverſor, Mahumedes in Azoara XX. Arabici Cod. *corporeum fuiſſe* dicit *emittentem mugitum;* quod ſcholiaſtes ejus in loc. c. & Azoara XVII. interpretatur *habentem carnem & ſangvinem.* Poſteà Moſes combusſiſſe, dicitur eum, Iſraëlitisque de pulvere potum exhibuiſſe; quem illi avidiùs potantes, barbas, menta, & maxillas ſuperfluô liquore tingebant: Inde natas aureô colore barbas etiam apud poſteros fabulantur. Argutius verò excogitatum eſt, quàm verius, magni VossI, Joſephum per vitulum illum fuiſſe intellectum, qui *Pater* regionis proclamatus,

matus, unde ab אב vel אבא deductum ſit Apis; de Idol. lib. I. c. XIX. & lib. III. c. LXXIV. Moſcholatrarum iſtud peccatum conflati vituli nec dum Judæi ſatis expiatum credunt: Ita enim Moſes Gerundenſis אין לך ישראל פורענות שאין בה אנקיא מעון העגל id eſt. *Non eſt tibi Iſraël ultio, in qua non ſit uncia de iniquitate vituli.* Molech vituli capite fuiſſe effictum c. præced. oſtendimus, & petractat ulterius Seldenus de D. S. lib. I. c. VI. Radagiſius, Herulorum, Megapolenſium, & Wagriorum primùm rex, poſteà Deus, nigrum bubali caput pectori impreſſum habebat, de quo vide Chron. Saxon. Helmold. lib. I. c. III. lib. II. c. XXI. Crantzium Vandal. lib. II. c. XXI. lib. III. c. VI. Emſerum in vita Benn. XIX. Schedium de D. G. lib. III. c. IV. In Aegypti vico Schuſſâ ob Venerem Uraniam vaccam colebant, quia convenientiam cum dea habere credebant; cùm vacca tantô impetu in Venerem incitetur, ut maris mugitu auditô vehementisſimè ad coitum inflammetur. Veneri quoque Nomemphitanæ vaccam alebant ſacrã Aegyptii, teſte Strabone, l. XVII.

Primus, qui bovem immolavit, erat Prometheus tradente Cœliô, L. A. lib XII. c. I. Cædebatur, autem à victoribus Jovi Feretrio. Numa Pomp. L. 4. QVOJUS. AUSPICIO. CLASS. PROCINCTA. OPEIMA. SPOLIA. CAPIUNTUR. JOVI. FERETRIO. BOVEM. CAEDITO. A bovis pelle Jovi, Neptuno, & Mercurio, ab Hyreo hoſpitiô exceptis, ſacrificati, mirabilis Orionis origo, quam producit Palæphatus de non credend. fab. narrat. c. V. de Orione. De bove Mercurio ſacrificato etiam Perſius: *Cæſo bove Mercuriumque Accerſis fibrâ:* Sat. II. v. 44. Sacrificabantur item boves Apollini,

Marti, & Herculi in ara Maxima. Interdum poſt quatuor placentas bos obſerebatur, & *bos quintus* dicebatur. Suidas voc. *πόπανον*. Neque Jehovæ ex bove *θυσίαι* diſplicuêre, quod patet ex Exod. XX. 24. XXIX. 10. & aliunde. Summus Ebræorum Pontifex juvencum pro ſe, & ſua domo, & pro Iſraëlitis mactabat in חג כפורים feſto expiationis, die decimô menſis Tisri, quod in memoriam Apidicæ idololatriæ commiſſæ & remiſſæ celebrabatur. Vide Cod. Joma, & Iſing. Coll.Hiſt.Quæſt.LIX.§.8.& Quæſt. LX §.7. Eidem & boves feminæ ſive *VACCÆ* immolabantur à Judæis. Vide Num. XIX. 2. velut & idolis à gentilibus. Horat. lib. IV. od. II. v. 53.

> *Te decem Tauri, totidemque vaccæ;*
> *Me tener ſolvet vitulus.* - - -

Catullus †:

> *Tenerque matre mugiente vaccula,*
> *Deûm profundit ante templa ſangvinem.*

Et quidem Sterilis Proſerpinæ, de qua Prudentius: *Placatur vacca ſtirilis cervice reſectâ*; lib. I. contra Symm. v. 359. Apud Homerum femella animabus *στεῖραν βοῦν* pollicetur; lib. XI. Iliad. Forda Telluri, aurata Latonæ, Vitula Minervæ & Priapo, Juvenca Junoni, ac Veneri Cornutæ. Sed de his audiamus fragmentum Neapolitanum: IDUS. JANUAR...... OVI. QVOD. TI. CLAUDIUS. CAE........US GERMANICUS. P. P. APPELLATUS ..... TONIO. JOVI. BOVEM. MAREM. JUN..... CAM. MINERVAE. VACCAM. FELICI.... ACCAM. DIVO. AUG. BOVEM. MAREM. DI....

† Hunc locum qværat, cui vacat.

DI.... AUGUSTAE. VACCAM. XVI. K. FEBR...... CATIONEM. DIVAE. AUG. ITEM ...... DIVO. AUGUSTO. BOVEM. MAR........ E. VACCAM. Reperiuntur hæc quoque in Urſini inſcribtione fratrum Arvalium, ubi & ulteriùs pergitur:.... MINERVAE. VACCAM....... DIVO. AUGUSTO. BOVEM...... IN. TEMPLO. CONCORDIAE...... PALATIO. DIVO. AUGUSTO....... AD. ARAM. PROVIDEN........ CAM. IMMOLAV......... INT. CN. DOM........... STATIL. &c. Porrò...... VACCAM. SALUTI. PUBLIC. VACCAM. FELICITATI. VACCAM. GENIO. IPSIUS. TAURUM.... IO. Ibidem: KAL. JANUAR. SULPICIUS. CAMERINUS. MAGISTER. COLLEGI. FRATRUM. ARVALIUM. IMMOLAVIT. IN. CAPITOLIO... COS. NERONIS. CLAUDI. CAESARIS. AUG. GERMANICI. JOVI. B. MAREM. JUNONI. VACCAM. MINERVAE. VACCAM. GENIO. IPSIUS. TAURUM. &c. ET. SULPITIUS &c. VICTIMIS. IMMOLATIS. IN. CAPITOLIO &c. JOVI. MARES. DUO. JUNONI. VACCAS. II. MINERVAE. VACCAS. II. SALUTI. PUBLIC. VACCAS. II. IN. TEMPLO. NOVO. DIVO. AUG. B. MARES. II. DIVAE. AUG. VACCAS. II. DIVO. CLAUDIO. B. MAR. II. &c. Porrò: JOVI. B. M. JUNONI. VACCAM. MUNERE. VACCAM. FELICITATI. PUBLICAE. VACCAM. CONCORDIAE. VACCAM. GENIO. IPSIUS. TAURUM.

TAURUM, Jovis immolationi inconvenientem exiſtimatum ferunt, & â Servio adſeveratur, contra religionem *Cælicolum regi mactari in littore taurum* apud Virgil. lib. III. v. 2. Aen. quid tamen ſcholiaſta hîc reſponderet ad illud Ovid. lib. IV. Metam. v. 754.

- - Mactatur vacca Minervæ,
Alipedi vitulus, taurus tibi ſumme Deorum.

Et lib. I. Faſt. v. 579.

Immolat ex illis taurum tibi Juppiter unum.

Quid ad illud, Jovi Capitolino â triumfantibus datum taurum? quid ad illud, eumdem Jovi Latiali feriis Latinis oblatum? Vide Dionyſ. Halic. lib. IV. Sacrificabatur taurus Lunæ ob cornuum ſimilitudinem: Rheæ; unde urbi cuidam Maſtauræ nomen, quia Rhea *Ma* dicta. Gyrald. ſynt. IV. Neptuno. Virg. lib. II. Aen. v. 201.

- - Ductus Neptunô ſorte Sacerdos,
Solemnes taurum ingentem mactabat ad aras.

Et illi quidem παμμέλανες ob maris colorem. Cœlius, L. A. lib. XVII. c. XXXIII. Unde Neptunus ταύρεος, ταυρεῖος, & ταῦρος; feſtumque ejus ταυρεία nuncupatur. Heſychius. Plutoni: Horat. lib. II. od. XIV. v. 5. ſ.

Non ſi tricenis quotquot eunt dies,
Amice! places inlacrumabilem
Plutona tauris.

Veneri: non ideò, ut quidam autumant, quòd capite caput taurinum gereret, de quo Herodotus in Eut. & Moſchus in Europa, cujus ratio æquè inveſtiganda eſt: Neque quòd Aprilis Veneri eſſet dicatus, in quo Sol in ſigno ♉, teſte Macrob. Saturn.

turn. lib. I. c. XII. ut opinatur Schedius (qui initiô etiam hujus capitis non ad h. l. MacrobI attendens, â Venere adpellationem Aprilis totô impetu removet, eò quòd nihil Veneri cum Aprili rei ſit) de D. G. lib. I. c. IX. Sed quòd Taurus animal ſit in Venerem fortiſſimum, unde & *Laſtaurus* de ſalace; necnon ταῦρος apud Suidam virile ſignificat pudendum, & ἀποταύρειον obſcœnam jumentorum partem. Petronius: *Hinc etiam puto proverbium natum illud, ut dicatur; Poſſe taurum tollere, qua vitulum ſuſtulerit*; in Sat. Horat. lib. II. od. V. v 3.

- - Tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.

Vide Diomed. lib. II. Suidam voc. ταῦρος; Fabium, lib. I. c. IX. & inprimis Franc. Pithoei conlectanea in Petron. Sacrificabatur taurus Apollini, Marti, Junoni, Minervæ & Dianæ. Vide Macrob. lib. III. c. X. Inde hæc ταυροβόλος & ταυροπόλος, atque ſacrum ejus ταυροβόλιον, & ab hirco κριοβόλιον nominabatur. Romæ in ſacello Mazzariorum Papæ in area D. Petri. DIS. MAGNIS. ULPIUS. EGNATIUS. FAVENTINUS. V. C. AUGUR. P. V. B. P. R. Q. PATER. ET. HIEROCERYX. D.S.I. M. ARCHIBULUS. DEL. LIBERI. HIEROFANTA. HECATE. SACERDOS. ISIDIS. PERCEPTO. TAUROBOLIO, CRIOBOLIOQ. &c. Ibidem in æde S. Nicolai in Calcaria: SACR. DEI. INVICTI. MITHRAE. TAUROBOLIO. CRIOBOLIOQ. PERCEPTO. Ibid. in atrio. domus Cardinalis Cæſii in ara marm. L. CORNELIUS. SCIPIO. OREITUS. V. C. AUGUR. TAUROBOLIUM. SIVE CRIOBOLIUM. FECIT. DIE. IIII. KAL. MART. TUSCO. ET. ANUL-

ANULLINO. COSS. Pluresde TAUROBOLIO & CRIOBOLIO. vide in Inſcribtt. Gruteri p. 28. 29. 30. 31. Hujus ſacri & certa erant ſymbola, & dux myſticus, quorum mentionem facit ara Romana in ædibus Colotianis ad aquam. Virg.

M. D. M. IDAE. ET. ATTIDI. MINOTAURO.

NOBILISS: :: ::: :: ::: :: ::: :: ::: :: ::: :: :::
:: ::: :: ::: :: ::: :: ! :: ::: :: ::: :: ::: :: ::: ::
::: :: ::: :: ::: :: ::: :: ::: :: ::: :: ::: :: :::
....

ET. VENERANDAM.

AUGENTUR MERITIS SIMBOLA TAUROBOLI

RvF CAEQN CAESABINI ....

P. VBPRQ PATER SACOR INVICT METHRAE

TAUROBOLINUS

M. D. M. ID. ET. ATTIDIS MINOTYRANI ET ARAM

IIII. ID. MART.

GRATIANO V. ET MELOBAUDE CONSULIBUS DEDICABIT

ANTIQVA GENEROSE DOMO CUI REGIA VESTAE

PONTIFICI FELIX SACRATO MILITAT IGNE

IDEM AUGUR TRIPLICIS CULTOR VENERANDE

DIANAE

FER-

PERSIDICIQ MITHRAE ANTISTES BABILONIE
TEMPLI
TAVROBOLIQ SIMUL MAGNI DUX MISTICE
SACRI

Originem ejus longè perſequitur Choulius, è quo pauca excerpemus: *Strabo recite que en l' Isle d' Icarie eſtoit le temple de Diane nomme* ταυρόπολον. *Et Tite Live nomme le dict temple Tauropolum, & les ſacrifices, qui ſe faiſoynt à Diane Tauropolia. Toutesfois Dionyſius dit, que Diane n' a pas eſté nommée Tauropola du peuple, mais pour le taureu, eſtant la region abondante de ces taureaux, à la quelle preſidoit la Deeſſe, & de la ſur nommée Taurique.* p. 93. & p. 94. ſcribit: *Prenant ſon commencement le ſacrifice de la Royne des Amazones, Princeſſe vertueuſe, qui faiſoit exerciter ſes ieuſnes vierges tous les iours à la venerie: les nourriſſant, par ce moyen, au laubeur; aux armes, & à la vertu. Et pour rendre graces à la Deeſſe, elle inſtitua & ordonna un ſacrifice, qu elle nomma* ταυροβόλον: *Combien que les Auteurs Grecs & Latins ont confondu tous ces noms Taurovolium, Tauropolum & Tauropolium: & meſmement Suidas, qui nomme Diane* Ταυρόβολος, *pour le taure, qui luy eſtoyt ſacrifié* &c. P. 95. & 96. oſtendit ex Epitaphiis & inſcribtionibus, ſacrificia & Minervæ & Matris Deûm fuiſſe dicta Tauropolia ſive Taurovolia.

Ob illam boum præſtantiam & majeſtatem, auctori veteres vocem aliquam præponere conſvevêre particulam βȣ, ut produnt Feſtus & M. Varro. Ita pueros majores dixêre βȣ́παιδες, famam ingentem βȣ́λιμον, ficum immenſam βȣ́συκον. Sic ſimilia erant: βȣ́βο-

βούβρωσις, βουγάϊος, βουκόρυζος, βούπεινα, βούφαγος &c. Zach. Calliergus: Βούρεια, ἡ πολύῤῥυς, ἀπὸ τοῦ Βοῦ ἐπιτατικοῦ μορίου, καὶ τοῦ ῥέω. Βούπαις γὰρ καὶ Βουγάϊος ὁ μέγας παῖς. Ὅμηρος. Δὴ νῦν βουγάϊε· in idyll. ζ. Theocriti. Quidam ex eo etiam ob caput procerum Alexandri M. equum βουκέβαλον dictum autumant, Ita enim Camerarius: *Ille celebris equus Bucephalus nomine; vel, quòd caput vaſtius bubuli ſpecie; vel, quòd nota quadam inuſta, ut fieri conſveſcit, huic eſſet taurini capitis; Vel etiam quòd in nigra fronte veluti capitis bubali imago alba cerneretur. in* ὑπομνηματικῷ, p. m. 56. Et Voſſius: *Equus Alexandri vocatus* βουκέβαλος*, non à bubuli capitis ſimilitudine, ut putavit Feſtus, & fortaſſe etiam Strabo (qui ſic dictum ait à latitudine frontis) ſed vel ab inuſto bubuli capitis ſigno,* &c. *vel, quod nec minus placet, à capitis magnitudine*; (ſupra quippe dixerat ἵππος & βοῦς in compoſitione augent.) Inſt. Or. lib. IV. c. VII. ſect. 11. Sic etiam plerique omnes. Enimverò, quod præfiſcinè & cum pace magnorum virorum dixerim, tantum falluntur, quantum is, qui totô cælô: Adducemus nos veram rationem, & ad ipſum ſcopum collimabimus. Sciendum igitur, equos præſtantiſſimos proveniſſe olim ex dæmoniacarum incantationum magicarumque artium callentiſſima Theſſalia, cujus incolæ equos ſuos variis reconditæ virtutis notis nobiles faciebant; inter quas multis ſive inurebatur ſeu imprimebatur βουκράνιον i. e. herbæ figura, quâ ſignati *Bucephali* dicebantur. Egregiè in hanc rem Auctor Etymologici: Βουκέφαλος ὁ ἵππος τοῦ Ἀλέξανδρος ἐκέκτητο, οὐχ' ὥς τινες οἴονται ὅτι βοὸς κέρατα εἶχεν, τοῦτο γὰρ ψευδὲς, ἐκοσμεῖτο γὰρ ὑπὸ Ἀλεξάνδρου χρυσοῖς, ἀλλ',

ἀλλ᾽; ὅτι οὕτως ἐν Θεσσαλίᾳ ἐκαλοῦντο οἱ ἵπποι, ἔχοντες ἐγκεκαυμένον βουκεφάλιον. Ulteriùs hæc inluſtrat, qui primus ad veriſſimam hanc ſententiam penetravit, neſcio excellentiorne Philologus an Philoſophus, mirandus Piccartus peric. criticis c. I. Hecatombas, & ſimilia cumulatiora ſacrificia, βουθυσίας quaſi magnas immolationes vocârunt, à quo & in Sacerdotes βουθυτῶν adpellatio recidit. Ita Ageſilaus apud Plutarchum eſt ἔφεσος βουθυτῶν. Laërtius: ἤγαγε βουθυσίην; in Pyth. lib. VIII. quod Bentinus vertit: *fecit nobile ſacrum.* Meminit quoque βουθυσίας Svetonius in Ner. c. XII. cujus videantur Scholiaſtæ. Sed βούπρωρον erat Sacrificium centum ovium & unius bovis: βουφόνια, aliàs Διϊπόλια, in Jovis Polei honorem popano agitabantur, quæ priùs bove fiebant. Vide Pauſan. in Att. Aelianum, lib. VIII. Sacrificium verò poſt bovis immolationem ἐπίβοιον θῦμα vocabatur. A bovis ſacrificio proverbium celebratur: *Non omnia per bovem obtinebis*: quod ſignificat laborandum ſimul eſſe; nec enim omnia votis pro arbitrio ſimul proceſſura. Vide Hadr. Junium, cent. V. adag. L.

CAPUT XXIII.

Suidæ, ChoulI & ArnobI σφάλματα proponuntur. Capri immolati. אזאזל *ſignificatio. Caper ſecunda victima; porcus prima. Caper quibus immolatus? Dii hircorum formâ culti. Capræ immolatæ, & quibus? Juno* αἰγο-

αἰγοφάγος. Thmuitarum hircus, *Proverb. Capra cur Minervæ ſacrificata? Jupiter* αἰγίοχος. *Capras quis primus immolaverit? Arietes immolati & quibus? Item hœdi: Verveces: Agni, & quibus?* χαλαζοφύλακες. Hoſtiæ maximæ *cur agni? Oves quibus ſacrificatæ?* עשתרת *unde dicta?* Ovatio *quænam, & unde dicta?* Oves Thymianæ *apud Plautum. Samii cur ovem non ſacrificârint? Proverb. explicatur. Porci immolati & quibus? Ii cur prima victima? Sues* θῦται: *Sus* ἱερεῖον: γλυκεῖα. *Porphyrii ratio frigidior. Hoſtiæ myſticæ.* Sacres porci. *Judæi porcis abſtinuêre, & cur? Porphyrii inconſtantia: Ipſum non fuiſſe Judæum, probatur.* Γρύλλος γρύλλων. *Stuckius cum Lambino refellitur.* Juno Moneta. Silicernium. Τρίγλα. *Porcus cur in nubtiis & Veneri oblatus?* Subare, Surire. Porcus *vocabulum obſcœnum: Item* δέλφαξ, χοῖρος *&c.* Conchæ χοίριναι: *Cur illæ inter voces laſcivas? Tomacula in nubtiis oblata. Rituum quorumdam hodiernorum explicatio. Equorum immolatio quibus facta?* Hippocratia. *Equus* Ferus. Semiferi. *Vocis* Pferd *etymon. Sol* θεὸς μόνος: *Dicitur* Mithra: *Vocis hujus ſignificatio.* Mithridates: Mitrax.

trax. *Mithra* τετράλας@. *Sol* Abraxas *dicitur*: *Hujus etymon*: *Ab eo magicum illud* ABRACADABRA: *Ei ſimile Ebraicum* שברירי. *Locus Scr. S. excutitur. Joh. à Meyen ceſpitatio graviſſima. Anamelech forma. Muli immolati. Adramelech forma. Aſini immolati*: *Cur Marti? Cur Priapo? Aſini libido & immenſa virilitas. Locus Ezechielis dilucidatur.* Aſellus *vaſculum apud Petronium. Judæorum cultus aſinini capitis. Gnoſticorum impia ſententia.* Aſinarii. *Chriſtus contumelioſè à nebulone quodam depictus. Leo mactatus: Eſt inſigne Herculis & cur? Herculis etymon. Lupi cur Marti immolati? De luporum viſu homini nocifero, & vice verſâ. VirgilI locus enodatur. VossI ratio nulla. Sacrificia ex Camelis: Elephantis: Cervis. Iphigeniæ ſacrificium. Proverbium adducitur. Cervina cornua templo Dianæ impoſita. Canes immolati, quibus, & à quibus? Cur in Robigalibus ruffi? Nocturni canum latratus cauſſæ. Hecate cur dicta* Νυχία *&c. Locus Lycophronis enucleatur. Canteri verſio & ratio quædam exterminantur. Thraces ob canes immolatos à canibus puniti. Hecate cur* κυνοσφάγ@? Porta Catularia. *Nibchatz. Felium*

lium hodierna alicubi crematio antiquum olet ortum. Mures victimæ luſtrales. Loco Jeſaiæ præclara lux adfertur, Item loco alii Scr. S. Muſoritæ. Apollo Sminthius. *Formicæ immolatæ. Volatilia quibus deorum ſacrificata: & qualia? Aquilæ immolatio: Ejus majeſtas: Cur inſigne Romanorum Quisnam ejus auctor? Quare ea poſtmodùm in inſigni illo diviſa? Inſignia clypeis inciſa. Clypei etymon.* Wappen *unde? De Germanorum inſignibus quædam. Quare cornua galeis in inſignibus addita? Quare item tegumenta? Columbæ quibus cæſæ? Cur Veneri? Oſculi certum genus.* καταγλώττισμα. Columbari. *In Veneris honorem eæ apud Syros adoratæ. Proſerpina* Φερεφάττη. *Galli quibus mactati & cur? Symbolum quoddam Pythag. explicatur. Victimæ ex gallinis. Earum requiſita. Succoth Benoth ſimulacrum. R. Salomo Jarchi laudatur. Leproſi cur paſſeres obtulerint? Strutheo. Locus quidam Scr. S. expenditur. De aliarum quarumdam avium ſacratione miſcella. Judæi non ſacrificârunt piſces & quare? At gentiles: Quod oſtenditur exemplis. Mullus cur Hecati immolatus? Sulla apud Plutarchum notatur. Syri cur piſcibus abſtinuerint? Atergati-*

dis

dis etyma: Varia lectio hujus nominis. Atergatidis forma: Eadem cum Venere. Venus Salambus *dicta. Dagon forma. In Bacchanalibus ſerpentes oblati. Formulæ,* Evan! *ratio. In locum quemdam Prudentii variæ conjecturæ. Chelydri deſcribuntur. Nocentiſſimum eorum virus. Locus ille Prudentii interpolatur.* Coluber *generalis vox. Colubri virides quidam non noxii. Plinius confutatur. Serpentes quidam hominibus familiares, etiam in cibum idonei. PlinI locus ſanatur. Serpentes quibusnam pro diis culti?*

NEſcio, quò oculi animusque tendant Suidæ, nec hæc illius verba capio: *Ex animalibus immolantur ovis, porcus, capra, bos, gallina, anſer.* Quem Gyraldus fruſtra ita explicat: *Victimæ frequentes fuère ovis* &c. ſynt. XVII. p. 491. Nec etiam ChoulI, qui ſcribit: *Les victimes des aciens Romains furent la brebis la truye, le beuf & la cheure.* p. 303. Non enim hæc tantùm, ſed plura inſuper animalia, eaque frequentia in aris fumant. Neque ArnobI locum ſat intelligere queo: *Quòd ſi animantum cruore honorari & adfici ſuperorum animos exiſtimatis, cur non eis & mulos, & elephantos mactatis, & aſinos? Cur non & canes, urſos, & vulpes, & camelos, & beluas, & leones? Et quoniam volucres hoſtiarum quoque in numeris ponitis, cur non vulturios, aquilas, ciconias, immuſſulos, buteones, corvos, accipitres, noctuas? cum-*

 que

quæ illis ſalamandras , natrices, viperas , ſolipungas? lib. VII. adv. Gent. p. 223. Imò verò multa quoque horum inter victimas deprehendimus, quas, quæ ſuperſunt, dædaleis remigiis & currente calamô pervolvemus.

Immolabant CAPROS ſive HIRCOS. Lev. XVI. 8, 10. mentio fit עזאזל quod vertitur *Caper emiſſarius*, qui in die expiationis mactabatur, ut prolixè recenſet Cod. Joma. quamvis Kimchi, AbenEzra & plerique Rabbinorum, ut nomen proprium montis in deſerto monti Sinai vicini accipiant, quibus accedunt Pagninus & Fagius, indeque meritò taxantur ab Iſingio, Coll. Hiſt. Quæſt. LIX. §. 8. Apud Ethnicos caper ſecunda fuiſſe victima credebatur, teſte Probô Grammaticô: *Poſtquàm mortale genus animalium cœpit carne veſci, ex his, quæ frugibus nocerent, vel aliquos læderent fructus, prima exiſtimatur hoſtia fuiſſe ſus, ſecunda caper: ille, quia terram roſtrô protrudendo ſemen erueret; hic quia vitem læſerat. Itaque etiam Ovidius in XV. Metamor.* v. 111. *teſtimonium huic opinioni dicente Pythagorâ:*

- - - Et prima putatur
Hoſtia ſuis meruiſſe necem, quia ſemina pando
Eruerit roſtrô, ſpemque interceperit anni:
Vite caper morſâ Bacchi mactatus ad aras
Dicitur ultoris, nocuit ſuâ culpâ duobus.

ad lib. II. Georg. v. 380. Mactabatur autem Marti à Luſitanis, coleatus Pani, hirſutus Priapo: à Græcis Dianæ. Agathias: *Ingruente Perſarum bellô, totidem ſe Dianæ immolaturos hircos, quot hoſtes peremiſſent, promiſiſſe Athenienſes*, ſcribit: *Cui cùm ſatisfacere nequirent, adjecêre capras vel ſuccidaneas*; lib. II.

In-

Inprimis verò Baccho, quia vitibus obeſt: Virg. loc. cit.

Non aliam ob cauſſam Baccho caper omnibus aris
Cæditur.

Quem verſum Prudentius in lib. I. contra Symm. v. 129. exſcribſit. Euenus:

Κἢν με φάγης ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι τράγε θυομένῳ.

Quod diſtichon olim in Domitianum fuiſſe detortum, ex Svetonio teſtatur Soter, lib. I. epig. Leonides Tarantinus:

Ἰξαλος εὐπώγων αἰγὸς πόσις ἐν ποτ' ἀλωῇ
Οἴνης τοὺς ἁπαλοὺς πάντας ἔδαψε κλάδους.
Τῷ δ' ἔπος ἐκ γαίης τόσον ἄπυε τεῖρε κάκιστε
Γναθμοῖς ἡμέτερον κλῆμα τὸ καρποφόρον.
Ῥίζα γὰρ ἔμπεδος οὖσα, πάλι γλυκὺ νέκταρ ἀνήσει,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοι τράγε θυομένῳ.

Martial. lib. III. epigr. XXIV. v. 2.

Hircus Bacche tuis victima grata ſacris.

Horatius, lib. III. od. VIII. v. 6.

Voveram dulces epulas, & album
Libero caprum. - - - -

Hircorum formâ multa quoque Dæmonia culta, Faunus Aegipan, Satyri &c. Vide Maim. in More Nebochim, lib. III. c. IV. Seldenum de D. S. proleg. c. III. Immolabant CAPRAS Apollini, Aeſculapio, Pani, & Junoni, quæ inde αἰγοφάγος dicta, teſte Pauſaniâ. Athenienſes τῇ ἀγροτέρᾳ capras trecentas immolârunt, voti à Miltiade damnati. Cœlius, L.A. lib. XVII. c. XXX. Capra Vejovi ſagittigero exhibita, quem alii Apollinem exiſtimant. Agell. lib. V.

 c. XIV.

c. XIV. † Thmuitæ olim Capro, quem dei vice colebant, capras in victimas obtulêre, unde *Thmuitarum hircus* per parœmiam de mulieroſo dicitur. Hadr. Junius, cent. III. adag. ult. Inprimis autem ſacrificabantur capræ Minervæ, cujus cauſſam Naſo reddit, nempe quia.

Inviſa eſt Domina ſola capella Deæ.

Clariùs verò Plinius *Morſus earum arbori exitialis: Olivam lambendo quoque ſterilem faciunt: Eâque ex cauſſâ Minervæ immolatur*; lib. VIII. c. L. Sacra quoque fuit Jovi, â qua αἰγίοχος audivit: rationem hanc addit Choulius: *La cheure luy fut encores conſacrée, pour ce qu' elle auoit nourri ce grand Dieu: & pour eſte raiſon nommé Aegiuchus, & des Grecs* αἰγίοχος, *ſur non de Jupiter frequenté parmy yauex: par le quel ils n'ont entendu autre choſe, que la cheure de la Nymphe Amalthea, qui auoit nourri Jupiter auec ſes mamilles. Et de cecy Germanicus Ceſar en ſes carmes d' Aratus dit ainſi.*

- - - Illa putatur
Nutrix eſſe Jovis, ſi verè Juppiter infans
Ubera Creteæ mulſit fidiſſima capræ,
Sidere quæ clarô gratum teſtatur alumnum.

p. 56. Primus eas Hercules ex inopia ceterarum animantium cæcidiſſe dicitur:

Immolabant ARIETES. Varro apud Agellium tale Homeri habet Epitaphium: *Capella Homeri candida hoc* (alii legunt *hæc*) *tumulum indicat: Quod ariete* (al. *ara Ieta*) *mortuo faciunt ſacra*; N. A. lib. III. c. XI. Inprimis Jovi erat ſacratus. Vide numos Choulii,

† *In illo id loco reperire non potui.*

Choull, p. 56. 57. Cui omnibus nundinis â Flaminis uxore mactabatur. HOEDOS: Horat. *Si tener plenô cadit hœdus annô*; lib. III. od. XVIII. v. 5. Maximè Fauno & Fonti Deo. Horat. ad ſontem, lib. III. od. XIII. v. 2.

- - *Non ſine floribus*
Cras donaberis hædô.

cui & VERVECES immolabantur. Lapis, quem ſubpediat Fulvius Urſinus in lib. II. Cic. de Ll. FONT. VERB. N. II. Item Laribus: LARIB. VERB. N. II. MATRI. LAR. OV. N. II. Prudent: *Vervece caſô fumet ut ceſpes meus*; Hymn. X. (al. XIV.) v. 187. περὶ στεφ. AGNOS & AGNAS. Vero Deo in ſacrificio jugi quotidie dûo agni anniculi, alter mane, alter inter duas veſperas obſerebatur. Cod. Joma. Lycus apud Plautum; *Sex agnos immolavi*; Pœn. II. v. 5. Tibull. *Nunc agna exigui eſt hoſtia parva ſoli*; lib. I. El. I. v. 22. Inſcribtio fratrum arvalium; PORCAM. ET. AGNAM. STRUIB. EFFERTIS. ET. EXTAS. REDDID. AD ARAM. Et quidem Fauno, ſaginati Priapo, Minervæ tubiluſtrio, Jovi Lycæo ab Arcadibus, Latiali feriis Latinis & ſingulis Idibus Idulis. Vide Feſtum & Dionyſ. Halic. lib. IV. Junoni; Numa L. VII. PELEX. ASAM. JVNONIS. NE. TAGITO. SI. TAGET. JVNONI. CRINIBOVS. DEMISSIS. ARNVM. FEMINAM. CAIDITO. Jano Quirino; Idem Liv. TERTIA. SPOLIA (ſcil. cujus auſpiciô capta ſunt) JANO. QVIRINO. AGNAM. CAEDITO. Termino, Horat. *Agna feſtis cæſa terminalibus*; epod. II. v. 60. Diis averruncis, Pers. Sat. V. v. 167.

Euge! puer, ſapias: Dis depellentibus agnam
Percute. - -

Ita χαλαζοφύλακες erant Sacerdotes, qui agni vel pulli ſacrificiô grandines avertebant; &, ſi hi deeſſent, graphiô digitum feriebant, atque inde fuſô ſangvine litabant. Vide Gyrald. ſynt. XVII. p. 462. Hoſtiæ hæ agninæ ob manſvetudinem *maximæ* dictæ ſunt. Feſtus. OVES Junoni, Robigo, & aliis. Capitolinus: *Ad eas aras centum ſues, centum oves mactantur*; in vit. Max. & Balb. c. XI. Hinc etiam Deam illam Phœnicum עשתרות dictam exiſtimant, de qua 1 Reg. XI. 5. quòd ei ovis immolaretur: Hæc enim vox Rabbinis quibusdam *oves feminas* ſignificat: licèt R. David Kimchi ex forma idoli nomen deducat. *Ovatio* ita adpellata, cùm hoſtes fedus iniſſent cum Romanis, priusquàm ad mamus deventum eſſet. Nomen ab ove accepit animali ſimplici & pacato, aliisque vulnera & pugnam non inferenti, quod in ejus ſacris mactabatur. Vide Boxhorn. Quæſt. Rom XLIII. Apud Plautum in Bacch. V. II. 11. mentio fit ovium thymianarum, quas Turnebus, adverſ. lib. XXIX. c. XI. à thymo deducit, in qua emendatione eum plus decem pondo auctoritatis ſuæ amiſiſſe ait Palmerius, qui duriusculè legit *Thynæ, minæ*, pro *Thymianæ*, ſpicil. p. 89. Sed Alciatus optimè omnium ejusdem ſignificati facit cum lectis egregiis & eximiis ovibus; verba ejus ſunt: *Thymanæ, oves pingves, quòd ſint habiles ad ſacrificandum à θύω, quod eſt ſacrifico*; Lex. Plaut. Samii tamen ovem non occidebant, quoniam ea aliquando balatu ſuô ſacrilegium prodidiſſet; quod, cùm non obſervâſſet Mandrabulus, inconſultè & præpoſterè facta; *Mandrabuli in morem geſta*, proverbialiter dicebantur. Vide Hadrian. Junium, cent. V. adag. LXXXIII.

Immo-

Immolabant VERRES, inprimis Galli Ciſalpini Marti. Prudent. Hym. περὶ στεφ. X. (al. XIV) v. 376. 382.

Furorne ſummus, ultima an dementia eſt,
Verris cruore ſcribta ſaxa ſpargere?

& PORCOS, APROS ac SUES. Plautus: *Adorna ut rem divinam faciam, cùm intrò advenero, Sunt domi agni & porci ſacres*; Rud. IV. VI. 2. Anchiſes immolat in littore ſuem. Orig. gent. Rom. c. XI. A ſuillo hoc pecore immolationes duxiſſe initia, indicat Probus; & ex hac quidem cauſſa, *quoniam terram roſtrô protrudendo ſemen erueret*, in lib. II. Georg. Virg. id quod atteſtatur Ovidius, lib. XV. Metam. v. 111.

- - Prima putatur
Hoſtia ſus meruiſſe mori.

Et lib. I. Faſt. v. 349.

Prima Ceres avidæ gaviſa eſt ſangvine porcæ,
Ulta ſuas meritâ cæde nocentis opes.

lib. VI. Faſt. v. 179. ubi de priſcorum vita loquitur, canit:

Sus erat in pretio, caſâ ſue feſta colebant.

Inde ſues olim *Thytæ* † *dictæ*, teſte Varr. de R. R. lib. II. c. IV. Suemque paſſim ἱερεῖον nuncupant Hippocrates ac Galenus; & hic quidem porcum in ſacrificio à Græcis γλυκεῖαν vocatum, adſerit comm. chirurh. Hipp. Verumenimverò, quamvis Porphyrius

† At in meo Varrone Durdrechti 1619. in 8t. edito, p. m. 73. v. 3. 4. habetur: *Sus Græcè dicitur* ὗς: *olim* thyſus *dictus, ab illo verbo, quod dicunt* θύειν, *quod eſt immolare.* In editione verò Colonienſi M.D.XXXVI. in 8t. Eſt θύτης.

non neget hoſtiam primam fuiſſe ſuem, aliud tamen initium mactationis conſtituit & rationem, ſcil. conniventiam dei, cùm Clymene involuntariè porcum percuſſiſſet. Rem totam ita memorat: τὴν μὲν γὰρ τῶν συῶν σφαγὴν ἀκουσίῳ ἁμαρτίᾳ Κλυμένης προσάπτουσιν, ἀπροαιρέτως μὲν βαλούσης, ἀνελούσης δὲ τὸ ζῶον. Διὸ καὶ εὐλαβηθέντα αὐτῆς τὸν ἄνδρα, ὡς παράνομον διαπεπραγμένης, πυθῶδε ἀφικόμενον, χρῆσαι τῷ τοῦ θεοῦ μαντείῳ· τοῦ δὲ θεοῦ τῷ συμβάντι ἐπιτρέψαντος, ἀδιάφορον λοιπὸν νομίσαι τὸ γιγνόμενον; de abſt. lib. II. §. 9. Sed quem non lapidem ad ἀποχὴν ſuam fulciendam ſuperſtitioſulus iſte moveret? Certè de Cerere etiam adſerit Suidas voc. χοιρείων. Ita in nomiſmate argenteo Choull, p. 145. & Urſini, p. 278. conſpicicitur Ceres, faces duas protendens, & ad pedes ejus porcellus lectiſſimus; quales porci pingviſſimi Cereri oblati *hoſtiæ myſticæ* vel *porci myſterici* adpellabantur ob Cereris μυστήρια, docente Muretô, V. L. lib. III. c. VII. *Sacres porci* ab his cædebantur, qui piaculum admiſerant, aut inſani fuerant, aut prole aucti erant. Vide Varr. de R. R. lib. II. c. I. & IV. Turneb. lib. XXIX. c. XXXII. Revardum, conject. lib. III. c. XVIII. Douzam, c. VII. in Hor. II. ſerm. III. Taubmannum in Men. Plaut. II. II. 16. Item proverb. *Porcus immola*. Judæos ſuum eſu ac immolatione ideò ait Porphyrius abſtinuiſſe, quòd apud eos non naſcerentur. Verba ipſius ſunt: Οὐδὲ γάρ ἐστι χρήσιμον πρὸς ἄλλο τι ὗς, ἢ πρὸς βρῶσιν· Φοίνικες δὲ καὶ Ἰουδαῖοι ἀπείχοντο. ὅτι οὐδ' ὅλως ἐν τοῖς τόποις ἐφύετο; περὶ ἀποχ. lib. I. §. 14. Infra tamen rectiùs ait, ex lege non immolâſſe eos. Καὶ γὰρ, inquit, δεινὸν ἂν εἴη, Σύρους μὲν τῶν ἰχθύων μὴ ἂν γεύσασθαι, μηδὲ τοὺς ἑβραίους συῶν,

Φοι-

φοινίκων δὲ τοὺς πολλοὺς, καὶ Αἰγυπτίων βοῶν θηλειῶν· ἀλλὰ καὶ βασιλέων πολλῶν μεταβαλεῖν αὐτοὺς σπουδασάντων, θάνατον ὑπομεῖναι μᾶλλον, ἢ τὴν τοῦ νόμου παρέβασιν; lib. II. §. 61. Et lib. IV. planè vetitum fuiſſe refert: Πᾶσίγε μὴν ἀπηγόρευτο ὑὸς ἐσθίειν, §. 14. Neque adeò credibile eſt, Porphyrium fuiſſe Judæum, qui tàm incertè & inconſtanter de eorum ritibus ſcribſit: quod tamen ex Hieronymi loco, quamvis non obſcuro, oſtendere ſtudet Baronius, *Batanæorem* eum vocantis comm. in ep. ad Gal. in quæ Hieronymi verba vide elegantes expoſitiones & acuminatas conjecturas doctiſſimi Lucæ HolſtenI Hamburgenſ. in vit. Porph. c. V. Aegyptii quoque qui aliàs nihil ferè animati religione prætererierunt, porcum maximè averſabantur, ut Soli & Lunæ inimicum, dictum eis γρύλλον vel χοίρονα teſte Heſychiô: nec deorum ulli cædebant, niſi Libero, ut notat Cælius, lib. XVIII. c. XXXVII. & ſemel quotannis Lunæ, referente Aelianô de anim. lib. X. c. XVI. Apud Romanos obſerebantur Telluri, ob fœcunditatem. Horat. *Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant;* lib. II. Epiſt. I. v. 143. Genio, Idem lib. III. Od. XVII. v. 14.

Cras genium mero
Curabis, & porcô bimeſtri.

Quò forte pertinet lapis Purcinnæ in Hiſp. SACERDOS. GENI. MVNICIPI. SCROFAM. CUM. PORCIS; TRIGINTA. IMPENSA. IPSORUM. D. D. Laribus, Horat. lib. III. od. XXIII. v. 3.

Si thure placâris, & hornâ
Fruge Lareis, avidâque porcâ.

Idem lib. II. ſat. III. v. 164.

Immolet

Immolet æquis
Hic porcum Laribus. - -

Adparet inde, egregiè falli Stuckium de ſacrif. f. 54. à Lambino, qui comment. in Plautum Laribus nihil animati datum ſtatuit. Terræmotu aliquando factô, vox audita è Junonis templo, ut de ſue fieret ſacrificium; unde Juno *moneta* à monendo dicta, teſte Cicerone. Vide Gyrald. ſynt. III. p. 118. *Silicernium* farcimen erat, quô funeſta familia purgabatur, ut vult Feſtus: licèt Nonius & Donatus de funebri convivio & ipſis ſacris accipiant: Porcus autem inprimis Veneri erat ſacer, cui mactabatur apud Argivos certô feſtô, quod hinc ὑστήρια nuncupatum: Et apud Romanos ac ceteros Græcos frequenter in nubtiis. Vide Varr. de R. R. lib. II. c. IV. Cauſſam, quam dabimus, audi ex Franzio: *Sus ſimul eſt animal libidinoſum & fœcundiſſimum, atque à partu vehementer ſævit: Inprimis verò apri ad Veneris libidinem ſunt inflammatiſſimi, adeò ut non tantùm inter ſe pugnent pro uxoribus, ut ſæpe uterque occumbat; verùm etiam in feminam refugientem tantò conatu inſurgant, ut quandoque enecent,* Hiſt. anim. c. XVI. Similia ferè habet Plinius; *Sues tantùm coitu ſpumam ore fundere: Verrem, ſubantis auditâ voce, niſi admittatur, cibum non capere uſque in maciem: Feminas tantum efferari, ut hominem lacerent, candidâ maximè veſte indutum;* H. N. lib. X. c. LXIII. Ob hanc ſuum libidinem mares καπρῶντες *ſubare*, feminæ criſſantes *ſurire* dicebantur: Elmenhorſt. ad lib. I. Arnob. Voſſius de idol. lib. III. c. LX. Propter eà etiam Romanæ mulieres naturam muliebrem adpellârunt *porcum*. Vide Macrob. Saturn. lib.

I. c.

I. c. VI. veluti Græcæ *δέλφακα*, item *δελφάκιον*, quæ propriè ſuculam & procellulum lactentem; necnon *χοῖρον*, & *χοιρίον*, ſeu *χοιρίδιον*, quæ idem ſignificant. Vide Ariſtotelem, lib. VI. de anim. Ariſtoph. in Acharn. & in Veſp. Unde *conchæ* olim *χοίριναι* dictæ, teſte Ariſtoph. in Veſp. & in Equit. & inter vocabula nequitiæ pro horto femineo uſurpatæ, quod eæ ſaltui illi non admodùm ſint abſimiles. Adi Plaut. Rud. III. III. in fine. Ad ritum igitur illum reſpicitur, quando in teſtamento ludicro GrunnI Porcelli refertur Nubtialicus, quod ſubpoſititiis inſeruit Gruterus; & deſcribſit Fabricius in antiqq. lib. I. teſt. 6. Confer etiam Alciatum, Lex. Plaut. voc. Ejectam. Inſuper in nubtiis & tomacula porcina adponebantur. Juvenal. Sat. X. v. 353.

Notum, qui pueri, qualiſque futura ſit uxor:
Ut tamen & poſcas aliquid, voveaſque ſacellis
Exta, & candiduli divina tomacula porci.

Quæ conſvetudo uſque in hodiernam adhuc lucem durat, ut quibuſdam in locis vel ante nubtias, vel in nubtiis convivis, familiæ, pauperibus ſuilla farcimina exhibeantur. Thuringi tale convivium das Wurſtmahl / tempus, quô celebratur den Wurſtabend vocitant. Neque id rarenter in patria mea uſuvenit, ut novelli Sponſi, paucos ante nubtias dies egenis in orphanotrophæo botulos atque ſimilas admodùm lautè & liberaliter per ſuos diſpertiantur. Immolabant EQVOS. Florus: *Illi ſtatim immolatô equô concepêre votum.* IV. XII. 15. Singulatim quidem Apollini; itemque Neptuno; quod patet ex moneta Tarentina argentea apud Choulium, p. 110. & aliis, argentea ac ærea, p. 112. necnon

Onyche

Onyche antiquo, p. 111. Unde ejus feſtum *Hippocratia* dictum, teſte Dionyſ. Halic. Apud Romanos quoque Marti idibus Decembribus eqvus victor immolabatur; caudam ejus amputatam aliquis ferebat ad locum, cui Regia nomem, aramque cruentabat: De capite alii â ſacra via, alii â Suburra deſcendent es depugnaba nt. Cauſas vide apud Plut. Probl. XCVI. Immolabatur autem huic ob feritatem; quare & olim ſimmpliciter *Ferus* equum ſignificabat; quod ex Virgilio, Manilio, Nazario, Arnobio & aliunde confirmat Berneggerus: Et Centauri dicti ſunt *Semiferi*. Ab hac adpellatione quoque plerique germanicum nomen ein Pferd deducunt. Vide Douſam, præcid. in Petron. lib. I. c. XXIII. Berneggerum in Juſtin. lib. XXXVII. c. II. Inprimis verò Soli apud Gentes quamplurimas. Herodotus: θεῶν δὲ μόνον ἥλιον σέβονται, καὶ θύουσι ἵππους; lib. I. Ubi obſerva, quòd dicat *unum* i. e. ſupremum: cùm & plura Numina coluerint Perſæ. Hinc in inſcribtionibus leges OMNIPOTENTI. DEO. MITHRAE. Solis quippe nomen Mithra, Mithri, Mithir, Mether, vel Mithra ſignificat dominum vel dynaſtam. Joſ. Scal. de em. temp. lib. VI. Vide Curtium, lib. IV. c. XIII. 12. lib. XV. Briſſonium de R. P. lib. I. & II. Unde & *Mithridatis* nomen. Confer Schedium de D. G. lib. I. c. IV. & adpellatio gemmæ *Mitrax*, ſive *Mitridax*, quæ Soli erat ſacra, de qua Plinius, H. N. lib. XXXVII. c. X. Solinus, c. XL. Nomini illi additum invenias ſæpe τετράδασος, cujus cauſſam quidam ex hiſtoria 2. Reg. XX. & Jer. XXXVIII. deducere nituntur, ſed â Voſſio ſolidè refelluntur de Idol. lib. II. c. IX.

IX. Idem cum Mithra etat Ἀβρεξὰς, aut juxta alios ΑΒΡΑCΑΞ, quod nonnulli Patrem tenerum, alii adgeniculationem interpretantur. Videantur Hieron. in Gen XLI. 43. R. Salom. Jarchi, R. Aben-Ezra, R. Joſe Ben Dormeskith ad eumd. l. Buxtorfius, Lexicô major. voc. ברך. Ab eo Magicum illud adverſus Hemitritæum, ſi hôc modô ſcribatur:

ABRACADABRA
ABRACADABR
ABRACADAB
ABRACADA
ABRACAD
ABRACA
ABRAC
ABRA
ABR
AB
A

ceu putidè delirat Q. Serenus Samonicus, Gordiani junioris præceptor in carm. quod & habet H.C. Agrippa de O.P. lib. III. c. XI. Vide Scalig. in epiſtolis ad Vazetum, Seldenum de D. S. lib. I. c. II. Voſſium, de Idol. lib. I. c. VIII. Schedium D. G. lib. I. c. IV. † Huic ſimile eſt Ebræorum שברירין, quod ſignificat *fatuitates oculorum*, *cæcitates*, *ſcotomata*. De eo Abhoda ſarah: *Ne bibat quisquam aquam tempore nocturnô: Si bibat, ſangvis ejus ſuper caput ejus propter periculum cæcitatis. Quod ſi ſitiat & bibat, quæ eſt curatio ejus* i. e.

שברירי

† Adde Cl. Dn. M. Andr. Beyer. in p. 217. Additam. ad Selden. de DIS Syris.

שברירי
ברירי
רירי
ירי
רי
י

dicebantur ſcil. verba quædam magica, & vox hæc magicè ſcribta adpendebatur de collo, quòd, ut hæc vox ſingulis diebus minuitur litterâ unâ, donec tandem in nihilum redeat, ſic quoque morbus cæcitatis. Dicitur & in Abhoda ſarah שברירי *princeps ſive præfectus cæcitatis, angelus ſcotomatis.* Sed de Perſarum ἱπποθυσίᾳ Soli facta etiam Xenophon: Καὶ ἵππον, ὃν εἰλήφει παλαιότερον, δίδωσι τῷ κωμάρχῃ ἀναθρέψαντι καταθῦσαι, ὅτι ἤκουσεν αὐτὸν εἶναι τοῦ ἡλίου, δεδιὼς μὴ ἀποθάνῃ; lib. IV. c. CCCXXXIII. περὶ κύρου ἀναβ. & lib. VIII. Κύρου παιδείας: Πρῶτον μὲν ἤγοντο τῷ Διὶ ταῦροι πάγκαλοι εἰς τέσσαρας· μετὰ δὲ τούτους ἵπποι ἤγοντο θῦμα τῷ ἡλίῳ, c. CCXVI. Juſtinus: *Solem unum eſſe deum Perſæ credunt, & equos eidem deo ſacratos ferunt*; lib. I. c. X. Vide Berneggerum in not. De Maſſagetis etiam Strabo: θεὸν δὲ ἥλιον μόνον ἡγοῦνται, τούτῳ δὲ ἱπποθυτοῦσι, lib. XI. Cauſſam tradit Naſo, lib. I. Faſt. v. 383.

Placat equô Perſis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda deo.

Adi Herodotum, lib. I. Himerium Rhet. Pauſaniam in Lacon. Philoſtratum, lib. I. de vita Apoll. Lipſium, lib. VI. Annal. Tac. maximè verò ἀκριβέστατον Briſſonium, lib. II. de R. P. ab init. & Bulenger. eclog. ad Arnob. II. 4. Num & ad immolationem reſpicere ſentiamus illum Scripturæ locum: *Abſtulit equos, quos dederant reges Juda Soli in introitu templorum.* 2 Reg. XXIII.

XXIII. 11. ut ita victimæ egregiæ atque eximiæ intelligerentur? Quamvis R. Kimchi, R. Salom. Jarchi, R. Levi BenGerſon, Lyra, Venerab. Beda, & alii, de equis & curribus inter adorandum ſolemnem pompam ducentibus explicent. Nec malè Seldenus imagines tantùm fuſas Solique dicatas innui opinatur; de D. S. lib. II. c. VIII. Recenſitis talibus ſatis apertis, neque caligine ullâ circumfuſis, quidnî mirum, Belgam doctiſſimum, Johan. à Meyen lucernam in meridie poſtulare, atque de hoſtiis ex equis dubitare, dum ad Maronis verba: *Aut aris ſervare ſacris* &c. lib. III. Georg. talia commentatur: *Nam ad ſacrificia optimi deligendi ſunt vituli, hirci, ſues, & id genus alia, quæ aræ deſtinantur. Sed an ex equis ſacrificârint Ethnici, perpendendum relinquo.* Hæc ille. Notetur hîc obiter, Anamelech juxta quosdam cultum fuiſſe effigie equi; quàm aliqui phaſiani, alii coturnicis formam potiùs fuiſſe contendunt. Vide Seldenum de D. S. lib. II. c. IX.

Immolabant MULOS Romani in Conſualibus, ludis Conſo deo ſacris, teſte Alex. ab Alex. G. D. lib. V. c. XXVI. quibus etiam equi & aſini coronabantur, cujus rationes aliquot vide apud Plut. probl. XLVIII. Boxhorn. Quæſt. XXXIX. Muli autem formâ colebatur Adramelech, velut aſini. Deus Tarthac. Seld. l. c. Sched. de D. G. lib. I. c. IV. Et ASINOS: Marti quidem ob turbulentum & acutum rugitum. Phurnutus de N. D. c. XX. Verùm Carmani, quòd equis carerent, & eorum inopiâ aſinis in bello uterentur, aſinum Marti ſacrificabant. Strabo, lib. XV. Item Priapo Romæ ad portam Flaminiam ſtemma cernitur hominis mentulati &c. infra à dextris aſini

 caput,

caput, cui imminet dolabra ſacrificalis: in ſiniſtris item aſini caput cum cultro oblongiori. Vide Gruterum in inſcribtt. f. 95. n. 5. Ovid. lib. I. Faſt. v. 391.

Caditur & rigido cuſtodi ruris aſellus.

Cauſſa pudenda quidem eſt, ſed tamen apta deo.

Hanc prolixè ſubjungit; breviſſimè tamen talis eſt: Quia nempe Sileni, quò vehebatur aſellus, Lotidem nymfam dormientem, cui jamjam vitium inlaturus erat Priapus, acri ruditu excitavit, adeoque impediit, quô minus ille laſciviam atque voluptatem ſuam in virgine expleret.

Morte dedit pœnas auctor clamoris; & hæc eſt

Helleſpontiaco victima grata deo.

Eadem lib. VI. Faſt. † repetit. Alii propter membri virilis magnitudinem & libidinem factum id aptiſſimè arbitrantur, quibus aſinus præ reliquis animalibus cunctis pollet: Unde Commodus hominem pene prominente ultra modum animalium, ὄνον adpellabat, teſte Lamprid. in Heliog. * Apulejus de ſe, tum aſino, & jam in concubitum ruituro: *Angebar planè non exili metu reputans, quemadmodùm tantis tamque magnis cruribus poſſem delicatam matronam inſcendere: vel tàm lucida, tamque tenera, & lacte ac melle confecta membra duris ungulis complecti, labiasque modicas ambroſiô rore purpurantes, tàm amplô ore, tamque enormi & ſaxeis dentibus deformis ſaviari: Noviſſimè, quô pactô, quamquàm ex ungviculis perpruriſcens mulier tàm vaſtum genitale ſuſciperet. Heu me! qui diruptâ nobili feminâ beſtiis objectus munus inſtructurus ſim domini mei;* lib. X. A. A. p. 249. Vide Beroaldum in not. & Al-

† Ego ibi in opt. Heinſiana locum non inveni.
* Malè! in Commodo, c. X. extr.

Albertum M. tr. de animalibus. S. Hieronymus ad illud Ezech. XXIII. 20. *Et inſanivit libidine ſuper concubitum Aegyptiorum, quorum carnes ſunt ut carnes aſinorum, & ſicut fluxus equorum, fluxus eorum*, adnotat: *Inſanivit quondam in concubitu Aegyptiorum, quorum carnes ſunt ad ſimilitudinem aſinorum, & tàm largus ſeminum fluxus, ſive verenda tam grandia, ut equorum ſuperent deformitatem.* Hæc Hieronymus. Hinc aſelli *benè peculiati*, i. e. mentulati dicuntur. Vide Rigaltium in Phædrum; Fab. XXIX. Apud Petronium in ſacris Priapi impuriſſimis (in quibus nihil præſens aderat, quod non obſcœnum, quod non libidinem & ingvina excitaret) vas erat geſtans promulſidem (procul dubio vegrandi aliquô mutone ornatum) cui *aſelli* cognomen. Apud eumdem ſubactiſſima recelliclunia Quartillâ manu in ſinum pueri Gitonis demiſſâ, ejuſque vaſculô pertractactatô. *Hoc*, inquit, *bellè cras in promulſide libidinis noſtræ militabit; hodie enim poſt aſellum diaria non ſumo*; in Satyr. Quæ verba uberiori luce donare ſuperſedeo. Adde & Apulejum, lib. VII. A. A. Judæi aſini caput pro deo coluerunt, teſte Suidâ: Et Gnoſtici Deum Sabaoth aſini habere figuram dixerunt, referente Epiphaniô. Qualis calumnia de aſinini capitis cultu etiam in Chriſtianos devoluta, qui inde *aſinarii* nuncupabantur, ut prodit Tertullianus in Apol. c. XVI. Chriſtus quoque (de quo idem & adverſ. Nat. lib. I. c. XIV.) à quodam pictus auribus aſininis, pedum alterô ungulatô, librum geſtans ac togatus, cum inſcribtione: DEUS CHRISTIANORUM ONONYCHITES. Vide Seld. D. S. lib. I. c. XVII.

Immolabant LEONES. Jul. Capitolinus: *Si Imperatorium ſacrificium ſit &c. centum leones feriuntur*,

in vit. Max. & Balb. c. XI. Aliàs Leo inſigne fuit Herculis, Herois fortiſſimi, qui fuit apud Germanos, teſte Tacitô de M. G. c. II. & IX. & quidem primus conditor gentis Bojorum, dictus propriô nomine Alemannus, ſi credimus Aventino. Generoſus enim admodùm eſt Leo, & ſuperbus, vehemens & crudelis, & præter modum iracundus, ait Franzius, H. A. c. VI. p. 64. Adde Plinium, H. N. lib. VIII. c. XVI. Unde Herculem dictum putant quaſi Arg le, Atergle, Ac le, vel Aerg le; quæ ſignificant ferum leonem. Vide Sched. D. G. lib. III. c. II.

Immolabant LUPOS Marti. Vide Stuck. de ſacrif. p. 47. Marti autem ideò, *quia lupus*, ait Franzius, *animal eſt admodùm notum ab ignobili ſua natura, à robore, à velocitate, à ferocia, à rapacitate, à voracitate, ab odio adverſus oves, à crudelitate, & inprimis à fraudulentia; valdeque ſunt pauca, quæ qualemcumque in ipſo alicujus virtutis commendationem habent* &c: &c: Vide Ejus H. A. part. I. c. XX. Vocem homini deficere, ſi lupus eum priùs adſpexerit, præter alios auctores teſtatur Plinius: *Sed in Italia quoque creditur luporum viſus eſſe noxius; vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad præſens*; H. N. lib. VIII. c. XXII. princip. Quò omnino ſpectat illud Virg. ecl. IX. v. 53.

- - - *Vox quoque Mœrim*
Jam fugit ipſa: lupi Mœrim vidêre priores.

Cauſſas quidam promunt de Spiritibus lupi valde ardentibus & exeuntibus in corpus hominis. Voſſius: *Fabella hæc*, ait, *non aliô nititur, quàm quòd homines viſô lupô præ metu & horrore ultra loqui nequeant:* de Idol. lib. III. c. LXXII. Ecquid, quæſo, eſt

petere

petere principium, niſi hoc fuerit? Verè autem fabuloſum eſſe etiam ſentiunt Scalig. de ſubtil. & Camerarius hor. ſubcis. Cent. I. c. XXIII. princip.

Immolabant CAMELOS pingves & ſaginatos Arabes in ara dei Ignoti: Similiter nubturæ virgines camelis deos propitiabant. Vide Gyrald. ſynt. XVII. p. 493. Itemque ELEPHANTOS. Juvenal. Sat. XII. v. 111.

Nulla igitur mora per Novium, mora nulla per Iſtrum.
Pacuvium quin illud ebur ducatur ad aras,
Et cadat ante Lares Gallitæ victima ſacra.
Tantis digna deis, & captatoribus horum.

Græci tamen & incolæ Cypri neutrum horum mactabant, ex ratione, quam refert Porphyrius: ὡς οὖν κάμηλον ἢ ἐλέφαντα ἑλλήνων οὐδεὶς θεοῖς ἔθυσεν, παρ' ὅσον οὐδ' ἤνεγκεν ἡ ἕλλας ταῦτα ζῶα, οὕτως οὐδ' ἐν Κύπρῳ ἢ Φοινίκῃ θεοῖς προσήχθη τὸ ζῶον τοῦτο, παρ' ὅσον οὐκ ἦν ἐντόπιον; de abſt. lib. I. §. 14.

Immolabant CERVOS. Vopiſcus: *Capitolium invectus eſt, ut illic cederet cervos*; in Aurel. c. XXXIII. Pro Iphigenia mactatur cerva dianæ. Ovidius, lib. I. Faſt. v. 385.

Quæ ſemel eſt triplici pro virgine cæſa Dianæ
Nunc quoque pro nullâ virgine cerva cadit,

Adde eumd. lib. XII. Metam. & lib. IV. Triſt. el. IV. Juvenalis: *Non ſperat Tragicæ furtiva piacula cervæ:* Sat. XII. v. 120. Lycophron, obſcuriſſimus ſanè ſcribtor, in Caſſandra, quæ & Alexandra dicitur.

ἐν σφαγαῖς κεμὰς
Λαιμὸν προθεῖσα φασγάνων ἐκρύσεται.

Sacrificium hoc benevolè mihi exhibuit ſtudiorum meorum adjutor ſummus, meique amantiſſimus, Vir, ædepol! incomparabilis JOH. ANDR. BOSIUS, in numo argenteo admodùm ſolido atque luculento, in cujus parte altera effigies Ihpigeniæ viſitur, cum epigraphe: ΙΦΙΓΕΝΕΙΑ ΑΓΑΜΕΜΝΟΝΟϹ: in altera exſtat ipſa immolatio, cum inſcribtione: ΕΛΛΗΝΩΝ ΚΑΛΛΙΕΡΗΜΑ. quem tibi, Lector, depingi curavi in tabella, cap. XVIII. litt. A. præfixa. Subjiciebatur autem cerva illa Iphigeniæ locô: Unde de innocuo accuſato, ſed mox liberato, per parœmiam pronunciabatur *Pro virgine cerva.* Vide Junium, cent. VI. adag. II. Cervi quoque cornua Dianæ dedicata erant, ejuſque templo impoſita; cauſſam ejus quærito apud Choulium, de relig. Rom. vett. p. 87. 88.

Immolabant CANEM Cares. Suidas, voc. Καρικὸς οἶνος. Unde proverbium *Carica victima,* de quo conſulendus Eraſmus. Romani in Robigalibus mactabant canes, & quidem rutilas in canario ſacrificio, priùs ſcil. quàm frumenta vaginis exirent, teſte Attejô Capitone, ut nempe caniculæ ſidereæ effugerent æſtum fruges. Ovid. lib. IV. Faſt. v. 936.

Turpiaque obſcœna vidimus exta canis.
Tum mihi, cur detur ſacris nova victima, quæris:
(Quæſieram) Cauſſam percipe, flamen ait:
Eſt canis (Icarium dicunt) quô ſidere motô
Toſta ſitit tellus, præcipiturque ſeges.
Pro cane ſidereo canis hic imponitur aræ;
&, quare fiat, nil niſi nomen habet.

Rnffum immolatum, Cœlius ex Aegyptiorum ſuper-

perſtitione & ritu putat, ruſſos ſacrificantium boves. Fortean potiùs ab igne caniculæ cæleſtis & radiis rutilis morem illum eſſe deſumtum ſentiendum? Immolati porrò catuli â Bœotiis pro hirco, in ſatione, in ovium tonſura, recens nati in Adicialibus. Pani Lycæo, Minervæ, Marti, teſte Phurnutô de N. D. c. XX. cùm etiam in Phœbæo Enyalo id eſt Marti σκύλακα obtulerint. Cœlius, L. A. lib. XVII. c. XXVII. A Romanis Juventuti & Sumano quotannis canis cruci adfigebatur. Vide Gyrald. ſynt. XVII. p. 519. & ſeq. Manæ Genetæ canis mactabatur, cum voto, ne quis domi natorum bonus fiat! Rationes ejus lege apud Plut. Quæſt. LII. Alioquin canis victima piacularis fuit apud Græcos & Lupercos, cujus cauſſam memorat Boxhorn. Quæſt. Rom. XXXV. Apud Argos Cynophontis celebrabatur: Ad nocturna colophoniorum ſacrificia τῇ ἐνοδίᾳ furva adhibita catella: Proſerpinam ac Lucinam canem expiâſſe produnt Pauſanias & Plut. l. c. Vide Cœlium, l. c. Hecati ſacrificabatur canis, teſte Sophrone in Mimis; cùm, quia canis latratus carmina ſolvit καὶ τὰ φάσματα; tum, quia â ſpectris terretur, eaque facilè videt, & ab ipſa terretur Luna, quam adlatrat: Unde ſubindè per noctem quorumdam canum perpetuos audimus latratus, de quo Franzius, H. A. c. XXI. Virg. lib. VI. Æn. v. 257.

- - Viſæque canes ululare per umbram.

Ovidius, lib. XIV. Metam. v. 405. 410.

- - Longis Hecaten ululatibus orat. &c.
Et latrare canes, & humus ſerpentibus atris.
Squallere, & tenues animæ volitare videntur.

Planè hîc clareſcit locus VirgilI ecl. VIII. v. 107. *Neſcio, quid certè eſt, & Hylax in limine latrat.* Amat autem noctem Hecate, unde dicta νυχία, ἐννυχία & νυκτίδρομος. Vide Joh. Wouwerium de umbra, c. VII. Lycophorn vocat θεὰν κυνοσφανῆ, quod Scaliger reddit *Deam canariam*, Canterus vertit *Canivoram*; verùm non ſatis fidè: Eſt enim à φαίνω, ut κυνοσφανὴς h. l. ſit quaſi caninis ſacrificiis ſplendida; vel potiùs canis latratu adparens, quamvis alii legant κυνοσφάγον, quam lectionem Canterus in margine ponit. Nec cauſſa, quam profert Vir doctiſſimus, rectô incedere videtur talô, dum ideò Hecaten *Canivoram* adpellatam conjicit, quia Ovidius *Exta canis Hecati vidit libare Sapæos.* Abominabile id vel auditu; at de Sapœis Thraciæ populis ad Neſtum fluvium, & paucis aliis, certiſſimum. Enimverò audiamus, quantas à canibus fœda gens pœnas tulerit? Archelaus Rex Thracibus ob ipſam canum comeſtionem talentum multam indixit, qui cùm ſolvendo non eſſent, Euripidem ad exorandum regem ſubornârunt, veniamque impetrârunt: Ille mox ſolus in ſilva, cùm Archelaus à venatu reverteretur, à canibus diſcerpitur; ex quo nata vox: *Canis vindicta:* Vide adagia Eraſmi. Nuncupata autem multò potiùs Hecate κυνοσφάγος eô ſenſu, quô Bacchus apud Sophoclem ταυροφάγος, Deus alius apud Heſychium κελοφάγος, Juno apud eumd. αἰγοφάγος, &c. à canariis, ſcil. ſacrificiis crebrò ei factis. Cauſſas, quare Hecati & Lupercalibus canes immolati; item de περισκυλακισμῶν, vid. Plutarch. probl. LXVII. cum not. BoxhornI. Ob talia canaria ſacrificia fortè porta apud Romanos *catularia* dicta. Adi

Fabric.

Fabric. Rom. c. VI. Nibchatz Avitarum numen ſub canis forma cultum, teſtantur R. Kimchi & R. Jarchi.

De FELIBUS nihil invenio. Retulit tamen nobis Gallus quidam homo fidei non leviuſculæ, hodiè adhuc ſingulis annis Metæ certô tempore catos omnium maximè conſpicuos atque eximios diſquiri, & ſolemni utriusque ſexus ac ætatis plauſu mediô forô perticæ adſtrictos ac exaltatos concremari. Cauſſam & originem ejus nec ille addere ſcivit, nec ego hactenus inveſtigare.

Immolabant MURES. Siquidem ut apud Europæos porcus inter februa erat & purgamenta; ita in Aſia porcus & mus, quod facit ad penitiſſimè enucleandum locum Jeſaiæ: *Qui ſanctificant ſe & qui mundant ſe in hortis ſequentes alter alterum palam, qui comedunt carnem porci, & rei abominabilis, murisque.* c. ult. 17. Similiter Philiſtæi aureis purgantur muribus, 1 Samuel. VI. 4. & 11. Vide R. Maimon. perplex. lib. III. c. XXX. Seld. D. S. lib. I. c. VI. Itaque fruſtra Jamblichus repugnat. Philaſtrius quorumdam meminit, qui ſorices coluêre, *Muſoritæ* inde dicti. Aeoles & Trojani Apollini mures, quos, teſte Aeſchylô, σμίνθας nuncupabant, cicures alebant puplicè, qui infra altare degebant: unde ipſe audivit *Sminthius*. Vide Gyraldum, ſynt. VII. Apud ejus tripodem itidem murem fuiſſe, Aelianus ſcribit, & fabulam de eo recitat. Adi & Strab. lib. XIII. De FORMICARUM immolatione Stuck. f. 47.

Altiùs nos ſublimemus, neutiquàm nixi ceratis ope Dædaleâ pennis; ac inquiramus, quid aër de ſuis ad aras permittat? Volatilia itaque omnibus diis dæmo-

 nibus-

nibusque præterquàm terreſtribus & inferis, immolata: Aëreis quidem alba; aqueis diis atra. Porphyr. περὶ ἀποχῆς. Gyrald. ſynt. XVII. Henr. Corn. Agrippa V. J. D. S. Cæſareæ Majeſt. à Conſilio & archivis Indiciarius de O. P. lib. III. c. LIX. Hiſtoriolam de ave, ſponte mactandam Sacerdoti obferente, vide apud Porphyr. de abſt. lib. I. §. 25. Culmen conſcendat AQVILA, avium rex, intacta fulmine, cujus illa armiger. Plin. lib. II. c. LV. Mactabatur ea in imperatorio ſacrificio. Capitolinus in vit. Max. & Balb. *Si imperatorium ſacrificium ſit, centum leones, centum aquilæ* &c. *feriuntur*; c. XI. Unde & aquila, quia altiſſima, Romanæ Reip. reginæ rerum inſigne, Vide Boxhorn. Quæſt. XXXII. ejus auctor erat C. Marius. Plin. lib. X. c. IV. & aquila quidem primæ erat legionis inſigne, cujus cuſtodia erat penes primipilum. Poſteà cùm imperium in Occidente temporibus HonorI & ArcadI eſſet amiſſum, diviſum inſigne aquila biceps ſignum fuit diviſi Imperii in Orientale & Occidentale. Sed & plurium regum ac Principum aquila inſigne fuit gentilitium; qualia non tantùm belli palo aut perticæ infixa geſtabantur, ſed maximè incidebantur clypeis. Virg. lib. VII. Aen. v. 657.

Clypeoque inſigne paternum
Centum angves, cinctamque gerit ſerpentibus hydram.

ita ut ἀπὸ τοῦ γλύφειν adpellationem clypeus caperet: Germaniſque inſignia gentilitia, quoniam olim armis inſculpta, vocantur hodienum Wappen; quô nomine olim arma inſignita, indicat vox illa, nondum è communi loquendi genere eturbata, Gewapnet: illud Germani ſuperiores molliùs aliquantum enunciant Waffen. adi ſis Voſſ. de Idol. lib. III. c. XXVI.

Apud

Apud laudatos Teutonas coloribus primùm tantùm clypei variegati in inſignia nobilium familiarum migrâſſe creduntur; unde ea omnium antiquiſſima ducuntur, quæ ſimpliſſima, certis duntaxat coloribus diſtincta & ſpatiis, qualia Rauten Striche oder Balcken vocamus. Poſteà tamen etiam animalia adpingi conſvevêre, utpote auguſtiora inſignia. Teſtatur certè de Alemannis Diodorus Siculus, quòd eis arma fuerint ſcuta, inſigni propriô variegata; quosdam æneas beſtiarum imagines tàm ad defenſionem quàm ornatum adſabrè factas, prætuliſſe; lib. V. Biblioth. Vide Quinctilianum, lib. VI. c. III. Crantzium, lib. II. c. IV. Freherum de orig. palat. part. I. c. XIII. Marcum Velſerum de reb. Boi. lib. IV. Lazium de migrat. gent. Reineccium van daß Adels Herkommen / Tilium comm. rerum. Gall. lib. II. Forcatulum, lib. II. de Imp. Gall. Et ampliſſimi nominis Jureconſultum, magnum Strauchium, in cujus aureis ſcribtis doctorum corona inexhauſtâ cupiditate ſemper eſurit, nunquàm ſaturatur, in Tac. de M. G. diſp. III. c. III. §. 3. Subpeditat nobis porrò idem Diodorus rationem atque originem quare Galeis inſignibus impoſitis cornua vel alæ addantur? *Aeneis* ait, *galeis cum magnis adpendicibus ad prolixam oſtentationem factis impetu muniunt; nam vel cornua adfixa, vel avium, quadrupedumque facies in illis expreſſas habent*; l. c. Cur autem inſignibus gentilitiis ſæpiſſimè tegumenta Wappendecken modò ſimplicia, modò multiplicata adpinguntur? Exinde ſcil. quoniam ſcuta clypeique, in quibus inſignia cælata erant, pellibus & hujuſcemodi erant operti. Hinc Saguntini & Judæi famis tempore, pelles ſcutis clypeisque, ut eſſent cibo, detraxêre,

xêre, quod teſtantur Silius & Egeſippus. Virg. lib. X. Aen. v. 783.

Tum pius Aeneas haſtam jacit: Illa per orbem
Aere cavum triplici, per linea terga, tribusque
Tranſiit intextum tauris opus.

Sacrificabant ANSERES. Suidas. Ovidius, lib. I. Faſt. v. 453.

Nec defenſa juvant Capitolia quò minus anſer
Det jecur in lances, Inachi lauta, tuas.

Inprimis Iſidi, & Lunæ. Vide Herod. lib. II. Voſſ. Inſt. Or. lib. IV. c. XIII. ſect. 8. Aliquando & Marti. Martialis lib. IX. epigr. XXXI.

Dum comes Arctois hereret Cæſaris armis
Velius, hanc Marti pro duce vovit avem.
Luna quater binos non tota peregerat orbes,
Debita poſcebat jam ſibi vota Deus.
Ipſe ſuas anſer properavit lætus ad aras,
Et cecidit ſanctis hoſtia parva focis.

Sacrificabant COLUMBAS, TURTURES & PALUMBOS. Plautus: *Nos Palumbem ad aram usque duximus*; in Pœn. IV. III. 63. Ovidius, lib. I. Faſt. v. 451.

Ergo ſæpe ſuô conjux abducta maritô
Uritur in calidis alba columba focis.

Potiſſimùm Veneri, & propter Concordiam; unde olim in nubtiis turturum concordia optata. Vide etiam Plin. H. N. lib. X. c. XXXIV. & propter libidinem fœcunditatemque; quæ tanta quidem ut Adrichomius referat, turrim ſaxeam Hieroſolymis exſtitiſſe, in agro ad meridiem montis Oliveti, incolis dictam *petram columbarum*, ubi ſæpe quinque columbarum millia fuerint. Ab his certum oſculi genus ortum, quod

quod deſcribit Muretus, quòd nempe conliſione lingvarum ludebant. Tibullus, lib. I. el. VIII. v. 37.

Et dare anhelanti pugnantibus humida lingvis
Oſcula, & in collo figere dente notas.

Apulejus: *Arctiùs eam complexus cœpi ſaviari: Jamque æmulâ libidine in amoris parilitatem congermaneſcenti mecum; jam patentis oris inhalatu cinnameo, & occurſantis lingvæ inliſu nectareô, pronâ cupidine adlubeſcente* &c. lib. II. Metam. Idem: *Accepturus indicii nomine ab ipſa Venere ſeptem ſavia ſvavia, & unum blandientis adpulſum lingvæ longè mellitum*; lib. VI. Huc pertinet illud Plauti: *Fac proſerpentem beſtiam me, duplicem ut habeam lingvam*; Aſin. III. III. 105. Adde IV. I. in fin. Et Joh. à Wouweren de his oſculis interpretatur illud Petroni: *Commovebat valgiter labra, & me tanquàm furtivis ſubinde oſculis verberabat*; in Satyr. quod alii de fellatione capiunt. Græcè καταγλώττισμα, Latinè *Columbari* vocabatur. Cn. Matius: *Columbarique labra conſerens labris.* Vide Dilherrum in electis, Beroaldum in Apul. Barthium, racematt. in Petron. Meurſium, animadvers. miſcell. lib. III. c. XII. Taubmannum in Plaut. Apud Judæos, vix aliam in ætate juvenili & libidinis neſciâ avem, præter columbam, obſerre licuit, ut obſerv. Bernhard. in Cant. Serm. LIX. tantum abeſt, ut columbas, quòd in tutela Veneris eſſent, violarent, ut potiùs inter deos haberent; quoniam ab iis Venus Typhonem fugiens ſervata erat, ut ait Muretus, comm. in Tibull. lib. I. el. VII. Nos veriorem fortè dabimus rationem: quoniam ovum miræ magnitudinis â piſcibus ex Euphrate evolutum columba foverit, unde dea genita credebatur; docente

docente P. Nigidiô ad Arati phænom. A quibuſdam Semiramis columbæ formâ culta fuit, quia eam in columbam verſam opinati ſunt. Vide Hyginum poët. aſtr. fab. CXVII. Diod. Siculum, lib. II. Athenagoram in Apologia, Tzetzam, chil. IX. c, CCXXXV. Palumbus verò Majæ obſcrebatur, ſive Proſerpinæ, ſeu Cereri, quæ eædem ſunt; unde Proſerpina Φερεφάττη audivit. Porphyrius: τῆς δὲ Φερεφάττης, παρὰ τὸ φέρβειν (al. φέρειν) τὴν φάτταν φασὶν οἱ πολλοὶ τοὔνομα τῶν θεολόγων. ἱερὸν γὰρ αὐτῆς ἡ φάττα. Διὸ καὶ αἱ τῆς Μαίας ἱερεῖαι ταύτην αὐτῇ ἀνατιθέασι. Μαῖα δὲ ἡ αὐτὴ τῇ Περσεφόνῃ, ὡς ἂν μαῖα καὶ τροφὸς οὖσα. Χθονία γὰρ ἡ θεὸς, καὶ Δημήτηρ ἡ αὐτή, lib. IV. περὶ ἀποχῆς.

Sacrificabant GALLOS. Fragm. inſcribt. PRO GALLO. HOLOCAUSTO. X. ıↃ. Marti, quia eſt animal pugnax: Mercurio, ob vigilantiam, de qua ſuprà c. III. p.46. Soli, quod redeuntem ſalutet, & auroram cantu ſuô prænunciet. Nocti, quòd cantu ſuô diem provocet, quô illa propellitur. Ovid. lib. I. Faſt. v. 455.

Nocte deæ noctis criſtatus cæditur ales,
Quod tepidum vigili provocet ore diem.

Laribus, quod pervigil domum cuſtodiat. Juvenal. Sat. XIII. v. 233. *Laribus criſtam promittere Galli.* Aeſculapio, ſive ob eamdem vigilantiam, ſive quòd divinæ beneficentiæ, morborum omnium curatrici, diem, h. e. vitæ lumen ſe debere veteres teſtarentur, quod cælio Rodigino placet, A. L. lib. XVI. c. XII. vide Meibom. comm. in jusjur. Hippocr. c. V. 29. In Onyche quem habet Choulius, ad pedes Aeſculapii ſedet Gallus, p. 114. Ultima Socratis poſt cicutæ potum, & pedes, & tibias, & ventriculum rigentis, ad amicum

cum Critonem vox fuit: *Ω Κρίτων τῷ Ἀσκληπιῷ ὀφείλομεν ἀλεκτρυόνα!* ut adnotat eam Plato in Phædon. ad quæ Italiæ ſuæ lumen haud obſcurum Marſilius Ficinus: *Priſci Aeſculapio medico Phœbi filio gallum ſacrificabant, diei Soliſque nuncium*, i. e. *divinæ beneficentiæ morborum omnium curatrici, quæ divina providentiæ filia nominatur, diem, i. e. vitæ lumen debere ſe fatebantur.* Hæc ille. Plures deos, queis obſerebatur gallus, ſupra reſenſui l. c. Illud autem Pythagoræ ſymbolum: *Gallum nutrias, ne tamen ſacrifices*; quidam exponunt, milites in civitate eſſe habendos, non tamen in rebus ſacris. Alii: glorioſos & adrogantes non quidem penitus exterminari poſſe, ſed pati oportere; non tamen neceſſe ad arcana & res ſerias admittere.

Sacrificabant GALLINAS: Athenæus: *πεμμάτων δὲ πρῶτον φησὶ μνημονεῦσαι Πανύασιν Σέλευκος ἐν οἷς περὶ τῆς παρ' Αἰγυπτίοις διηγεῖται· πολλὰ μὲν ἐπιθεῖναι πέμμματα, πολλὰς δὲ νοσσάδας ὄρνις.* Maximè Aeſculapio, ſive quòd ſalubritatis ſunt indicium, carnemque habeant leviſſimæ digeſtionis; ac proinde langventibus commodam, quam cauſſam reddit Pier. Valerian. Hierogl. XXIV. ſive quod ut Henr. Smetius ait miſcell.

- - Infirmò hæc volucris quia corda cerebro
Conferat, & labſas renovent ea prandia vires.

Meibom. l. c. Prudentius in apoth. v. 272.

Quamvis promittere & ipſi
Gallinam ſoleant aut Gallum; Clinicus ut ſe
Dignetur præſtare deus morientibus æquum.

Plinius de neceſſaria victimarum ex gallinis qualitate ſcribit: *Ad rem divinam luteò roſtrò pedibuſque puræ*

non

non videntur: Ad opertanea ſacra nigræ; H. N. lib. X. c. LVI. De cujus loci veritate valde dubito, neſcio quidnam de ejus corruptione ſuſpicans, neque tamen aliquid in eo hactenus immuto. Alex. ab Alex. G. D. lib. III. c. XII. hunc locum, credo, reſpiciens, ait, Æſculapio gallinas oblatas *non luteis roſtris aut pedibus, ſed nigris digitiſque imparibus.* cauſſas ejus rei inveſtigat Meibom l. c. Succoth Benoth imaginem fuiſſe gallinæ cum pullis ſuis, obſervant ad 2. Samuel. XVII. R. David Kimchi & Salom. Jarchi, Rabbenu Gerſchom diſcipulus, qui non modò Talmudem, ſed tota etiam Biblia commentariis expoſuit, quæ ceteris per Rabbinos conſcribtis, ut antiquiora, ita omnium quoque doctiſſima cenſentur, unde Judæis κατ' ἐξοχὴν dicitur פרשנדתא i. e. legis interpres. Vixit Trecis in Gallia. Videatur beatus Germaniæ Doctor Calixtus in Adparatu Theol. p. 133.

Leproſi ſanati obferre jubentur PASSEREM ſecundùm Vulgatam Lev. XIV. 4. quia illi ob acrimoniam humoris valde ſunt libidinoſi, veluti etiam paſſeres, qui aliquàndo ſepties in hora coëunt. Hinc *Strutheum*, ait Feſtus, *præcipuè vocant obſcœnam partem virilem*, â ſalacitate videlicet paſſeris; qui Græcè ςρȣθὸς dicitur: ſed notanter modò dixi, ſecundùm vulgatam. Vox enim quæ exſtat in Ebræo צפרים â pleriſque redditur in genere *avicularum* nomine & *avium*: Hieronymus ad Pſalm. LXXXIV. *gallinas* fuiſſe dicit. Vide Joh. Chriſtianum Iſing. Coll. Hiſt. Quæſt. LIX. §. 2. Æſculapio paſſeres ſacrari ſolitos, Meibom. l. c. §. 30. collegit ex Æliano, V. H. lib. IV. c. XVII.

CICONIAM Concordiæ fuiſſe ſacram, Merulâ, Bri-

Digitized by Google

Britanicus, Valla, & alii adſerunt: Et Probus Grammaticus, ad illa Juvenalis: Sat. I. v. 116.

Quæque ſalutatô crepitat ciconia nidô.

In tutela Concordiæ ciconiam fuiſſe perhibet, templumque exſtitiſſe vetus Concordiæ, in quo multa Ciconia. Sed Politianus & Gyraldus CORNICEM potiùs ſtatuunt, & probare nituntur ex Aeliano ac nomiſmatis, cùm & cornicis vox in nubtiis quoque audita fuerit. Eadem cornicula & Apollini conſecrata erat, quod ex vetuſtiſſimis numis aureis & argenteis ac Jaſpide antiquo apud Choulium ſatis adparet, p. 215. 216. Sacer erat etiam Apollini ſive ſoli CYGNVS. Vide Agripp. l. c. Manilius, lib. V. v. 376. *Ipſe deum cygnumque colit.* Evolve not. Scaligeri. Unde & Poëtæ *cygni* dicuntur ac *olores*. Item CORVUS, quod Cornutus ob colorem μιαρὸν negat, & cygnum potiùs eſſe vult. Nec non PERDICOTEROS accipitris quoddam genus. Certè Aegyptii Apollini accipitrem tribuêre, quem ſuâ lingvâ *thauſtum* adpellârunt, teſte Aelianô. Phœnices Herculi COTURNICES dedicâſſe; refert Eudoxus Cnidius, lib. I. de circuitu terræ, quia hoc animal pugnaciſſimum. Aliàs ſacros ferunt tranſypteron, ſtruthiocamelum & pavonem Junoni, buteonem Dianæ, Morphnon Matri deûm, Minervæ oſſifragam & harpan, Lunæ ibin, columbarium Mercurio. Vide Gyrald. ſynt. VII. Choulium, p. 51. 52. Adde his tetraonas, phœnicopteros, Numidicas, phaſianos &c. de quibus Stuck. f. 47. Per perdicem deus Pudor olim depictus: cùm ea admodùm pudica avis: Per aquilam Jupiter, Juno per pavonem, per ululam Minerva: Hujus rei teſtes vi-

de aliquot numos & marmora apud Choulium, p. 47. & ſeqq.

Num verò etiam ad altaria *Mutaque natabunt Squammigerûm pecudes*; & de cupediis prædæ marinæ quicquam onerabit lances deorum? Apud Judæos ex piſcibus nullum ſacrificium fuit, ne aquis exemti mortui obſerrentur; vel quia piſces non ubivis haberi poterant. Vide Philon. de vict. Ethnici contra magnô numerô ſacrârunt citharon Apollini, Mercurio boas, Libero patri cittulum, apuam Veneri, Neptuno pompilum, qui peculialiter *ſacer piſcis* dictus fuit. Vide Aelianum & Athenæum. Adde Gyrald. ſynt. XVII. p. 494. Bœotii ſacrificabant præcipuas ex COPAIDIBUS victimarum ritu coronatas. Athen. lib. VII. necnon Lydi piſces teſte Varrone. Itemque piſcatores in ſacro thynneo Neptuno THYNNUM exhibebant. Vide Cœl. L. A. lib. XXVIII. c. VII. Phaſelitæ piſciculis ſale conditis placare deos conſveverunt. Idem, lib. XII. c. I. Hecati immolabant MOENIDAS, & TRIGLAS ſive MULLOS teſte Melanthiô, eò quòd trigla ter pariat quotannis; vel quia Luna ſive Hecate etiam maris poteſtatem habet; Vel quia Diana ſive Hecate eſt venatrix; mullus verò itidem venator, ut qui leporem marinum, piſcem venenatum ac letalem ſtrenuè perſequatur. Perceptis hiſce, planè vaneſcit Sullæ apud Plutarchum in quæſt. conviv. opinio, qui ideò Pythagoram piſcibus abſtinuiſſe vult, quòd Pythagoras veſci ſolitus ſit primitiis θεοθύτοις; nullus verò piſcis idoneus fuerit ad ſacrificium.

Syri abſtinebant piſcibus, eò, quòd Atergatis,

regina

regina eorum obſoniorum avidiſſima, edictum promulgaverit, ne quis piſces ederet ἄτερ γάτιδος i. e. præter Gatidem: Inde ei manſiſſe ferunt nomen Atergatidis; Syroſque ſupplices aureos & argenteos piſces diis ſuis obtuliſſe: ipſi verò Atergatidi inter divos relatæ ſacerdotes ante ſimulacrum conſtituiſſe mnaſeas piſces & aſſos & elixos. Variant tamen mirè in hujus etymo, & nominibus: Atergatis, Adergatis, Atargata, Atargatis, Adargidis, Arthaga, Athara, Derceto, Derce. Lucianus eam dimidiâ parte hominis, dimidiâ piſcis formâ cultam ait, atque ita nomen eſſet ex אדר magnus; & דג piſcis. Eadem certè erat cum Venere, quæ in piſcem mutata, tradente Maniliô, lib. IV. Aſtron. & à Babyloniis *Salambus* dicta. Vide Seld. de D. S. lib. II. c. III. Voſſium de Idol. lib. I. c. XXIII. Schedium de D. G. lib. I. c. IX. Tale ferè ſimulacrum erat Dagon, qui & *Oannes* apud Scribtt. dicitur, cujus mentio fit 1. Sam. V. 4. Ecce jacebat Dagon atque duæ palmæ manuum abſciſſæ erant ſuper limen רק דגו נשאר עליו i. e. ut vertit Kimchi, tantummodo formâ piſcis relictâ in eo. Fuiſſe perhibent biceps animal, cetera piſcem, è cujus cauda adnaſcebantur pedes humanis ſimiles: Vox ei humana. Ex mari autem Erythræo emerſum Babyloniam perveniſſe ajunt; occidente verò Sole in mare redîſſe, moremque hunc quotidiè obſervâſſe: Ab eo homines omnifarias artes, litteras, architecturam, agriculturam, templorum ſacrationes & leges politicas didiciſſe. Dicitur autem à דג i. e. piſcis. Vide ſummum Seldenum de D. S. lib. II. c. III.

In ſacris Bacchi (fortè & in myſteriis aliis) SER-

PENTES obſerebantur, iisque coronabantur, atque coronati Evan clamabant, ubi Epiphanius Evam à ſerpente deceptam invocâſſe eos ait, lib. III. contra hæreſ. Ita in numo noſtro oblongo litt. E. conſpicitur ſacrum Bacchi, cujus non obſcurum ſignum eſt caper, gratiſſima liberi hoſtia, ſtans ante focum calentem: In eo à latere πλευρᾶ viſitur perſona ſacrificans, angvem ſupra Ignem protendens. Adde numum litt. D. Anne autem dicamus Bacchantes mordendo confeciſſe ſerpentes hoſce ſuos? Certè admodùm perſpicuus videtur eſſe ille AurelI locus, lib. I. contra Symm. v. 129.

Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & virides diſcindunt ore chelydros.

Nil equidem, pol! de antidoto, quô ſe ante ſacrificia muniêrint adverſus venenum uſpiam reperire eſt. Num verò ſentiendum, fuiſſe piſces, quibus nomen hoc horridius ſit inditum, quam ὀνομαλοποιίαν myſtis ac initiatis utique in more fuiſſe ſupra meminimus? At obſtat epithethon *virideis*: Obſtat fractum ſepulchri marmor, quod hodienum Romæ in templo Bachi extra portam Viminalem in via Numentana exſtat quod egregiè ritum hunc exprimit. Eſt autem ibi Bacchantium turba, angves ore geſtantium & caprum ducentium. Vide Fabric. in Rom. c. IX. Dicendum igitur, chelydros non fuiſſe venenô metuendos? Nunquàm hoc de ullo chelydrorum genere probari poteſt. Univerſaliter enim chelydrus, qui aliàs δρύϊνος, à Scaligero *Querculus* & *Quercuus* dicitur, vel propter odium quercus, vel quòd in quercubus latibulum quærat, quando eum μύωψ invadit, angvis eſt duorum cubitorum & non ſolùm odore

odore teterrimô ſuffocat hominem ; ſed etiam ejus veneni tanta vis eſt, ut querculus modò calcatus cutem detrahat hominis, medicique manus talem curaturi excoriet. Inde apud Virgilium audiunt *graves nidore chelydri*, lib. III.Georg. v.415. Et lib. II. *nigri*, v. 214. quod Servius exponit *nocentes*. Conſulantur Galenus, Aëtius, Geſnerus, Colerus, Franzius & alii. Itaque depravatum hunc locum ſuſpicamur, quem quid ſi ita ſanaremus: *Virideis diſcindunt ore colubros.* Hoc enim vocabulum generale, quô quivis ſerpens inſigniri poteſt, etiam virulentiſſimus. Virgil. lib. III. Georg. v. 418.

Aut tecto adſvetus coluber ſuccedere & umbræ,
Peſtis acerba boum, pecorique adſpergere virus.

Lucretius, lib. V. v. 27.

Hydra venenatis poſſet vallata colubris.

Sed & innoxii & veneni expertes. Dictis hiſce & emendationi illi noſtræ præclaram lucem largitur Franciſcus Hernandus, qui vidiſſe ſe perhibet in India, qui *colubros virides* educent, pro lectulo iis dari ſtramentum in dolio, hinc non exire niſi cibi gratiâ, ac tum heri ſui humeros adſcendere amicè, à quo cibum accipiant: habereque primitus pollicis tantùm magnitudinem, excreſcere in craſſitiem femoris. Idem teſtatur Joh. Euſeb. Nierembergius, Hiſt. Nat. lib. XII. c. XL. quæ ipſa deſtruunt locum mendaciſſimum Plinii, quando de ſerpentibus ſcribit: *Omnibus exitiale virus*, H. N. lib. VIII. c. XXIII. Ita familiares hominibus erant παρείαδες, Aelianus, H. A. lib. II. c. XIII. Serpentes apud Bigerones. Scalig. exerc. CLXXXIII. ſect. 3. & ad Ziz montes Mauritaniæ, eôdem teſte.

Necnon apud Nigritas. AloyſiusCadamuſtus,c.XII. Navig. Et plures alios, quos aggerat Voſſius, lib. IV. Idolol. c. LVIII. Claudius Neapolitanus Philologus ſerpentis eſu viſum recuperari ait apud Porphyrium de abſt. lib. I. §. 17. & Crateri medici famulum, inſolitô morbi genere correptum, viperâ in piſcis morem paratâ convaluiſſe, docet idem ibid. Et §. 25. refert, quod Heraclidæ ὄφεις ἔφαγον ἐν ἀπορίᾳ ἀναγκαίων. Pertinet huc omninò locus Celſi: *Colubra tutò eſtur*; lib. V. Vide Scalig. Exercitat. CLXXXIX. ſect. 4. & in Ariſtot. lib. II. Hiſt. anim. c. XVIII. ſect. 123. Petrum Martyrem de reb. Oceani & novi orbis, c. III. & V. Mitiùs ergò agemus cum Plinio, conjiciendo typographorum incuriâ excidiſſe vocem, *non*, aut amanuenſium præcipitantiâ omiſſam fuiſſe in vetuſtiſſimis codd. ut ita ſenſus haberet: *Non omnibus exitiale virus.* Tales ſerpentes, minimè nociferos aut venenatos, ſed tutò etiam comedibiles, & qui poterant mandi, atque in ore geſtari, fuiſſe virides colubros illos in Bacchanalibus, Ovidius quoque indicare cupit eô ipſô, cùm ſerpentes illos *piſces* vocat, lib. III. Faſt. v. 723. ubi & de ſacris Bacchi ſermo eſt:

Ecce libet ſubitos piſces Tyrrhenaque monſtra
Dicere.

Quamvis quidam hæc ad longè alia extendant. Olim à Lithuanis & Samogothis cultos ſerpentes, referunt Cromerus, lib. V. & Robertus Gaguinus deſcribt. Lituaniæ. Et tantum de victimis, materiâ amplâ, ædepol! & ſatis ſpatioſâ.

CA-

CAPUT XXIV.

Hominum primorum frugalitas præſertim in ſacrificiis laudata. Sacrificia prima ex herbis: Eaque pretioſè habita. Ara Piorum. Θυσίας *& ſimilium vocum origo.* Frugum *ſignificatio.* Ακαπνα θύεσθαι. Vivere muſicè; Tibicinis vitam. Lances ſaturæ. Per ſaturam Colligere. Ponere. *&c. verba ſolemnia.* Απάρχεσθαι. Εξητήρια. χύτροι. Cereris *etymon. Sacrificia Cereris quomodo ab aliis differant?* Verbena. Sabina herba. Verbenæ *Homonymia: & ſynonymia: Ejus in ſacris uſus. Gvido compilator. De Donati ſcholiis judicium. Frondes arboreæ ſacrificatæ. Judæorum idololatria.* Heliognoſtici, Solicolæ; Devictiaci. *Priſcillianiſtæ. Venus Myrtea. Flores ſacrificati. Roſa Veneri ſacra. Coronæ diis datæ: Inprimis Laribus.* Ornati dii. *Coronæ in mortuorum ſacrificiis, & quales? Fructus varii ſacrificati.* Ζεὺς Μηλίχιος. *Proverbia tria explicata. Pomum præmium in certaminibus Phœbi.* Οσχοφόρια, ὀσχοφόρος. *Carmina* ὀσχοφορικά. *Proverb. explicatur.* מוכססין. *Frumentum ſacrificatum.*

catum. Mincha. ουλοθυτεῖν. προθύματα. Paraſiti ; paraſition. *Farina ſacrificata. Mola ſalſa : Cur ſacrificata ? Placentæ ſacrificatæ. Dionyſ. Halicarn. & Plutarcho duo alia loca opponuntur.* כונים. *Paniſicia.* החביתין. *Locus Scr. S. excutitur. Lutherus contra Sheringham. defenditur. Piſcator obiter notatur.* Βοῦς ἑβδόμος ; θύανος. Victimæ nullæ præter barbas & cornua. Φασηλιτῶν θύματα. *Mel ſacrificatum. Liba aliquot ſacra recenſita.* Struferctarii. *Pultes ſacrificatæ. Varia apud Senecam lectio. Sal ſacrificatus : Ejus hinc epitheta : Cur ſacrificatus ? An uxor Loth verè mutata ſit in ſtatuam ſalis : Et an adhuc exſtet ?* Purior ſalillô *proverb. Salis in Judæorum ſacrificiis uſus ejuſque cauſſæ. R. Maimonidis ratio falſiſſima eſſe oſtenditur. Proverbb. explicantur.* Αγνὰ θύματα. *Aromata ſacrificata. Dii uncti. Loca quædam Scr. S. dilucidantur. Ligna odorata. Thuris cognomina & ſynonyma : Etymologia : Deſcribtio : Sacrificabatur : Inprimis Lari. Viſcus. Thuris ſacri confectio.* Λιβανομαντεία. *Sacrificandi thuris modus. Martialis loco lux datur. Judæorum thuris adolendi ſacerdotes.* פיטום. *Thus panibus ſacris impoſitum, thuribulum*

lum lapidi: Quis ille lapis? Pugillatio thuris: Hanc ſacerdotem docebant. Thus intra ſanctuarium incenſum, ac ritus inde Ebraicus. Donariorum homonymia: Synonymia: Ea diis oblata: Varia enumerantur: Paſtoritia donaria. Tabulæ ſuſpenſæ. Veſtimenta varia diis data: Item lintea, ſtrigiles: Specula: Gemmæ: Stipes. Numi capitibus impoſiti deorum. Siclorum Ebraicorum deſcribtio: Et valor. Siclus ſacer: Et Politicus. Joach. Camerarl σφάλμα. Drexelius notatur.

Celebranda primorum majorum noſtrorum frugalitas, gracili lare viventium, pauciores ſervos alentium, parcius veſcentium, levius veſtientium, minus obſonantium; Quin & Deos ſuos (quod certi eſſent eos talibus non indigere) moderatius atque tenuius cibantium; E quorum domibus non saginata pecora, non centena animalia, non aurati boves ad aras cedebant; ſed ſegetis adorea, frugum primitiæ, ſpicarum decimæ, herbarum faſciculi; oblatio, eorum opinione, ſatis lauta, & abunde opipara. Sacrificium Caini antiquiſſimum, &, quantum novimus, omnium primum, de terræ fructu fuiſſe, legimus. Gen. IV. 3. De Gentilibus Porphyrius: Ου τούτων ἔθυον πρότερον, ἀλλὰ χλόης, οἱ εἴ τινα τῆς γονίμου φύσεως χνοῦν ταῖς χερσὶν δραξάμενοι. Δένδρα μὲν γὰρ δὴ περὶ ζώων ἀνέδωκεν ἡ γῆ. τῶν δένδρων καὶ πολὺ πρόσθεν τὴν ἐπέτειον γεννωμένην πόαν, ἧς δρε-

δρεπόμενοι φύλλα, καὶ ῥίζας, καὶ τοὺς ὅλους τῆς φύσεως αὐτῶν βλαστοὺς, κατέκαιον ταύτῃ τοὺς φαινομένους οὐρανίους θεοὺς τῇ θυσίᾳ δεξιούμενοι; lib. II. περὶ ἀποχῆς, §. 5. Id planè ita enunciat Ovidius, lib. I. Faſt. v. 337. ſ.

Ante, deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica ſalis.
Nondum pertulerat lacrimatas cortice myrrhas
Acta per æquoreas hoſpita navis aquas:
Thura nec Euphrates, nec miſerat India coſtum,
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguô laurus aduſta ſonô:
Si quis erat, factis prati de flore coronis
Qui poſſet violas addere, dives erat.

Prudentius, Hym. X. al. XIV. περὶ στεφ. v. 264.

At unde major eſſe majeſtas focis,
Quam nata in hortis ſarculatis, creditur?

Circa Delum ara, quòd in ea nullum animal immolaretur, *Piorum ara* nuncupata fuit, Porphyrius: Θεωρῆσαι δέ ἐστιν ἐκ τοῦ περὶ Δῆλον ἔτι νῦν σωζομένου βωμοῦ. πρὸς ὃν οὐδενὸς προσαγομένου πυρὸς αὐτοῖς, οὐδὲ θυομένου ἐπ' αὐτοῦ ζώου, εὐσεβῶν κέκληται βωμός; lib. II. περὶ ἀποχ. §. 28. Exſtitit & apud Athenienſes, teſte Pauſaniâ, ara Jovis Eximii; cui nihil animati, nihil etiam vini, tantùm bellaria imponebantur. Lex Draconis jubet τιμᾶν θεοὺς καὶ ἥρωας σὺν ἀπαρχαῖς καρπῶν. Triptolemus lege apud Athenienſes ſancivit Θεοὺς καρποῖς ἀγάλλειν. Pythagoras Diis tantum obſerri voluit hoſtias incruentas; Dæmonibus ſive bonis ſive malis animata: Quam ἁγιστείαν Pythagoricam ſecuti Romani, per CLXX. annos ex Pompili præſcribto ſacra obie-

obiêrunt ἀναίμακτα. Vide Cœlium, L. A. lib. XII. c. I. Inde, quòd herbas quaſdam integras cum foliis, radicibus & ſructu concremârint, eôque fumô diis litârint, ortæ voces in ſacrificiis uſitatæ, θυσία, θύειν, θυηλὴ, θυμέλη, θυμιᾷν, θυμίασις, θυμιατήριον. Clariùs de hoc Porphyrius: Ἐκ δὲ τῆς θυμιάσεως τῶν ἀπὸ τῆς γῆς, θυμιατήριά τε ἐκάλουν, καὶ τὸ θύειν, καὶ θυσίας, ἃ δὴ ἡμεῖς ὡς τὴν ὑστέραν πλημμέλειαν ἐκβαίνοντες οὐκ ὀρθῶς ἐξακούομεν, τὴν διὰ τῶν ζώων δοκοῦσαν θεραπείαν καλοῦντες θυσίαν; lib. II. περὶ ἀποχ. §. 5. Et §. 59. ὅθεν καὶ θυσίαι, καὶ θυηλαὶ, καὶ θυμέλαι ἐκαλοῦντο, καὶ αὐτὸ τὸ θύειν τοῦ θυμιᾶν εἴχετο, καὶ τὸ νῦν παρ' ἡμῖν λεγομένου ἐπιθύειν· ὃ γὰρ ἡμεῖς θύειν λέγομεν, ἔρδειν ἔλεγον.

Antequàm verò intentiori oculô ſacrificia ἄκαπνα, & oblationes frugum, earumque in ſacrificiis uſum, luſtremus; notandum priùs: I. *Frugum* nomine non ſolùm hic nobis venire frumenta & legumina, ſed etiam reditus ex iis. Item ex vino, ſilvis, cæduis, lapicidinis &c. quô ſenſu vox *frugum* accipitur L. 77. ff. de V. S. II. ἄκαπνα θύεσθαι id eſt *ſacrificare ſine fumo* aliàs Poëtas & Cantores dici; & intelligi de iis tantùm, qui lautè epulantur nullô ſuô ſumtu: Hinc & de talibus dicitur, quòd *Muſicè*, item *Tibicinis vitam vivant*. Videatur doctorum coryphæus Caſaubonus ad Athenæum, lib. I. c. VIII. Eraſmus in Chil. III. Non prætermittendus obferendi modus. Non enim omnia comburebantur; ſed plurima tantùm ante ſimulacra deorum ſuſpendebantur, vel aris eorum in lancibus imponebantur; quas ita refertas variarum rerum copiâ *lances ſaturas*, vel ſimpliciter *ſaturas* adpellârunt. Vide Caſaub. lib. II. de

Satyr.

Satyr. Poës. c. IV. C. J. Scaligerum, Poët. lib. I. c. XII. Becmannum in origg. L. L. voc. ſatio: Rivinum prologiô ad Lanc. Satur. Addantur Fabius lib. X. Inſt c. I. Pithœi conjećt. in Petron. Petrus Danielis in not. in eumd. &, quem mſ. citat. Georg. Erhardus, Sæbius Janens in ſatt. PersI. Exiit poſteà in proverbium *quaſi per ſaturam colligere*; cujus mentionem facit ſacratiſſimus Imperator Juſtinianus præf. in Inſt. ad Anteceſſ. de ratione ac methodo docendi Juris; Et nos de eo prolixiùs alibi, ſi fatis videbitur. Obſervanda IV. *ponere*, *imponere*, *anteponere*, & Græcorum θέϛϑαι & ἀναθέϛϑαι, (unde ἀναθήματα) verba in ſacris ſolemnia: de quibus legi poteſt Muretus comm. in Tibull. ἀπάρχεϛϑαι erat ἄργματα vel ἀπαρχὰς ſolvere, id eſt primitias libare: Feſtaque, quibus id fiebat, ἐξητήρια dicebantur.

Baccho exhibebant hederam. Scalig. poët. lib. I. c. XXI. Palidi incendebant fœnum. Perſius, *fumoſa Palilia fœno*; Sat. I. v. 72. Item oleam, laurum, liba de milio, & alias herbas. Ovidius:

Ure mares oleas tædamque herbaſque Sabinas;
Et crepet in mediis laurus aduſta focis.
Libaque de milio milii fiſcella ſequatur.

lib. IV. Faſt. v. 741.

χύτροι fuit Athenienſium feſtum, in quo omne genus ſeminum in olla coquebant. Apollini quoque & Dianæ Aprili menſe frugum primitiæ coctæ ſunt. Suidas, voc. θαργήλια. Cereri vernô tempore virentem herbam & frugum primitias cum luſu & gaudio ſacrificatam, docet Phurnutus de N. D. c. XXVII. & indicat Naſo, lib. VIII. Metam. v. 274. *Primitias fru-*

frugum Cereri, ſua vina Lyæo. & lib. X. v. 431.

Feſta piæ Cereris celebrabant annua matres
Iſtâ, quibus niveâ velata corpora veſte
Primitias frugum dant ſpicea ſerta ſuarum.

Vnde *Cereris* nomen quidam deducunt ab גרש quod eſt frumentum contuſum ſive contritum; alii ab חרש arare; alii â Gerendo, quòd fruges gerat; alii â Cerendo, voce Oſcâ, quod eſt creare. Differentiam verò Choulius conſtituit inter Cereris ſive Terræ & aliorum deorum ſacrificia; quòd his ſacrificaretur thure & bonis odoribus; at illis, præter hæc, etiam ſubſumigatione ſeminum. Verba ejus ſunt: *Et au lieu qu' aux autres Dieux & Deeſſes eſtoyent faicts ſacrifices auecques l' encens & bonnes ſenteurs: à la Terre eſtoyent faicts perfums & fumigations de toutes les ſemences que lon â accouſtume de ſemer: oultre toutes fois la febue & les choſes aromatiques;* p. 143. Herculi decimas frugum conſecrârunt, cujus aliquot cauſſæ exſtant apud Plutarchum, probl. XVIII: Sed de primitiis & decimis, cùm primis, tum ſecundis, vide Caſaub. exerc. I. ſect. 9. Cl. Friſchmuth diſſ. ſingulari de Decimis, Car. Sigonium de R. E. lib. IV. c. XV. Dion. Voſſium ad Maim. de Idol. c. IV. §. 15.

Inter herbas præcipua erat VERBENA, quæ vox interdum omnes frondes ſacratas ſignificabat (veluti & *Sabina herba*) Interdum herbam certam, quam Græci adpellitant ἱεροβότανον, aliqui περιστέρεον, Latini *Verbenacam Columbinam*, *Vertipedium*, *Betonicam*, *Cincinnalem*, *Militarem*, *Liciniam*, *Saguntalem*; Aëtius *Herbam Veneris*; Germani das Eiſenkraut.

Hinc

Hinc intelligitur Servius: *Myrtus inter verbenas eſt, & Marti ſacra:* ad lib. III. Aen. eam non ſolùm manibus geſtabant ſacri ficantes. Marcellinus: *Linteis quidam indumentis amictus verbenas felicis arboris geſtans*; lib. XXIX. c. I. Ipſaque coronabantur. Virgilius: *Velati lino & verbenâ tempora vincti*, lib. XII. Aen. v. 120. Ad quæ Servius: *Verbena propriè eſt herba ſacra, ſumta de loco ſacro Capitolii, quâ coronabantur Feciales, & pater patratus, fœdera facturi, vel bella indicturi: Abuſivè tamen etiam verbenas vocamus omnes frondes ſacratas, ut eſt laurus, oliva, vel myrtus &c.* Sed & illam Diis obſerebant & concremabant. Svetonius: *Cùm ſe convertiſſet, verbenas, coronaſque & panificia Baſilides obtuliſſe ei viſus eſt*; in Veſp. Flav. c. VII. Arnobius: *Quænam illa, quæſo, divina res fuit, quæ ab impetu rerum tanto Jovem compulit avocari, & mortalium ſeſe denunciationibus ſiſtere? mola ſalſa, thus, verbenarum ſuffitio &c.* lib. V. adverſ. gent. Virgil. *Verbenaſque adole pingues, & maſcula thura*; eclog. VIII. v. 65. Horat. *Hîc verbenas pueri ponite, thuraque*; lib. I. od. XIX. v. 15. Ovidius:

Verbenas improba carpſit,
Quas pia Dîs ruris ferre ſolebat anus.

lib. I. Faſt. v. 381.

Nec non aras verbenis redimebant. Horat. *Ara caſtis Vincta verbenis*; lib. IV. od. XI. v. 6. 7. Terentius: *Ex ara hîc ſume verbenas tibi*; Andr. IV. III. II. Ad quæ Donatus: *quaſi herbenæ, redimicula ſunt ararum.* Et poſt pauca: *Verbenæ ſunt omnes herbæ & frondes, quæ feſtæ ad aras coronandas: vel omnes herbæ frondeſque ex aliquo loco purè decerptæ. Verbenæ au-*

autem dicta quaſi herbena, in ſcholiis. Eadem habet Gvido, qui Donati vel omnia verba per omnes Terentii Comœdias compilavit. Ea, qualia hodie circumferuntur, Donati propria eſſe, fortiter negat Janus Parrhaſius, qui dum confuſum in iis chaos oſtendere ſtudet, inter alios hunc ipſum locum adducit, epiſt. antepenult. De verbena vide Wouwerium not. in Petron.

Ex ARBORIBUS dabantur diis in aram rami ſimplices, frondeſque prout cuique Deorum adſignatæ erant, id quod Soli ſummô mane verſus Orientem apud Gentiles factum, adoſculatâ manu, teſtatur Alex. ab Alex. gen. dierum lib. IV. c. XVII. Plumbeus iſte Auſter peſtilentem hanc rubiginem Judæis quoque adflavit, ut Solem eôdem ritu colerent; qui tangi videtur Ezech. VIII. 16. 17. Sed de hoc alibi. Refert certè de illis homo Ethnicus Plutarchus: *ἔστι δὲ κραδηφορία τις ἑορτὴ καὶ θυρσοφορία παρ' αὐτοῖς ἐν ᾗ θύρσους ἔχοντες εἰς τὸ ἱερὸν εἰσιᾶσιν. εἰσελθόντες δὲ, ὅ τι δρῶσιν, οὐκ ἴσμεν· εἰκὸς δὲ βακχείαν εἶναι τὰ ποιούμενα*; Symp. lib. IV. n. 5. Idololatræ illi inter Judæos, & Solis cultores, *Heliognoſtici*, & *Solicolæ*, & â Philaſtrio *Devictiaci* nominantur; quales Chriſtiani quoque exiſtimabantur eſſe, quoniam ad Orientem precabantur. Orta tamen fuit apud eos mox Priſcillianiſtarum ſecta, cujus cauſſâ Leo morem illum orandi ad Orientem penitus abolere niſus eſt. Vide D. Hildebr. Ritual. orant. c. I. §. 11. & ſeqq. Cùm quernos fructus homines comederent, eoſdem ac quernas frondes diis ſacrificabant: Unde in proverbium abiit: *ἄλις δρυός*. Vide Porphyr. *περὶ ἀποχῆς*, lib. II. §. 5. Apolli-

pollinem laurô præprimis venerabantur, ex cujus uſtione auſpicia capiebant. Seneca, *Hoc me Delphica laurus monent*; Oed. Actu I. ſc. I. v. 16. & Actu II. ſc. I. v. 228. *Imminens Phœbea laurus tremuit & movit domum.* Venerem faſciculis myrtorum juncô conligatis: Taubm. in Plaut. Rud. II. IV. 27. Evolve Plinium, H. N. lib. XV. c. XXIX. De Venere myrtea ſive Murtia vide Plutarchum, probl. XX. cum notis Guilelmi Xylandri. Contra verò myrtum in ſacris Bonæ deæ habere vetitum erat. Arnob. lib. VI. adverſ. Gent. Ejus cauſſam vide apud Plutarchum, l. c.

FLORES diis obferebant; vel tantùm ſimplices. Horat. *Martiis cœlebs quid agam Calendis, Quid velint flores.* lib. III. od. VIII. v. 1. Idem: *Non ſine floribus cras donaberis hœdô*; od. XIII. v. 3. Veneri roſa ſacra erat, ac ubi dea pedes poſuit, ibi continuò roſarum flores effloruerunt, ipſaque roſa unà cum Venere nata fuit. Vide Anacreont. Heſiod. in Theogon. Achill. Tatium, lib. II. de L. & C. Auguſtus apud Svetonium *compitales Lares ornare bis annô inſtituit vernis floribus & æſtivis*; c. XXXI. Inprimis Genio flores dabant cum vino. Horat. *Tellurem porcô Sylvanum lacte piabant. Floribus & vinô Genium*; lib. II. epiſt. I. v. 143. Vel coronis intextos, à quibus frondes arboreæ non excludebantur.

CORONAE eô tempore Diis dari cœpêre, quô Lares coli; qui Serviô Tulliô regnante, publicè & privatim primùm adorabantur, quoniam ille ex Lare conceptus putabatur; adparente matri ejus Ocreſtæ ad focum ſedenti in cineribus genitali (unde ſtatim gravida facta dicitur) ac in Servi jam nati capite flammâ.

flammâ. *Jam tunc*, ait Plinius, *coronæ deorum honos erant, & Larium publicorum privatorumque*; lib. XXI. c. III. Tibullus, lib. II. El. I. v. 59.

Rure puer vernô primùm de flore coronam
Fecit, & antiquis impoſuit Laribus.

Lar, apud Plautum de Virg.

Dat mihi coronas.

Aul. prol. v. 25. Juvenalis, Sat. XI. v. 137.

O parvi noſtrique Lares, quos thure minutô,
Aut farre, aut tenui ſoleo exornare coronâ.

Et Sat. XII. v. 87.

Inde domum repetam, graciles ubi parva coronas
Accipiunt fragili ſimulacra nitentia fumô:
Hic noſtrum placabo Jovem, Laribusque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.

Has Larium coronas in Græcia è platano, in Latio è ſpicis & ariſtis fuiſſe contextas, probat Taubman. in Trin. Plaut. I. II. princ. Et colligere eſt ex Tibullo, lib. I. El. X. v. 19.

Cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde deus.
Hìc placatus erat, ſeu quis libaverit uvam,
Seu dederat ſanctæ ſpicea ſerta comæ.

Vide Voſſium de Idol. lib. I. c. XI. Lares autem ita coronati *Ornati dii* vocabantur. Sed & ceteris adponebantur diis, Arnobius: *Etiam dii ſertis coronis adficiuntur & floribus*; lib. VII. Horatius: *Parvos coronantem marinô Rore deos, fragilique myrtô*; lib. III. Od. XXIII. v. 15. Lucanus: *Sed dum thura ferunt, dum laurea ſerta tonanti*; lib. VII. Pharſ. v. 42. Prudentius: *Cæſarum ſangvis pecudum, verbena, corona*; in apoth. v. 541. Probus apud Vopiſcum: *Coronas Jovi Opt. Max. ceterisque Dis dea-*

buſque conſecratæ; c. XV. Apulejus in aſinum verſus deæ Hipponæ, *recentibus corollis roſeis ornato inhiat ſimulacro*; lib. III. Metam. De Athenienſium more vide Suidam voc. εἰρεσιώνη. Puellæ, Veneri militantes, langvidas corollas capiti demere, deoque alicui obferre ſolebant. Idem meretriculas ſervâſſe, Lipſius putat, ut quoties penſum abſolviſſent, aut quot itinera, ut Propertius loquitur, unâ nocte confeciſſent, tot coronas ludicro cuipiam & minorum gentium deo donarent, puta Trephallo, Marſyæ, Hermæ, & talibus; lib. III. A. L. Quales autem flores ſeu coronæ ſingulis diis conſecratæ fuerint, vide apud Ant. Thyleſium, & Paſchalium de coronis. Et quamvis coronæ nulli olim, niſi diis tantùm datæ, adſeverante Pliniô, H. N. lib. XVI. c. IV. Tamen poſtmodùm eas benè meriti quoque viri virtutibus illuſtres accepêre; item lapides; necnon amicarum poſtes. Tibullus: *Cum poſti florida ſerta darem*, lib. I. El. II. v. 14. Vide notas Mureti.

Inprimis flores & coronæ ad mortuorum ſacrificia adferebantur, eæque vel roſeæ, vel cupreſſinæ. Virg. lib. III. Aen. v. 63.

Adgeritur tumulo tellus, ſtant manibus aræ
Cœruleis mœſtæ vittis atrâque cupreſſo.

Id. V. Aen. v. 75.

- - - - - - *Ibat*
Ad tumulum magnâ medius ſtipante catervâ:
Hic duo ritè mero libans carcheſia Baccho,
Purpureoſque jacit flores.

Horat. lib. II. od. XIV. v. 21.

Linquenda tellus, & domus, & placens
Uxor: neque harum, quas colis, arborum

Te,

Te, præter inviſas cupreſſos,

Ulla brevem dominum ſequetur.

In lapide Ravennenſi: QVOTANNIS. ROSAS. AD. MONUMENTUM. EIUS. DEFERANT. In inſcribtione Comi manca & obſoleta hæc habentur: ITEM. CORONAE. MYRT. TERNÆ. ET. TEMPORE. ROSÆ. JUL. TERNAE. EIS. PONANTUR. MICATAE. DESILITIS. EX. ϿϾ. L. PROFUNDANTUR. Romæ ad Horatium della Valle: D. M. CLATIA. MEGISTE. L. SATRIO. BASSO. MIL. LEG. III. CYRENAELCAE. 7. CAPITONIS. CON. B. M. FECIT. ET. SIBI. POSTERISQVE. EORUM. ITU. AMBITU. CORONARE. SACRIFICARE. Ibid. in vinea JulI. III. Pont. Max. ad viam Flam. QVOTIENS. QVIS. EORUM. SUIS. CORONAS. PONENT. ET. QVOTIENS. QVIS. EORUM. SUIS. CORONAS. PONENT. ET. ARAM. NOSTRAM. CORONENT. Præneſte in Latio in palatio Epiſcopi.

OMNIBUS. HIC. ANNIS. VOTORUM. MORE. SUORUM.

CERTENAS. ADICIT. NUMERO. CREECENTE. CORONAS.

Inſcribtio alia:

SERVILIA. EIRENE. REVERENS. PIA. CASTA. PUDICA

BIS. QVINOS. DENOS. ET. SEX. PROVECTA. PER. ANNOS

SIT. TIBI. TERRA. LEVIS. CINERES. QVOQVE. FLORE. TEGANTUR.

Alia:

HERMES. COCCEJAE. NICE.

AETERNAM. TIBI. SEDEM. HERMES. ARAMQVE. DICAVI

NICE. OPTASSEMQVE. UTINAM. TUA. FATA. SUPERSTES
UT. MIHI. TU. FACERES. SED. INIQVA. SORTE. MALIGNE
RAPTA. JACES. ANNIS. JAM. VIDUATA. TUIS
JAM. TIBI. CYBELES. SINT. ET. ROSA. GRATA. DIONES
ET. FLORES. GRATI. NYMFIS. ET. LILIA. SERTA.

Reddebantur diis FRUCTUS variorum generum; inter quos præcipui BACCAE LAURI, OLIVAE, MYRTI & ſimilium; qvod conſtat ex lege illa XII. Tabb. cap. de feriis, tit. de religione: CERTASQVE. FRUGES. CERTASQVE. BACCAS. SACERDOTES. PUBLICE. LIBANTO. Item POMA. Tibullus, lib. I. El. I. v. 13.

Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante Deo.

Jovi pauperes poma pro bove dederunt; unde ζεὺς μηλίχιος dictus. Gebhard. crepund. lib. I. c. IV. Idem Herculi factum Julius Pollux, lib. I. refert, cui Bœoti arietem immolaturi ſeriùs victimam adducentes, ab Aſopo fluvio, ſubitò, ne tranſire poſſunt, adcreſcente, excluduntur. Hoc pueri juxta aram videntes adreptum malum, cui ramos pedum vice ſubdiderunt quatuor, duoſque cornuum locô, ad arietis formam deo immolârunt, quem eô magnoperè delectari credebant. Suidas bovem fuiſſe, eumque profugiſſe adſerit, cum quo conſentit Apollodorus apud Zenodotum, qui addit Herculi ἀλεξικάκῳ ab Athenienſibus eſſe factum. Unde orta proverbia:

μη-

μήλιος ἡρακλῆς, per contemtum de eo, qui nomine eſſet magnificus; reapſe vappa & mendicus. Item Μῆλον ἡρακλῆς, de eo, qui exigua munuſcula boni facit. Et Λοκρικὸς βοῦς de re vili & munere leviculo. Conſule Eraſmum. Propriè in certaminibus Phœbi pomum fuiſſe præmium ſacrum, videre eſt ex Archiæ epigrammate:

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροί.
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων.
Ζηνός, Λητῴδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο·
Ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Erant & inter eos PIRA. Horatius, epod. II. v. 19.

Gaudet inſitiva decerpens pira,
Certantem & uvam purpuræ;
Quâ muneretur te Priape, & te Pater
Silvane, tutor finium!

UVAE. Tibullus, lib. I. El. X. v. 21.

Hic placatus erat, ſeu quis libaverat uvam.

Et el. V. v. 27.

Illa deo ſciet agricola pro vitibus uvam,
Pro ſegete ſpicas, pro grege ferre dapem.

Apud Athenienſes certô feſtô pueri ferebant ὄσχας, i.e. palmites cum racemis in templum Minervæ; inde feſtum ὀσχοφόρια, locus templo propinquus ὀσχοφόριος, & carmina ὀσχοφορικὰ cognominata. Vide Nicandr. interpret. in Alexiph. & qui hinc hauſit ea, Gyrald. ſynt. XVII. FICUS olim Mercurio ſacra erat, eidemque adpendebatur: ex quo proverbium ortum Σῦκον ἐφ' ἑρμῇ, de quo conſulendus Eraſmus. Plura de ficu habes apud Dionyſ. Voſſium ad Maim. de idol. c. IX. §. 6. Erat inter eos CUCURBITAE.

& PAPAVER. Priapus de ſeipſo apud Catullum * carm. XVIII. v. 10.

Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitus & tenerâ virens ſpica mollis ariſtâ:
Lutea viola mihi, luteumque papaver,
Pallentes cucurbita & ſuaveolentia mala,
Uva pampineâ rubens educata ſub umbrâ,

Erant ALLIA, CEPAE, ANETHUM. Columella, lib. de hort. v. 314.

Allia cum cepis, cereale papaver anetho
Jungite, dumque virent, nexos deferte maniplos,
Et celebres Fortis Fortunæ dicite laudes.

In Bacchi κέρνῳ fuiſſe papaver, album triticum, hordeum, piſum, ervum, cicer, lentem, fabam, zeam, avenam, caricas, mel, oleum, vinum, lac, & inlotam ovis lanam, teſtatur Athenæus, lib. II. Vide de his Stuckium, f. 49. Apud Ebræos עשא fuêre מוכססין genus fructuum præſtantium, quos ſolebant ſuſpendere ante idola odoris cauſſâ. Abhoda ſarah, f. 14. In Aruch מוכססים habetur.

FRUMENTUM, ſpicas, triticum, & talia, ſanctiſſimo Jehovæ exhibita, legimus Lev. II. R. Salom. Ebræorum ſacrificium, quod dicebatur Mincha, in hunc modum, deſcribit: כל דבר הבא מן תבואה בכלל מנחה הוא i. e. *Quodcumque venit ex proventu frumenti in ge-*

* In Plantiniana editione Epigr. XVIII. XIX. & XX. adduntur Catullo, ſicuti & in Trajectina, quæ è Muſeo Simonis Abbes Gabbema prodiit annô 659. in 8t. & in Aldina Mureti M.D LVIII. in 8t. Item in recentiore Trajectina CIↃ IↃ C LXXX. in 8t. At leguntur aliàs in Catalectis Virgilii, quare & omiſſa ſunt in editione Francofurt. M. DC. XXI. in 8t.

genere, id Mincha dicitur; in Levit. XXIV. 9. Gentiles frumentum Veneri dabant elixum, quòd hoc excitat ad Venerem. Suidas voc. ἑφθοὶ πυροί. Hordeum in libationibus adfundebant, illudque ὀλοθυτεῖν dicebant. Idem. Ante ſacrificium quoque hordeum ſale conſperſum, ſiligo vel placentulæ aris imponebantur, aut vaporatio thuris fiebat; quæ omnia προθύματα vocabantur, Cœlius, L. A. lib. XII. c. I. Sed Choulius frugis primitias ita nuncupatas contendit; p. 301. Hordei illius & frumenti ſacri conlectores *paraſiti* audiebant, ut prodidit Crates; locuſque in quo illud recondebatur, *paraſition*. Vide Scalig. Poët. lib. I. c. XIV. Poſteà & frumenta molebant, ex iiſque molitis farinam obferri jubebantur certâ lege: Μὴ θύειν ἄπερ ἀλφίτων. Quâ etiam tanquàm ſymbolô Pythagoras ſignificabat, mundos & mente candidâ ac expurgatâ conſcientiâ oportere ſacrificare. Illa tamen farina plerumque oleo & vino miſcebatur. Suidas voc. θυλήματα. Spectat huc MOLA SALSA (de qua nos pluribus c. XVIII. p. 379.) i. e. hordei integræ fruges cum ſale mixtæ: vel, ut deſcribit Iſo Magiſter, Prudentii gloſſator, ſacrificii genus ex farre & ſale; dicta Ebræis מנחה Græcis ὀλοχυτῲ & ὀλοχύτοι. De ea integra Numæ hæc Lex extat: DIS. FRUGE. ET. MOLA. SALSA. SUPPLICANTO. Prudentius, lib. II. contra Symm. v. 23.

Non aris, non farre molæ victoria felix
Exorata venit. - - - -

Cauſſam, cur mola ſalſa ad ſacrificia fuerit adhibita? hanc dat Choulius: *Les grains de l'orge ſe nommoyent* ὄλαι & ὀλοχυτῲ, *quand ils eſtoyent mes. Jez aucques le ſel* (ſic miſcellaneam intelligunt Græci ex

hordeo & ſale materiam) *qui ſe mangeoyent tous entiers au commencement, autant que l'uſage de mouldre fuſt trouvé*; p. 307. Vide de mola ſalſa Plinium, H. N. lib. XII. c. XVIII. Clauderum de ſale, c. III. Meminit ejus etiam Porphyrius: τοῦ γὰρ Δημητρείου καρποῦ μετὰ τὴν χέδροπα πρώτου φανέντος κριθῶν πάντως ἀπ' ἀρχῆς μὲν οὐλοχυτεῖτο κατὰ τὰς πρώτας θυσίας τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος. Et paullò pòſt. Τοῦ δ' ἀληλεσμένου βίου παρὰ τὸ πρόσθεν μακαρισθέντος, ἀπήρξαντό τε τῆς ψαισθείσης τροφῆς πρῶτον εἰς πῦρ τοῖς θεοῖς. ὅθεν ἔτι καὶ νῦν πρὸς τῷ τέλει τῶν θυηλῶν, τοῖς ψαισθεῖσι θυλήμασι χρώμεθα; lib. II. περὶ ἀποχῆς, §. 6.

Ex farina, ſale, & talibus, varia placentarum ac liborum (unde Stuckio nomen *Liberi* id eſt Bacchi; & vox Ein Laib / intelligi panis) genera ad ſacra conficiebantur, quorum apud deos æſtimationem valdè prædicat Porphyrius, lib. II. περὶ ἀποχῆς, §. 15. & ſeqq. Ovidius, lib. I. Faſt. v. 127.

- - *Cùm Cereale Sacerdos*
Imponit libum, farraque mixta ſale.

Idem, lib. IV. Faſt. v. 743.

Libaque de milio milii fiſcella ſequatur,
Ruſtica præcipuè eſt hôc dea læta cibô.

Juvenalis de terminalibus, Sat. XVI. v. 39.

Sacrum effodit medio de limite ſaxum,
Quod mea cum vetulo coluit plus annua libo.

De iiſdem Dionyſius Halicarn. *Pompilius juſſit unumquemque circumſcribere fundos ſuos, ſacroſque finibus lapides adponere, lapideſque ipſos ſacravit Jovi terminali &c. ſacrificabantque non animatum aliquid, neque enim pium eſt cruentare lapides; ſed pultes, & liba, & alias quaſdam fructuum primitias*; lib. II. Eadem

dem terminalium ſacrificia *ἀναίμακτα* facit Plutarch. probl. XV. Sed magnô impetu contra probatum eunt Propertius, qui ſcribit: *Parva ſaginati luſtrabant compita porci*; lib. IV. El. I. v. 23. & Horatius, apud quem exſtat *agna feſtis cæſa terminalibus*; epod. II. v. 59. Ita apud Ebræos in ſacrificio jugi inter alia decima pars Similæ id eſt Gomer obſerebatur, quæ eſt decima pars Ephæ. Videatur Waſerus, lib. II. antiq. menſurarum, c. III. Apud Jeremiam, c. VII. 18. ſunt כונים id eſt placentæ, formam reginæ cælorum referentes, ut ſcribit Salomon Jarchi. Vide Hildebr. diſſ. de err. circa Deum obortis. Apud Juſtinum *Metapontini, cognitô oraculô deorum, occupandam manium & deæ pacem rati, juvenibus modica & lapidea ſimulcra ponunt, & deam paniſiciis placant*; lib. XX. c. II. Inter Ebræorum מנחות erant לחם הפנים בעצרת שתי הלחם שבתות *duo panes feſto propoſitionis diebus ſabbati deſtinati.* De poſterioribus his peculiare præceptum affirmativum, de quo vide CL. Hottingerum de Jur. Ebr. lege XCVI. Obſerebantur apud eoſdem & frixa, החביתים dicta, quorum mentio fit in Joma, c. II. §. 3. Tamid. c. I. & 1. Paralip. IX. (al. X.) 31. ubi vulgata vertit: *Præfectus erat eorum, quæ in ſartagine frigebantur.* Lutherus: Waren vertrauet die Pfannen; per metonymiam ſcil. ſubjecti: quô etiam ſenſu verſionem hanc accipere potuiſſet Sheringham, qui tamen eam admodùm flagellat. Arias Montanus interpretatur *opus ſartaginum*: Piſcator *Opus cacaborum.* Quamvis oppidò diſtincta fuerint מנחת החבת *munus ſartaginis*, & מנחת המרחשת *munus cacabi*; quod conſtare poteſt ex R. Levi Barſelonitæ Chinnuk. Apud Gentiles, è cujus domo animal non procedebat, taurum

è farina vel etiam cerâ fictum ad aras producebat, qui βοῦς ἕϐδομος, item θύανος dicebatur. Suidas. Talem ex farina bovem immolavit Pythogoras, cùm reperîſſet latus ſubtenſum trianguli, rectanguli lateribus æquivalere, quod in ejus vita refert Porphyrius: ἐβουθύτησε δέ ποτε ςαίτινον, ὥς φασι. βοῦν, οἱ ἀκριϐέστεροι. ἐξευρὼν τ' ὀρθογωνίου τὴν ὑποτείνουσαν ἴσον δυναμένην ταῖς περιεχούσαις. Hujuſmodi incruentæ, viles, & ſine carnibus hoſtiæ ab Ariſtophane vocantur *Victima nulla præter barbas & cornua.* Suidas voc. θύματα. Aliàs φαυλητῶν θύματα. Idem voc. φαῦλις. Libis autem illis ſacris interdum aliquid mellis additum deprehendimus. Tibullus, lib. I. El. VII. v. 53.

- - - Tibi, dum thuris honores,

Liba & Mopſopio dulcia melle feram.

Quùm & mel ſeorſim diis datum fuerit. Plato: θύματά τε οὐκ ἦν τοῖς θεοῖς ζῶα. πελανοὶ δ' καὶ μέλιτι καρποὶ δεδευμένοι καὶ τοιαῦτα ἄλλα ἁγνὰ θύματα; lib. VI. de Ll. Steſichorus in ἄθλοις: φέρεσθε τῇ παρθένῳ καὶ μέλι χλωρόν; apud Athen. Etiam in favis. Ovidius, lib. II. Faſt. v. 652. *Porricit inciſos filia parva favos.* Tibullus, lib. I. El. X. v. 23.

Atque aliquis voti compos liba ipſe ferebat;

Poſtque comes purum filia parva favum.

In enumeratione liborum obveniunt nobis θυλήματα ſive θυήματα. id eſt farra melle imbuta; quamvis & ſuffimenta aliquando vocibus iſtis inſigniantur apud Heſychium φθοΐδες & ψεστά, placentæ ſubactæ farinâ, oleô & vinô, quas aliquando bos devoravit. Suidas voc. βουφόνια. Πίτυρα, quæ alius ait eſſe furfures, alius molas ſalſas, θυλήματα, id eſt libamina melle, vinô, ac farinâ confecta. Πόπανον, placentæ

centæ genus, adſerente Suidâ, latum, tenue, rotundum, in ſacrificiis, tradentibus Polluce, & ex Ariſtophane Merulâ, uſitatiſſimum. Juvenalis: *Scilicet & tenui popano corruptus Oſiris*; Sat. VI. v. 541. *Ferctum.* Perſius: *Attamen hic extis & opimô vincere ferctô Intendit*; Sat. II. v. 48. *Strues*, libi genus, digitorum conjunctorum non admodùm diſſimile, qui ſuperjectâ paniculâ in transverſum continentur. Cato: *Priusquàm porcum feminam immolabis, Jano ſtruem commoveto ſic: Jane Pater te hâc ſtrue commovendâ bonas preces te precor.* Idem de fercto: *Ferctum Jovi moveto & mactato ſic: Jupiter te hoc fercto obmovendo &c.* de R. R. c. CXXXIV. Conjungebantur enim ut plurimùm ferctum & ſtrues in ſacrificiis; quæ, qui ferebant, *Struferarii*, vel, ut alii volunt, *Struferctarii* dicebantur. Vide Turnebum, adverſ. lib. XXI. c. XXI. † Taubmannum in Pſeud. I. I. 107. *Paſtillum*, libi genus ſacri & rotundi. *Farreum*, quod ex farre factum. *Janual*, quod Jano tantummodò libabatur. *Summanalia*, farinacea, in rotæ modum ficta. *Punicum*, à Poenis, aliàs *Probum* dictum; quia præ ceteris ſvaviſſimum. *Secia*, quod in ſacrificiis ſeceſpitâ ſecabatur. *Subucula*, ex alica, oleo, & melle. Vide de his Feſtum, Arnobium, lib. VII. Stuck. f. 9. & 50. Hiſce addantur, *Moretum*, *Cocetum*, *Arculata*, *Africia*, *Gratilla*, *Catumeum*, *Conſpoleum*, *Cubulum*, &c. Bacchi *Obeliophoros*; *Cornuta* Apollinis, Dianæ,

Hecates,

† Seqvutus eſt hîc Taubmannum Dn. Saubertus, ita adducentem Turnebum, in cujus tamen iſto qvidem loco tale qvid reperire non potui. Aliqvod huc ſpectans recordor me legiſſe in Turneb. lib. XXVIII. c. XXVIII. ſed hunc locum fortè neuter voluit, ut ego puto.

Hecates, & Lunæ; *Melittuta* TroponI, &c: de quibus Athenæus & Pollux. Germani Deo Svantevito obtulêre placentam formâ rotundâ, eâ magnitudine, ut poſt eam homo latere potuerit. Munſter. lib. III. Coſmogr. Pertinent huc frumen & fitilla, pultium genera, ſed diverſa, Diis coctarum; quas memorat Arnobius, l. c. Hujus etiam Seneca mentionem injicit: *Itaque boni etiam farre ac fitillâ religioſi ſunt*; de benef. lib. I. c. VI. quem locum ita Mureti ſpongia mundavit, V. L. lib. XII. c. I. & not. in Sen. cùm priùs legeretur, *fritillâ*, *fatilla*, *futilla*, *ficiola*, *ficilla*, *fictili*, *frivolis*, *ſuilla*, *fame ac ſi ulla*, *&c.*

Neque SAL modò ad molam ſalſam, liba, & placentas; ſed & ſingulatim ad ſacrificandum uſurpabatur, unde ab Homero ſal θεῖος, Iliad. I. & à Platone θεοφιλὲς in Timæo audit. Prudentius: *Si modicum ſalis eminulis Turis & exiguum digitis, Tangere virgo benigna velis*; Hym. IV. περὶ στεφ. v. 122. Idem: *Ridiculosque deos venerans ſale, ceſpite, thure.* In Apoth. v. 178. Ovidius, lib. I. Faſt. v. 337.

Ante, Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica ſalis.

Sal rufus proprius erat Veſtæ, ut notat Thom. Dempſterus ad Roſinum ex Gyraldi ſynt. XVII. Rationem obſerendi Salis hanc præbet Choulius: *Le ſel ſe jettoit par deſſus, non pour la naturelle fertilité, ou pour rendre graces aux Dieux de leur nourriture, mais pour ce que c'eſtoit le ſymbole d'amytié*; p. 307. Hanc ulteriùs ita inluſtrat Cælius; lib XII. c. I. *quia amicitiæ perpetuæ ſymbolum ſit ſal; & hoc, quia ſal rebus corruptibilibus durationem tribuit.* Vide Gonzalem de Miedies tr. de Sale. Unde in omnibus fœderibus ſal

ad-

adhibitum, Oleaſter docet. Et illud Pythagoræ ſymbolum notandum: *Sal adponendus*; de quo videndi explicatores Symbol. Pythag. Ob hanc Salis durabilitatem, ſunt, qui illud, *Uxorem Lotht verſam in ſtatuam ſalis*, Geneſ. XIX. 27. * dictum autument, immutatam eſſe in rem incorruptibilem & in æternum permanſuram: Alii de ſtatua admiratione digna intelligunt: Alii de portento, cujus intuitu nos ſapere diſcamus, quia ſal ſapientiæ ſymbolum. Alii putant eſſe ſalem metallicum, ab omni imbre intemeratum, pro ſaxis domibus ædificandis idoneum, de quo Plinius, lib. XXXI. c. VII. Verum tamen fuiſſe ſalem, docent Philo, R. Benjamin, & Joſephus hiſtoricus; eumque non molem indigeſtam (quamvis in Ebræico exſtet נציב, *cumulus*, *acervus*; & Severus Sulpitius, lib. I. c. X. *in molem verſam*, adſerat) verùm columnam & ſtatuam, quæ muliebria lineamenta retinuerit, &, quod planè auditu ſtupendum, muliebria naturalia, & adfectiones præter Salom. Sap. X. 7. LXX. Interpretes, Chaldæum, Joſephum, alios, etiam adfirmat Claudius Victor, lib. III. in Gen. Vide Hiſpanum doctiſſimum, & penitus admirabilem Martinum Del-Rio, adag. V. T. XXVI. Quæritur autem an ſtatua illa ſupermanſerit, & hodienum exſtet? Nicolaus Princeps Radzivilus negat: *Nam diligenter, inquit, ex Arabe noſtro, ceteriſque qui loca habent explorata, quæſivi, qui conſtanter adfirmabant, nihil ſimile illic reperiri*; in Itiner. Et frater Angelus Monachus refert, *mul-*

* Vide de ſtatua ſalis, & Lothi ex Sodoma egreſſu Noſtrum Saubertum in Palæſtra Theologico-Philologica, p. 232. ſ.

multos Europæos ſuô tempore ſtatuam quæſiviſſe, nec reperiſſe. Cùm vero Targum Hieroſolymitanum duraturam eam dicat, uſque ad reſurgentem dominum; cauſſam fortè, quare quibuſdam reperta non ſit, hanc dabimus ex Anſelmo Monacho, cujus en verba: *In littore Orientali maris mortui ſita eſt Segor in parte Arabiæ, ubi eſt ſtatua ſalis: in quam converſa eſt uxor Loth, ad quam videndam periculoſus eſt adſcenſus propter Madianitas ibidem commorantes, qui nemini parcunt, & ſæpe, ut dicunt, mare creſcit tantum ex tumefactione, quod cooperitur tota ſtatua, & non videtur; aliquando tamen decreſcit, quod videtur ad pectus & genua.* Certò enim viſam ſuô tempore, ſcribunt Brochardus, Adrichomius, Bredembachius, Salignacus, & alii. Sedulius:

Dum reſpicit uxor
In ſtatuam mutata ſalis; ſtupefacta, remanſit
Ad pœnam converſa ſuam.

Tertullianus, Carmine de Sodoma:

Ipſaque imago ſibi formam ſine corpore ſervans.
Durat adhuc. Et enim nudâ ſtatione ſub æthrâ
Nec pluviis dilabſa ſitu, nec diruta ventis:
Quin etiam, ſi quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.
Dicitur & vivens aliô jam corpore ſexus
Munificos ſolitô diſpungere ſangvine menſes.

Irenæus: *Uxor remanſit in Sodomis, jam non caro corruptibilis, ſed ſtatua ſalis ſemper manens: & per naturalia, ea, quæ ſunt conſvetudinis hominis, oſtendens*; lib. IV. c. LI. Epiphanius Monachus: *Ad ripam maris mortui circiter duobus millibus paſſuum, uxor Loth ſtat inſtar columnæ ſalis, retrò adſpiciens;*
in

in Itiner. Beatus Antonius Martyr: *Exeuntes de Jericho venimus contra Occidentem in ſiniſtra parte, & intravimus villas Sodomæ & Gomorrhæ. Super illam provinciam deſcendit ſemper obſcura nubes, cum odore ſulfureo; Quòd verò dicunt de uxore Loth, quòd lingendo ab animalibus minuatur, mendacium eſt; ſed ſtat in ſtatu, quô fuit*; in Itiner. Verùm hæc de his dicta ſufficiant. Nos ad priora redibimus, & aliam quoque uſus ſalis in ſacris cauſſam de noſtro dabimus: ut ſcil. *Puritatem*, quam omnibus modis in ſacrificiis præ ſe ferre tendebant, oſtenderent; qualem ſali ſummam veteres tribuebant. Ovidius: * *Mica ſalis puri pacificabat heros.* Item: *Far erat & puri lucida mica ſalis*; lib. I. Faſt. v. 338. Perſius: *Purum & ſine labe ſalinum*; Sat. III. v. 25. Catullus: *Quod culus tibi purior ſalillô*; epigr. XXIII. v. 19. Vide not. Mureti in h. I. quod Poëtæ, *Purior ſalillô*, de re inculpata proverbii vicem præbuit. Vide Hadr. Junium, cent. V. adag. LXXI. Adi Dion. Lambinum in l. c. HoratI, Caſaubonum, not. ad Perſium. Eraſmum in Chiliadd. Gvalt. Chabotium, not ad Horat. Salmuth. ad Pancirollum, T. I. tit. 34.

Judæi omnibus ſacrificiis. ut corollarium, addiderunt partem ſimilæ, olei, vini, thuris, ac ſalis; ſalemque etiam hoſtiæ impoſuerunt. Vide Levit. II. 13. c. VII. 12. Exod. XXIX. 40. & ſeq. Num. XV. 3. & ſeqq. Eſræ VI. 9. & ſeq. c. VII. 22. Ezech. XLIII. 24. Ejus hanc ſuppeditat cauſſam Rabbi Salomo: *Aquis terreſtribrus ægrè ferentibus ſe à cæleſtibus*

* Hunc locum in Ovidio adhuc quæro.

bus ſeparari per interjectum firmamentum, promiſſum à DEO fuiſſe, illarum olim uſum fore ſacrum. Ex aquis autem eſt ſal. Fabula, ſi cui placeat, non injucunda. Rabbi Moſes in More Nebochim, part. III. c. XLVI. ideò DEUM præcepiſſe ait, ut ſalem adhiberent, quia idololatræ eum non uſurpârint. Sed ex ſuperioribus noſtris manifeſtò confunditur. Quantò majorem Abravanel inter Ebræos fidem, non ſolùm apud Cl. l' Empereur not. ad Cod. Middoth, ſed & alios, meretur? qui propterea hoſtiam ſale conſperſam edocet, quoniam caro ſalita non putreſcit, ſed conſervatur; præterea grata eſt comedentibus eam: at quæ inſulſa eſt, nec ſalita, ejus uſus reſpuitur. Idem S. Salvator innuit Matth. V. 13. Marc. IX. v. 49. & 50. Et Apoſtolus Magnus Coloſſ. IV. 6. Unde proverbium illud. *Quod ſal carni*, de quo videndus Hadr. Junius, cent. VII. adag. LXXXII. Et aliud Rabbinorum in Nidda, f. 31. פרץ מלחא ושדי בשרא לכלבא i. e. *Aufer ſalem & projice carnem canibus.* Bonferius in Lev. II. 13. hanc promit rationem, quòd nullum convivium humanum abſque ſale agitetur, ideò nec ſacrificia ceu Dei convivia: Ex quo iterum adagio: *Ne ſalem quidem dederit*, de ſordido & parco. Junius cent. VIII. adag. X. Plures rationes vide apud Philonem de victt. Hieron. lib. II. ep. XIII. ad Ruſt. Joſephum, A. J. lib. III. c. XIII. Joh. Brentium, præf. in Levitic. Joh. Pier. Valerianum, lib. XXXI. Hierogl. Franc. Vatablum ad Levit. II. 13. Maldonatum ad Marc. IX. 50. Martinium, Lex. philol. Matth. Unzerum phyſiol. Sal. c. XXII. L' Empereur cod. Middoth, p. 174. Hottingerum de J.

E. Legib.

E. Legib. CXVII. CXXVII. Adde Plinium, H. N. lib. XXXI. c. VII. Eraſmum proverb. Qui circa ſalem & far. &c. Corn. à lapide in act. Ap. I. 4. & elimatiſſimum ſchediaſma Clauderi de Sale. Saliebant autem in tribus locis: In conclavi ſalis, quod deſcribit cod. Middoth. cap. IV. & ad clivum; & in faſtigio altaris. Cod. Sebach. c. VII. Rambam in More Neboch. lib. III. c. XLVI.

ἁγνὰ θύματα Thucydides etiam oblationes ex aromatibus vocat & ſimilibus; velut ſangvinaria ſacrificia impura eſſent. Talia erant CINNAMUM vel cinnamomum, CASIA, MYRRHA, CROCUS &c. Porphyrius: *ἤρξατο πρῶτον ἀφ' ἑστίας τοῖς οὐρανίοις θεοῖς θύειν. οὐ σμύρνης, οὐδὲ Κασίας καὶ λιβανωτοῦ κρόκῳ μιχθέντων ἀπαρχάς· (πολλαῖς γὰρ γενεαῖς ὕστερον παρελήφθη καὶ πάντα)* lib. II. *περὶ ἀποχ.* §. 5. Apud Aethiopes cinnamum vel cinnamomum cum Deo, Aſſabino i. e. Sole dividebatur. Plinius, H. N. lib. XII. c. XIX. Theophr. de plantis, lib. IX. c. V. Ovidius, ep. heroid. XVI. v. 333.

Adolebant cinnama flammæ,
Caſiaque ſangvineam victima planget humum.

Lapis Parmæ apud Bellodios.

D. D.
GEMINIAE. P. FIL
MAXIMAE
STATUTA
ODORAMENTA
EX. H-S. ∞ ∞ ∞ ∞
PRIMA. MATER
MISERRIMA

FILIAE. CARISSIMAE

ANN. XVIIII.

De myrrha & ungventis vide Empedoclis verſus apud Prophyrium; lib. II. §. 21. Nam & Dii ungebantur. Prudentius, lib. I. contra Symm. v. 203.

Saxa inlita ceris
Viderat, ungventôque Lares humeſcere nigros.

Tibullus, lib. II. El. II. v. 5. ſ.

Ipſe ſuos genius adſit viſurus honores,
Cui decorent ſanctas mollia ſerta comas.
Illius è puro diſtillent tempora nardo;
Atque ſatur libô ſit, madeatque merô.

Lucianus: Τί ἐκεῖνοι ςεφανȣ̃σι τὰς λίθȣς, καὶ χρίȣσι μύρῳ. Vid. Juſtinum in apol. II. Scipion. Gentilem comm. in Apuleji Apolog. Elmenhorſt. not. in Minucium Felic. Unde planè eluceſcit pientiſſimæ muliérculæ, reſipiſcentis Mariæ Magdalenæ, intentio, pedes Chriſti ungentis, Luc. VII. 38. & alîus, Salvatorem noſtrum ante paſſionem itidem nardô oblinentis, Matth. XXVI. 7. Marc. XIV. 3, & rurſus Mariæ, ſororis Lazari, collyriô ſimiliter, & nardô pedes Chriſti delibutos reddentis, Joh. XII. 3. quô ipſô ſingulæ devotionem ſuam ſummam teſtatum ibant, ut opinatur Chryſoſtomus. Vide Caſaub. exerc. XIV. ſect. 12. Lignorum etiam odoratorum, quæ in ſacrificiis erant, meminit Porphyrius: Πολλοὶ καὶ νῦν ἔτι θύȣσι συγκεκομμένα τῶν εὐωδῶν ξύλων τινά; lib. II. §. 5.

Primum inter aromata ſacra locum habebat THVS, unde *pium*, *ſacrum* & *votivum* dicitur. Adpellatur Ebræis לבונה, Græcis λίβανος & λιβανωτὸς; Germanis Weihrauch/ quaſi fumus ſanctus, vel odoramentum ſacratum: Weihen enim eſt ſacrare, unde Kirchweih/

Weih,

Weihnacht / Weihwaſſer ꝛc. Et Latinis *Thus* quidem à θύω ſacrifico: quod alii à *tundo* derivant, & omiſſâ adſpiratione TUS ſcribunt. Scholiaſta Virgilii: *Tus modò ſine adſpiratione dicimus. Nam antiqui thus dicebant ἀπὸ τῦ θυάσαι, * quod diſplicuit: Thura enim à tundendo dici volunt* i. e. *à glebis tuſis; cum quibus dicitur fluens ex arboribus coaleſcere;* in lib. I. Georg. v. 57. Quid autem Thus ſit, ſatis deſcribit Arnobius: *Nam ne fortè ignoretis, quid, aut unde ſit thus iſtud? Viſcum eſt ex corticibus profluens, ita ut ex amygdalo, ceraſo lacrymabili deſtillatione coaleſcens.* &c. lib. VII. Ejus vaporatio non ſolùm inter προθύματα habebatur: (quò Ovidius reſpicit: *Thura dabat primis & verba precantia flammis;* lib. IX. Metam. v. 159.) Sed & in ipſis ſacrificiis. Lycus apud Plautum, Pœn. II. 1.

Dî illum infelicent omnes, qui poſt hunc diem
Leno ullam Veneri unquàm immolârit hoſtiam;
Quive ullum thuris granum ſacrificaverit.

Ovidius, lib. XIII. Metam. v. 636.

Thure datô flammis, vinôque in thura profuſô;
Cæſarumque boum fibris de more crematis.

Horat. lib. I. od. XXXVI.

Et thure, & fidibus juvat,
Placare, & vituli ſangvine debitô.

Arnobius: *Ac primum illud à vobis iſtô ipſô quærimus percontamurque de thure; unde; aut quô tempore nôſſe illud, aut ſcire poteritis; ut meritò exiſtimetis, aut eſſe diis dandum, aut eorum acceptiſſimum voluntati;* l. c. Inſcribtio: AELIAE. TRYPHOSAE. JUS. SEPULCHRI. POSTERISQ. EJUS. OLLUM. MAGNAM.

* In meis eſt, ἀπὸ τῦ θύειν, quod diis placuit. *Tura enim à tondendo dicta eſſe voluerunt, à glebis tunſis.*

ITEM. THUS. VINUM. FAR. ET. OLEUM. AD. SACRA. PRIVATA. DEDIT. Inprimis autem unà cum coronis & vino, (non tamen excluſis animatis) thus frequens Laris expiatio erat. Lar apud Plautum de Euclionis filia: *Aut thure, aut vinô aut aliquî ſemper ſupplicat*; Aul. prol. v. 24. Prudentius: *Fuliginoſi thure placantur Lares*, Hym. X. al. XIV. περὶ στεφ. v. 261. Tibull. *Reddereque antiquo menſtrua thura Lari*; lib. I. El. III. v. 34. Juvenal. Sat. IX. v. 137.

O parvi noſtrique Lares, quos thure minutô.
Aut farre aut tenui ſoleo exornare coronâ.

Et Sat. XII. v. 89.

Hîc noſtrum placabo Jovem, Laribuſque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.

Marinis verò Diis obſerri thus, Natalis Com. abſurdum putat; Myth. lib. I. c. XI. Vide plura apud Sveton. in Aug. c. XXXV. Macrob. Saturn. lib. II. c. XIII. Briſſon. lib. I. Form. Stuckium de ſacrif. p. 138. & ſeqq. & ſchol. in Arrian. peripl. mar. Erythr. Voſſium, F. in Maim. de Idol. lib. IX. c. VI. De Thuris in vett. Chriſtianorum ſacris accenſione conſulatur D. Hildebrand. in ritual. Orant. c. X. §. 13. Quod ſi Thus deficeret, unctæ accendebantur tædæ. Ovidius, lib. IV. Faſt: v. 409.

Farra deæ, micæque licet ſalientis honorem
detis, & in veteres thurea grana focos.
Et, ſi thura aberunt, unctas accendite tædas.

Huic adde viſcum, Druidis peculiariter in pretio habitum, ſi credamus Plinio; de quo etiam multa Alex. ab. Alex. gen. diernum lib. III. c. XIII. Joh. Picardus Toutrerianus, lib. III. de Celtopæd. Eſaias Pufendorferus de Druid. c. V. Nec Romanorum

norum ſacrificulis incognitum. Arnobius: *Aut enim thus datur, & liquefactum carbonibus diſperit; aut animalis eſt hoſtia, & ab canibus abliguritur ſangvis; aut, ſi aliquod viſcus aris fuerit traditum, ratione ardeſcit pari, & diſſolutum in cinerem labitur;* lib. VII.

Illud, quod in ſacris adolebatur, Thus duplici vindemiâ colligebatur apud gentiles. Prior erat circa canis ortum; poſterior vernô tempore. Vide PlinI H. N. In crematione certa fuêre ſigna, è quibus multa eventura notabant; quod vaticinii genus λιβανομαντεία dictum fuit; de quo Peucerus. Modus obferendi thuris talis erat, ut injecturi in ignem digitis tantùm duobus * primoribus illud tangerent. Lactantius: *Colunt enim thure ac ſummis digitis,* lib. I. c. XX. Adde lib. V. c. XIX. & Hieronym. ep. ad Heliod. Prudent. hym. III. περὶ στεφ. v. 122.

* *Digitis tantùm duobus primoribus*] Id legimus Gentiles apud obſervatum, ut ſummis digitis vel thura obferrent vel fruges. Porphyrius περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, lib. II. ἔφησεν, inqvit, ἡ πυθία τὸν ἑρμιονέα κεχαρῆσθαι, θύσαντα τῶν ψαιστῶν ἐκ τοῦ πηριδίου τοῖς τρισὶ δακτύλοις. *Pythia Hermionea lætatum dum ſacrificaret, placenta fruſtis acceptis è pera tribus digitis.* Hieronymus, Epiſt. I. *Non eſt tantùm in eo ſervitus idoli, ſi qvis duobus digitulis thura comprenſa in buſtum aræ jaciat.* Ovid. II. Faſt. v. 573.

Et digitis tria thura tribus ſub limine ponit.

Propterea dicebat Lactantius in V. de Religione Paganor. c. XIX. *nihil in ea ſe videre aliud, qvàm ritum ad ſolos digitos pertinentem.* Et Seneca Pater negat, eum, cui præciſæ manus ſint, adorare poſſe; non ſolùm ritum hunc reſpiciens, ſed & alios fortè, qvi fuerunt à veteribus in facienda re divina obſervati.

Si modicum ſalis eminulis
Thuris & exiguum digitis
Tangere benigna velis.

Ex quo intelligitur illud laſciviſſimi Martialis in ſpurciſſimo ad uxorem epigrammate CV. lib. XI. v. 11.

Nec motu dignaris opus, nec voce juvare:
Nec digitis, tanquàm thura merumque pares.

Apud Ebræos ad ſuffitum adolendum novi creabantur Sacerdotes ſorte, quæ erat tertia. Joma, c. II. §. 4. cum notis Sheringham. Neque hoc munus ad eum devenire poterat, qui ſemel cô functus eſſet, cujus rationem habes in Gemara ad cit. Miſchnam. פיטום ſive *confectionem ſuffitus*, ex XII. ſpeciebus factam refert Raſchi, qvæ erant: הצרי *reſina preſtans*, הצפורן *onyx*, החלבנה *galbanum*, הלבונה *thus* מר *myrrha*, קציעה *caſia*, שבלת נרד *ſpica nardi*, כרכום *crocus*, קושט *coſtus*, והקלופה *cortex odoratus*, הקנה *calamus odoratus*, והקנמון & *cinnamomum*. ex Tal. Kerithuth. c. 1. Imponebatur autem thus panibus ſacris, ex præcepto DEI, Levit. XXIV. 7. Semperque in feſto inter alios Sacerdotes duo adſtabant, בידם שני בזיכי לבונה של לחם הפנים i. e. *qui manibus tenebant duo vaſcula thuris, quod panibus propoſitionis imponebatur*, l. c. §. 5. Thuribulum verò in templo Hieroſolymitanò ponebant ſuper lapidem, altum ę terra tribus digitis, qui dicebatur, שתייה היתה i. e. *lapis fundationis*. Cod. cit. c. V. §. 2. Hunc DEUM in centro mundi conlocâſſe, ita ut inferius mundi fundamentum fuerit, Rabbini fabulantur. Vide de ſuffimenti oblatione Joma, c. IV. §. 4. & c. V. In ea opus erat pugillatione certâ, quæ omnium difficilima, cujus modum tibi largitur Gemara, non Hieroſo-

roſolymitana illa, ſed Babylonica, ad Cod. Talmudicum Joma, c. V. §. 1. & ibidem Sheringham. ſcil. quô pactô pugillum ſuffimentô impleret. Ideò Ebræi Sacerdotem ante ſacrificia in domum Abtines ducebant ללמדו חפיתה id eſt, *ut pugillationem docerent*; ut ait Gemara in Joma, c. I. §. 5. Vide Levit. XVI. 12. Thus illud ſacrum Saducæorum ſecta extra velum incendere, deinde intrare, prima jubebat. Ex illa igitur ne Sacerdos magnus eſſet, adjurabant eum, docente Gemarâ Hieroſolym. & dicebant: אישי כהן גדול אנו שלוחי בית דין ואתה שלוחנו ושליח בית דין משביעין אנו עליך במי ששיכן את שמו בבית הזה שלא תשנה דבר מכל מה שאמרנו: i. e. *Domine Sacerdos magne, nos legati ſumus Synedrii magni, & tu legatus noſter, & legatus Synedrii magni: adjuramus te per Eum, cujus nomen habitat in hoc templo, quod non mutabis quicquam ex omnibus iſtis, quæ tibi diximus*; Joma; l. c. ita Sacerdos diſcedens flebat, quòd eum Saducæis favere ſuſpicarentur: Illi verò diſcedentes flebant, quòd cogebantur juramentum ab eo petere: tradente Gemarâ Hieroſolym. Videatur R. Sheringham. De donariis & tabellis votivis prolixè Jac. Phil. Tomaſinus, pec. oper.

DONARIORUM vox aliquando ſignificat templa aut loca, in quibus dona recondebantur. Servius: *Donaria*, inquit, *propriè ſunt loca, in quibus dona reponuntur deorum*; ad lib. III. Georg. v. 533. Aliquando dona Deorum ipſa, quæ in coronide capitis hujus ſuſpendemus. Ea à Græcis nuncupantur ἀναθήματα; ab Ebræis הנהבים & Hoſ. VIII. 13. זבחי הבהבי quod Rabbi Kimchi explicat כתנותי i. e. ſacrificia donorum meorum. De iis Mamertinus: *Nam primùm omnium, quanta veſtra erga deos pietas? quos aris, ſimulacris, templis,*

templis, donariis, veſtris denique nominibus adſcribtis, adjunctis imaginibus ornâſtis; c. VI. genethl. Eumenius: *Meritò igitur auguſtiſſime illa delubra tantis donariis honeſtâſti, ut jam vetera non quærant*, paneg. Conſt. c. XXI. Virgilius; lib. IV. Aen. v. 62.

Ante ora Deûm pingues ſpatiatur ad aras,
Inſtauratque diem donis. - - -

Talia inprimis erant SPOLIA ex hoſtibus, quæ tempore corrumpi ſinebantur, nec reparabantur, lege ita jubente: Cauſſas ejus aliquot vide apud Plutarchum, probl. XXXVI. cum notis Boxhornl. Ita in templo Martis Bis Ultoris ſuſpendebantur ſigna, quæ Parthi remiſerunt. Julius Cæſar, qui Veneris filius audire geſtiebat, Veneri Genetrici ſpolia de hoſtibus dedicavit, inter quæ thorax de margaritis Britannicis Plin. H. N. lib. IX. c. XXXV. Inſcribtio Romana: P. DECIUS &c. DE. SAMNITIBUS. TRIUMFANS. SPOLIA. EX. IEIS. CERERI. CONSECRAVIT. Sed & alia ARMA, atteſtante Serviô: *Finitâ*, ait; *militiâ, ſive gladiaturâ, templis arma ſuſpendebant. Horat. lib. I. Ep. I. v. 4. Vejanius armis Herculis ad poſtem fixis*; ad lib. I. Aen. v. 252. Gladiatores enim & milites emeriti clypeos & arma in templum Herculis Defenſoris & Jovis Propugnatoris deferebant. De PUGIONE Tacitus: *Tum decreta dona & grates diis &c. Ipſe eum pugionem apud Capitolium ſacravit, inſcribſitque Jovi vindici*; lib. XV. Ann. in fine. Gætus Poëta Græcus PHARETRAE meminit:

Παυσάμενος ὁ φόνοιο, παρὰ δρυῒ τῇ δε φαρέτρην
Σῆμα καὶ εὐτυχίης θῆκε, καὶ εὐστοχίης.

Similiter piſcatores veteranos Nymfis dediſſe RETE cognoſcimus ex Juliano Aegyptio:

Ταῖς

Ταῖς νύμφαις Κινύρης τόδε δίκτυον· οὐ γὰρ ἀείρει
Γῆρας ἀνθυλιστὴν μόχθον ἐκηβολίης.

Paſtoricia donaria erant FISTULÆ. Virgilius: *Sacrâ pendebit fiſtula pinu*, ecl. VII. v. 24. Tibullus: lib. II. El. V. v. 29.

Pendebatque vagi paſtoris in arbore votum
Ruſtica ſilveſtri fiſtula ſacra deo.

Baccho dabant THYRSUM. Sabinus Græcus epigrammatiſta:

Πανὶ, Βίτων, χίμαρον, νύμφαις ῥόδα, θύρσα Λυαίῳ,
Τελοσῶν ὑπ' εὐπετάλοις δῶρον ἔθηκε Φοίβαις.

Iſidi, qui ejus opem experti erant, TABELLAS pictas ſuſpendebant. Tibullus, lib. I. El. III. v. 27.

Nam poſſe mederi.
Picta docet templis multa tabella tuis.

Tales tabulæ pictæ inter quàm plurima alia donaria reperiuntur in inſcribt. quæ eſt in foro Rhegino Calabriæ civit. TI. TARFENIUS. TI. F. SABINUS. AED. POT. II. TESTAMENTO. LEGAV. ✠ MUNICIPIB. RHEGINIS. JULI. IN. PRYTANEO. STATUAM. AEREAM. MERCURI. TRULLAM. ARGENTEAM. ANAGLYPTAM. P. II. ∽ LARES. ARGENTEOS. SEPTEM. P. II. ∽ PELBEM. AEREAM. CORINTHEAM. ITEM. IN. TEMPLO. APOLLINIS. MAJORIS. PUGILLARES. MEMBRANAGIOS. OPERCULIS. EBDREIS. PIXIDEM. EBOREAM. TABULAS. PICTAS. XVIII HEREDES. EJUS. PONENDA. CURAVERUNT. Veneri Lubentinæ Virgines PUPAS. conſecrabant, teſte Perſiô; Sat. II. v. 70. COMARUM quoque primitias veteres deorum alicui libare ſolebant, ut docet Muretus in Catull. carm. LIX. Agathias Scholiaſticus:

Σὸς πόσις Ἀγχίσης, οὗ εἵνεκα πολλάκι Κύπρι
   τρίβειν ἐς ἰδαίην ἔτρεχες ἠϊόνα.
Νῦν μόλις εὗρε μέλαιναν ἀπὸ κροτάφων τρίχα κόψαι,
   θῆκε ἥ σοι προτέρης λείψανον ἡλικίης.

Sed & qui maris minas & pericula evitârunt, Glauco, Nereo, Ino, Melicertæ, Neptuno. Lucianus:

Γλαύκῳ, καὶ Νηρεῖ, καὶ Ἰνοῖ καὶ Μελικέρτῃ,
   καὶ βυθίῳ Κρονίδῃ, καὶ σαμόθρηξι θεοῖς.
Σωθεὶς ἐκ πελάγους Λουκίλλιος, ὧδε κέκαρμαι
   τὰς τρίχας ἐκ κεφαλῆς· ἄλλο γὰρ οὐδὲν ἔχω.

In inſcribtione quadam donaria invenimus BULLAM, TRIPODEM, SCYPHUM; Ea talis eſt Romæ ad hortos Bellajanos: JUNONI. PLACIDAE. CONSERVATRICI. AUGUSTAE CLAUDIA. SABBATIS. BULLAM. D. D. ADDIDIT. ET SCYPHUM. ET. TRIPODEM. FORTUNAE AUG. De Scypho etiam Eratoſthenes:

Οἰνοπότας Ξενοφῶν κενεὸν πίθον ἄνθετο Βάκχῳ.
   Δέχνυσο δ' εὐμενέως, ἄλλο γὰρ οὐδὲν ἔχει.

De MENSA donario lapis Puteolis: JOVI. CUSTODI. SACR. EX. INDULGENTIA. DOMINORUM. SUCCESSUS. PUBLICUS. MUNICIPIUM......AS.....
..SER. AEDEM. CUM. PORTICIBUS. A. SOLO. SUA. PEC. FECIT. ITEM. MENSAM. ET. ARAM. DEO. Aliorum multifariam donariorum mentionem facit inſcribt. Præneſte in Latio in fragm. tab. ad fontem publicum.

FORTUNAE. PRIMIGENIAE

SIGNUM, LIBERIS. PATRIS.

PANTHEI. CUM. SUIS. PAREGEIS. ET. CUPIDINES. II. CUM. SUIS. LYCHNUCHIS. ET.

LU-

LUCERNA. LARUM.

M. POPILIUS. M. F. TROPHIMUS. CUM.

POPILIA. CHRESTE. LIB. ET. ATILIO. FILIO.

Facta etiam Diis dona de SUPELLECTILE varia. Lapis Romæ. apud Mattæios trans Tiberim: EUMOLPUS. CAESARIS. A. SUPELLECTILE. DOMUS. AURIF. ET. CLAUDIA. PALLAS. F. SOLI. ET. LUNAE. DONUM. POSUERUNT.

Varia etiam donabantur diis ORNAMENTA corporis ac VESTIMENTA; hæcque vel alba, vel coccinea; quibus ſæpe geſta deorum intexta erant, quod colligimus ex VirgilI Ciri, & Maimonidis de cultu ſtellarum c. VII. §. 10. Inde ab Ebræis (ut docet Voſſius Fil. in not.) in Rabhot traditum eſt, Mardochæum Eſth. III. 2. ideò ſe Hamani proſternere noluiſſe, quia veſtis ejus intextam haberet falſi dei imaginem. Fuêre inter ea VTTAE. Empedocles apud Laërtium, lib. VIII. c. LXII.

Χαίρετ', ἐγὼ δ' ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητὸς,
Πωλεῦμαι μετὰ πᾶσι τετιμένος, ὥσπερ ἔοικε,
Ταινίαις τε περίστεπτος στέφεσίν τε θαλείης.

Timoleontis Corinthiorum ducis in caput Apollinem in Delphico templo conſulentis, à donariis, quæ in templo adfixa erant, CORONA ex alto tàm aptè concidit, ac ſi manu ei impoſita eſſet. Fulgoſ. lib. I. c. II. Addit SCEPTRUM inſcribtio ſuper Exarramam fluvium infra Terranum Luſitaniæ civitatem (quam Gruterus f. 16. ſuſpectam habet) J. O. M. OB. PULSOS. A. Q. SERTORIO. METELLUM. ADQ. POMP. JUNIA. DONACE. CORON. ET. SCEPTRUM EX. ARG. MUNUS. ADTULIT FLAMINICAE. PHIALAM. CAELATAM. HIERODULIS. COENAM. DEDIT.

DIT. TORQVEM. inter alia donaria memorat lapis ad urbem Reggienſem, in provincia, quæ olim Reienſis Apollinaris: DEO. AESCULAPIO. VAL. SYMPHORUS. ET. PROTIS. SIGNUM. SOMNI. AEREUM. TORQVEM. AUREUM. EX. DRACUMCULIS. Δ. P. S7. ::- ENCHIRIDIUM. ARGENT. P,',' S. ANABOLIUM. OB. INSIGNEM: CIRCA. SE. NUMINIS. EIUS. EFFECTUM. V. S. L. Ferebant & Jovi LINTEA ac STRIGILES, veluti lotione opus habenti. Seneca: *Vetemus lintea & ſtrigiles Jovi ferre*; ep. XCV. Harum nobis formam ex antiquitate ipſiſſima protrahit ac oſtendit Simon Abbes Gabbema nott. ad PetronI Satyr. Et diu ante eum Guillaume du Choul, libr. des Bains & antiques Exercitations Grecques & Romaines, p. 126. 128. 130. Deabus inter ſacrificandum SPECULA tenebant. Seneca: *Vetemus ſpeculum tenere Junoni*; l. c. Auguſtinus: *Sunt, quæ Junoni ac Minervæ ſpeculum teneant*; lib. VI. de C. D. c. X. Et talia priùs donariorum locô conſecrabantur. Plato; *

Ἡ σοβαρὸν γελάσασα καθ' ἕλλαδος, ἡ τῶν ἐρώντων
ἑσμὸν ἐνὶ προθύροις Λαῒς ἔχουσα νέων,
Τῇ παφίῃ τὸ κάτοπτρον ἐπεὶ τοίη μὲν ὁρᾶσθαι
οὐκ ἐθέλω, οἵη δ' ἦν πάρος, οὐ δύναμαι.

Hoc Auſonius ita vertit, Epigr. LV.

Lais anus Veneri ſpeculum dico, dignum habeat ſe
Aeterna æternum forma miniſterium.
At mihi nullus in hoc uſus; qvia cernere talem,
Qva-

* In VI. Epigrammatum libro Platoni cuidam hæc Græco inſcribuntur.

Qualis ſum, nolo; Qualis eram, nequeo.
Marmor inventum Auguſtæ: JOVI. JUNON. MINER. ANTONIA. M. LIB. APHRODISIA. SCYPHOS, H. VENEREUM. SPEEULUM. DONUM. DEDIT.

Alii ad ſacrificia GEMMAS largiebantur, STIPES, & NUMOS. De Gemmis vide Plin. H. N. lib. IX. c. XXXV. Aurelianus Imp. poſt victoriam Jovi Capitolino ſoli quindecim millia auri pondo & magnam gemmarum vim dedit. Arnobius: *In Cypriæ Veneris ſacris initiati certas ei ſtipes ut meretrici inferunt, referuntque phallos* (id eſt membra virilia obſcœna) *propitiati Numinis ſigna*; lib. V. adverſ. Gent. p. 169. Seneca: *Omnia deorum ſunt: Tamen diis poſuimus donum, & ſtipem jecimus*; de Benef. lib. VII. c. IV. Idem de Nilo: (cum fluvii Genium habere crediti ſint) *in hac ora ſtipem Sacerdotes, & aurea dona præfecti, cùm ſolemne venit ſacrum, jaciunt*; lib. IV. N. Q. Idem: *Colitur non murorum opimis corporibus contrucidatis, nec aurô argentôque ſuſpenſô, nec in theſauros ſtipe infuſâ, ſed piâ ac rectâ voluntate.* † ep. XCV. Vide Gruterum in h. l. De numo, Suantovito quotannis à Germanis dato, Saxo Gramm. lib. XIV. Illam pecuniam haud rarenter Idolorum capitibus fuiſſe impoſitam, ferè colligere eſt ex Rambam, lib. Akom, c. VII. §. 21. Pertinet huc Ebræorum Gazophylacium de quo Car. Sigonius de R. E. lib. IV. c. XVI. Et eorum SICLUS, ſæpiùs in honorem Dei magnô numerô redditus: ut prolixè pertractat Höttingerus de J. E. lege CV. Potuêre etiam variæ oblationes ac victimæ ſiclis redimi, ceu videre eſt ex S. Scr. & apud R. Levi

† Uterque hic Senecæ locus effugit meam diligentiam.

Levi Barſelonium lib. Chinnuk. Talem à Daniele Bombergo (Viro vel ſolô nomine hoc inluſtri, quòd S. Biblia primus typis Ebraicis vulgaverit) ſibi donatum depingit Andreas Maſius: *Joſeph*, ait, *ſcribit ſiclum eſſe drachmas Atticas quatuor id eſt ſtaterem unum ſive ſemunciam &c. Eorum lemma utrinque litteris priſcis, ſive ut Talmudici adpellant, Libanicis, vel, ut alii, Samaritanis ſcribtum in ea facie, que virgam Aaronis oſtendit, tale eſt:* ירושלים הקדשה id eſt *Jeruſalem ſancta: In altera verò facie, quâ vaſculum illud, quô manna ſervabatur in arca, ſpectatur, tale:* שקל ישראל *Siclus Iſraël. Supra autem illum manna calicem due viſuntur littere* ש *&* מ *quarum ego enodationem eſſe reor* שלמה מלך *Salomon Rex*; in Joſ. c. VII. Similiter Th. Beza ſiclum à Blaurero datum dimidii ſtateris argentei è puro puto argento excudendum curavit in adnott. N. T. part. I. c. XVII. ad Matth. V. *Qui habet* (ita deſcribit) *Samaritanis litteris inſignis unâ ex parte urnam illam ſacram, in qua recondita fuit manna ſuperpoſitâ litterâ* א, *quâ declaratur ſimplex hic fuiſſe ſiclus duarum videlicet drachmarum, quum duplus drachmarum quatuor &c.* Alios exhibent Waſerus in lib. de antiq. Ebræor. numis, Kircher. in Oedipo Ægypt. Hötting. in Diſſ. de numis Orientalium, &c. † Erat autem ſiclus duplex: Eccleſiaſticus ſive ſanctuarii aut templi, qui *Siclus Sacer* dicebatur, & erat drachmarum quatuor, ſive dimidius imperialis, continebatque viginti Geras: Gera pendebat XVI. grana hor-

† At tu vide hujus Sauberti ſoceri Herm. Conringii Paradoxa de nummis Hebræor. quæ habes noſtro in Faſcic. II. n. VII. p. 41. ſ.

hordeacea. Et Politicus (ſive provincialis, ſive vulgaris) qui drachmarum duarum ſive Joachimici quadrans. Drachma enim habet VI. obolos, ſive IV. ſeſtertios: Obolus continet ſex numos; ſeſtertius novem, Saxonicæ monetæ. Jam duo oboli faciunt groſſum (non Cæſareum, ſed Saxonicum): Quatuor ſeſtertii tres groſſos. Atque adeò errârunt Camerarius & alii qui drachmam tantum valuiſſe tradunt, quantum hodie cruciati Teutonici octo: Unde Drexelius falſiſſimè drachmam unam eſſe dicit zween Bazzen oder acht Kreutzer; & proinde S. Salvator à Juda venditus fuiſſet pro decem imperialibus & aureo inſuper unico Cæſareo, einen Käiſeriſchen Gülden (i. e. quindecim bacis, vel ſedecim groſſis Saxonicis) ſive pro aureis ſedecim Cæſareis, aut triginta duobus Polonicis, quod nunquàm probabitur. Siclum ſacrum ſive duplum in ſplendidiſſimo ſuo ærario, eâ, quâ eſt in me benevolentiâ ac humanitate, nuper mihi oſtendit vir incomparabilis, BOSIUS,

Οὗ νῦν κλέος οὐρανὸν ἵκει.

Sed de Siclo ita Gloſſæ in Biblia: *Sicel, qui Latinô ſermone ſiclus corruptè dicitur, Ebraum nomen eſt, habens apud eos unciæ pondus. Apud Latinos verò & Græcos quarta pars unciæ eſt, & ſtateris medietas, drachmas adpendens duas. Unde cùm in divinis libris legitur ſiclus, uncia eſt: Cùm verò in gentilium, quarta pars unciæ.* Paulinus: *Siclus, pondus regale.* Vide Voluſium Metianum, D. Eucherium, lib. II. inſtruct. Tremellium in Matth. XVII. 24. Rhemnium de pondd. Druſium adagg. S. Buxtorfium Lex. Talm. voc. אסת, Cujacium, obſerv. lib. XII. c. XL. Waſerum de numm. Ebr. Kircherum in Oedipo

Aegypt.

Aegypt. Franciſcum Danielis not. in Petron. Petrum Danielis in eumd. Höttingerum de numis Orientalium.

CAPUT XXV.

Libationes: Earum ſynonyma. Modus libandi: Etymon ejus: Pollucere. *Quis libârit.* Σπόνδικες. *Lectio varia Virgiliani loci. Sangvis libatus.* Αἱμάσσειν βωμοὺς. *Superſtitio veterum de Manibus: Eorum evocatio: Turcarum de iiſdem ſententia. Judæorum ſtulta opinio. Veneri nullus ſangvis libatus. Uſus ſangvinis victimarum apud Ebræos. Aqua libata.* Νηφάλιοι σπονδαί. *Cui libata aqua? Arferia. Aqua etiam apud Ebræos libata: Unde hauſta? Abulenſis & Sanctii errata. Mel libatum: ſed non apud Ebræos.* דבש. *Lac libatum, & cui? Caſei oblati. Oleum libatum.* אנפילין. Νηφαλίων *ſynonyma. Ordo libationis materiæ, quoad vetuſtatem. Vinum libatum, & quale?* Sacrima. *Vinum ſpurcum.* הין. *Cereviſia apud Ebræos ſacro uſui inepta. Vinum conſecrandi formula: In talibus formulis quare ſermo Oſcus? Mercurio miſtum vinum libatum.*

tum. Juſjurandum ad calicem. Vinum aſſiratum. Libata aqua melle diluta: Mulſum. Inomelin. Potiones ex fructibus certis: Sicera libata: Qualis illa potus? Ejus radix: Ei opponitur יין. *Quæ potiones in paſchate prohibitæ? An Cereri nullum vinum ſacrificatum? Quædam variorum auctorum loca ſibi invicem opponuntur. Deciſio ex Servio facta. Alciati notabilis oſcitatio. Labſus Joach. Camerarl. Dii* παρασπόνδιοι.

Satis comeſtum ridiculis gentilium diis: Haut modicè ſitiente lagenâ, Surrentina rogant. Cibus fortè nimius aut glutinoſior faucibus inhæret; neque deorſum demeare poteſt, neque ſurſum remeare.

Liquido nî plaſmate guttur
Mobile conluerint.

Date igitur quæſo (intercedit ita pro eis Arnobius, lib. VII. adverſ. Gent) *immortalibus diis, bibant? ſcyphos, prias, pateras, ſimpuviaque depromite. Et quoniam tauris, pingvibuſque ſe dapibus, atque opimis inferciunt eſcis; ne quod in ſtomachi tramite malè transvoratum ſubſtiterit viſcus, ſuccurrite, properate, Jovi optimo maximo merum, ne præfocetur, date: Cupit eructare, nec potis eſt; ac nî illa labatur & diſſolvatur obſtructio, periculum maximum eſt, ne obliſus interrumpatur ſpiritus, & viduatum remaneat ſine ſuis adminiſtratoribus cælum.* Hæc ſatis ſalſè Arnobius.

Hoſtiis igitur integris, vel illarum partibus, foco impoſitis, & in ignem conjectis, vel aris ipſis, liquores quoſdam in deorum honorem infundebant, lotis priùs iterum manibus, & precibus certis peractis. Ebræis hoc dicebatur מַסֵּךְ, נָסִיךְ, נֵסֶךְ, ſive נֶסֶךְ: Græcis σπονδή, λοιβή, λοιβάπον, &c. Latinis *Libamen*, *Libatio*. *Libare*, juxta Iſidorum, eſt idem, quod fundere, ſive leviter deguſtare. Taubmannus ex Turnebi adverſ. lib. XI. c. VII. graphicè, quid Libare ſit, depingit in Curc. Plaut. I. II. 31. *De poculo pleno, quod erat potatura, libat*, id eſt, in honorem Veneris leviter, defundit: Sic enim libare ſolebant, quod vel in aram faciebant, vel in menſam, quæ aræ locô erat, vel in focum, qui ſacer habebatur, vel in mare, in honorem deorum marinorum, vel in quemcunque locum pro re nata, &c. Ubi & cibum eos dicit libâſſe, & de menſa ſumſiſſe. Vide profundioris Eruditionis ὑπέρογχον φέγγος Lipſium, lib. III. A. L. p. 112. *Libatio*, ait Tzetza ad Heſiod. lib. I. Op. & dierum, *quæ fuit, quando in ſacris fundebatur & obferebatur vinum.* Ovidius hanc vocem â Bacchi cognomine *Libero* deducit, lib. III. Faſt. v. 733.

Nomine ab auctoris ducunt Libamina nomen;
Libaque: quòd ſacris pars datur inde focis.

Dicebatur & *Pollucere*, quod erat diis libamenta reddere. Vide Scaligeri conject. in Feſtum, & Budæum in Pandect. At Beroaldus in adpend. adnott. in Svet. Impp. c. XI. ait *Pollucere* eſſe libamenta Herculi in aram porricere; & ſacrificium decimarum Herculi datarum *Polluctum* dici. Cum quo ferè conſentit Alciatus, Lex. Plaut. voc. Pullucere. Officium

Li-

Libandi inprimis Sacerdotibus competebat, qui inde σπονδίλκες dicti, libamina â miniſtris certis ea adferentibus craterasque iis implentibus, accepta ſimpullo prius ligneo vel fictili propinabant. Apud Aegyptios proprium erat hymnorum decantatoris. Prophyrius: λείβοντος τοῦ ὑμνῳδοῦ τὸ ὕδωρ; lib. IV. §. 9. Servius in inferorum libationibus vaſa quoque â ſacrificantibus in ignem miſſa notat, ad lib. VI. Aen. Virg. De libaminibus autem illis Heſiodus: Ἄλλοτε δὴ σπονδῇσι θυέεσσί τε ἱλάσκεσθαι l. c. v. 336. Ovidius, lib. III. Metamorph. v. 26.

Sacra Jovi facturus erat: Jubet ire miniſtros,
Et petere è vivis libandas fontibus undas.

Silius Italicus, lib. VII. v. 185.

---- *In mediam jecit libamina flammam.*

Virg. lib. VII. Aen. v. 245.

Hôc pater Anchiſes aurô libabat ad aras.

lib. VIII. Aen. v. 278.

Et ſacer implevit dextram ſcyphus: Ocyus omnes
In menſam læti libant, divoſque precantur.

& lib. I. Aen. v. 740.

Dixit & in menſa laticum libavit honorem.
Primaque libato ſummô tenus attigit ore.

(Ubi Codex. Rom. ac Mediceus, nonnullique emendatiores, magis ad palatum Maronianum legunt, *In menſam*, Deteriùs vero Cod. Oblongus Vellutelli, Longobardicus, & alii aliquot pervetuſti: *Immenſum*) Ad quæ verba Servius: *Tangit morem Romanorum, qui paniceas ſacrataſque menſas habebant, in quibus libabant, ut Heus etiam menſas conſumimus, inquit Iulus.* Sed videamus jam ordine libationis materiam, variaſque ejus ſpecies.

Libabatur SANGVIS hoſtiarum immolatarum, unde *αἱμάσσειν βωμοὺς* Græci pro *ἱεροποιεῖν* dixére, Virgil. ecl. I. v. 7.

Illius aram,
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet hœdus.

In marinorum ſacrificiis aut ſangvis colligebatur, & in mare fundebatur; aut, ſi in navi fieret, ſtatim in mari victima jugulabatur: Adhibebatur tamen etiam vinum. Virgilius in ſacrificio Oceani: *Ter liquidô ardentem perfundit nectare Veſtam*; lib. VI. Georgic. v. 348. Quod Hector Auſonius ad Chymicam pertinere vult artem, cùm Magi aquis quoque ignem ſubſtruere poſſint, ut docet Joh. Bapt. Porta in Magia Naturali. Vide Nat. Com. myth. lib. I. c. XI. In inferiis Sangvis ad radices tumuli fundebatur, cum vino vel lacte mixtus; quod ex Luciani Necyomantia & Charont. emicat. Mox animæ ad bibendum hoſtiarum ſangvinem evocabantur, quod Delphis ad Veneris ſepulcralis ſive Epitymbiæ imagunculam fiebat; cujus cauſſam reddit Plut. probl. XXIII. Talis enim, ſuperſtitio Gentilium animos obcæcabat, ut manes, tantiſper circa Lethen vagantes, campos Elyſios ingredi non poſſe crederent, donec juſta eis forent facta; Interim ipſas ultrò citroque ad ſepulcra commeare, ſangvinemque cæſarum victimarum potare; quô deficiente tepidum lac manibus recens expreſſum tumulis inferebatur. Sed de his ita Euripides: Δέξαι χοάς μου τὰς δὲ κηλητηρίους νεκρῶν ἀγωγούς· ἐλθὲ δ᾽ ὡς πίῃς μέλαν κόρης ἀκραιφνὲς αἷμ᾽ ὅσοι δωρούμεθα; in Hec. Virgilius, lib. III. Aen. v. 66.

Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,
Sangvinis & ſacri pateras; animamque ſepulcro

Con-

Condimus, & magnâ ſupremum voce ciemus.
Idem, III. ibid. v. 303.

Libabat cineri Andromache, maneſque vocabat
Hectoreum ad tumulum. - - -

Addebant inſuper mulſum & aquam cum mola. Homer. odyſs. λ. v. 25.

Βόθρον ὄρυξα ὅσσον τε πυγούσιον ἔνθα καὶ ἔνθα,
Ἀμφ' αὐτῷ δὲ χοὰς χεόμεν πᾶσι νεκύεσσιν·
Πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δὲ ἡδέϊ οἴνῳ
Τὸ τρίτον αὖθ' ὕδατι, ἐπὶ δ' ἄλφιτα λευκὰ πάλυνον.

Evocabant autem animas ter, altiſſimâ voce, ſtantes ſuper tumulum. Euripides: Μελίκρατον ἄφες, γάλακτός τ' οἰνωπόν τ' ἄχνην, καὶ στᾶσ' ἀπ' ἄκρου χώματος λέξον τάδε; in Oreſt. Mahummedani hodienum per VII. dies circa tumulos animas verſari credunt. Pocoke, not. miſcell. p. 250. Veluti Judæi adhuc mortuos omnia audire & videre putant: Idcircò deprecantur iis, ſi in vita nequierunt, prehenſô majori pedis defuncti digitô. Videantur Gerſon in Juden Talm. lib. I. c. XXXVI. Cl. Geierus de L. E. c. V. §. 11. Talis manium evocatio conſpici mihi videtur in numo litt. D, c. XVIII. Veneris aram ſangvine maculari nefas fuiſſe perdocet ad Catull. carm. LXV. Muretus: Quamvis verba illa longè aliter legat ac diſtingvat Scaliger, caſtigg. in Catull. Thraſea ſuum ipſius ſangvinem diis libabat de quo ita Tacitus: *Porrectis utriuſque brachii venis, poſtquàm cruorem effudit, humum ſuper ſpargens propiùs vocatô quæſtore: Libemus, inquit, JOVI LIBERATORI;* lib. XVI. Ann. extr.

Apud Ebræos, poſtquàm ſangvis victimæ paterâ exceptus eſſet, ne conſpiſſaretur, ſubinde agitabatur

Joma: שחטו וקבל במזרק את דמו ונתנו למי שהוא ממרס בו על הרובד הרביעי שבהיכל כדי שלא יקרוש id eſt, *Mactabat ipſum, & paterâ ſangvinem excipiebat, dabatque ei qui miſcebat eum ſuper ſcamnum quartum, quod erat in ſanctuario, ut non concreſceret;* c. IV. §. 3. Targum: ורובי כהנא מרסן ובחשן ית דמא i. e. *Et juvenes ſacerdotes agitabant & miſcebant ſangvinem.* Eum mox luſtrationi inſervire oportebat: quæ ſic fiebat per ſacerdotem: נטל את הדם ממי שהיה ממרס בו נכנס למקום שנכנס ועמד במקום שעמד הזה ממנו אחת למעלה ושבע למטה ולא היה מתכוין לחזות לא למעלה ולא למטה אלא במצליף וכך היה מונה אחת אחת ואחת אחת ושתים אחת ושלש אחת וארבע אח וחמש אחת ושש אחת ושבע יצא והניחו על כן הזהב שהיה בהיכל: i.e. *Sangvinem à miſcente ſumebat, intrabat in locum quem intrabat, ſtabatque in loco quô ſtabat, & ſpargebat ex illo ſemel ſurſum & ſepties deorſum, nec intuebatur ad ſpargendum ſurſum aut deorſum, ſed quaſi flagellator; & ſic numerabat: Semel; ſemel & ſemel; ſemel & bis; ſemel & ter; ſemel & quater; ſemel & quinquies; ſemel & ſexies; ſemel & ſepties. Exibat, & ſuper columnam auream, quæ erat in ſanctuario, conlocabat.* Vide cit. Cod. c. V. §. 3. Adde §§. ſeqq. & notas R. Sheringham.

SACRIFICIA ΤΑΡΟΣΠΟΝΔΑ, quæ ad recordationem primi victus glandium ſcil. & aquæ fiebant, aliàs Νηφάλιοι Σπονδαὶ ſive θυσίαι, id eſt *Sobria Sacrificia*, dicta obſerebantur, Soli, Lunæ, Veneri Cæleſti ſeu Uraniæ, Auroræ, Cereri, Proſerpinæ, Veſtæ, & apud Athenienſes quidem Memoriæ ſive Mnemoſynæ, Muſis, ac Nymfis, ut refert

refert Polemo ad Timæum, ideò, quoniam aqua homines ſobrios conſervat, cùm econtra meraciore potu memoria obnubilari, ingenii acies obtundi, virginitatis ſecreta revelari poſſint. Philo: *νηφάλια ὡς τοῖς ἱερεῦσι θύειν καὶ τούτοις βιοῦν ὁ ὀρθὸς λόγος ὑφηγεῖται· οἶνος μὲν γὰρ ἀφροσύνης φάρμακον, ὄψα δὲ πολυτελῆ τὸ θρεμμάτων ἀπληστότατον διερεθίζει τὴν ἐπιθυμίαν*; lib. de contemplativa vita. Quin & Dionyſio obferebantur, & Erechthei filiabus, ut prodidit Philochorus. Hoc νηφαλιεύειν nuncupatum, Julius Pollux docet, lib. VI. c. III. Vide Suidam, voc. *νηφάλια ξύλα*, Gyraldum, ſynt. XVII. Stuckium, f. 51. & 133. Junium, cent. III. adag. 1. Potiſſimùm verò inferis aqua libabatur, exinde *Arferia* dicta, quòd inferis ferretur. Feſtus. De Diomedis avibus neſcio quid mirandi inter alia C. Solinus refert, *Aedem*, inquit, *ſacram omni die celebrant ſtudiò ejuſmodi: Aquis imbuunt plumas, aliſque impendiò madefactis conſluunt copulentè: Ita adem excuſſò humore purificant: Tunc pennulis ſuperplaudunt; inde diſcedunt quaſi peractâ religione*; c. VIII. rerum memor. Apud Ebræos itidem aqua libabatur. Cod. Middoth: ולמה נקרא שמו שער המים שבו מכנסין צלוחית של מים של ניסוך בחג id eſt, *Cur adpellantur porta aquarum iſtô nomine? Quia ſitulam aque in feſto per eas important ad libamina*; c. II. Fiebat id præcipuè in feſto tabernaculorum pluviæ impetrandæ gratiâ, ut ait R. Levi Ben Gerſom in 2 Sam. XXIII. 16. Similiter Elias mirando illi ſacrificio ſuo aquam adjicit. 1 Regum XVIII. 34. Ea autem aqua, ut tradit. Cod. Sukka, è fonte Schiloah hauriebatur: proinde Abulenſis &

Sanctius à Sheringham in Joma rectè carpuntur, qu comm. in 1 Sam. VII. 6. negant obſerri poſſe aquam in ſacrificiis.

Erant & inter νηφαλίους θυσίας *SACRIFICIA*, ΜΕΛΙΣΠΟΝΔΑ. Porphyrius: θείας δὲ ἑτέρους σπονδὰς οἴνου καὶ μέλιτος ἔπι δ' ἐλαίου ταῖς χρείαις ἀνθρωπίσκοντες, ἀπήρχοντο καὶ τούτων τοῖς αἰτίοις θεοῖς; lib. II. περὶ ἀποχῆς, §. 6. Idem: Νηφάλιοι σπονδαὶ αἱ διὰ μέλιτος; lib. de antro Nymfarum. Silius Italicus: *Fundunt mella ſuper, Bacchique, & lactis honorem*; lib. XIII. Pun. v. 434. Exhibebantur ea præcipuè Diis terreſtribus, quia mel mortis ſymbolum fuit. Porphyrius: πεποίηνται ἤδη τὸ μέλι καὶ θανάτου σύμβολον· Διὸ καὶ μέλιτος σπονδὴν τοῖς χθονίοις ἔθυον; de antro Nymff. Sed de melle cap. præcedenti quoque quædam retulimus. Exſtat de eo Judæorum præceptum: *Non obſerendum mel & fermentum ſuper altare*, de quo vide Höttingerum de J. E. Lege CXXVI. Nomine autem דבש apud illos non ſolùm ſignificatur mel commune, ſed & illud, quod è dactylis fluit; item ſuccus fructuum dulcium, ut ait. R. Levi.

Neque *SACRIFICIA* ΓΑΛΑΚΤΟΣΠΟΝΔΑ inſolentia, ad quæ reſpicit lex illa XII. Tabb. cap. de feriis, tit. de religione: UBERTATEM. LACTIS. FOETURÆQVE. SERVANTO. Apulejus: *Gerebat & aureum vaſculum, in modum papillæ rotundatum, de quo lacte libabat*; lib. ult. Metam. Seneca: *libat & niveum inſuper Lactis liquorem*; Oed. Actu III. ſc. I. v. 565. Virgilius, lib. III. Aen. v. 66. *Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte*. Idem Ecl. V. v. 67.

Po-

Pocula bina novô ſpumantia lacte quotannis,
Crateraſque duos ſtatuam tibi pingvis olivi.

Prudentius in apoth. v. 539.

Noſtris intervenit aris
Quam ſubferre queant ſpumantia cymbia lacte.

Obferebantur inprimis Cereri, Nocti, Fortunæ, Pali, Mercurio, qui inde *Sobrius* audivit, Plutoni teſtibus Virgiliô, Horatiô, Tibullô & aliis; Jovi Latiali feriis Latinis, tradente Dionyſ. Halicarnaſſæô; Silvano; Horat: *Tellurem porco Silvanum lacte piabant;* lib. II. ep. I. v. 143. Priapo, de quo Prudentius, lib. I. contra Symm. v. 113.

Sinum lactis, & hac votorum liba quotannis
Accipit.

In Bonæ deæ ſacris, ubi vinum libarent, non vinum, ſed lac eſſe dicebant: At in Ruminæ ſacris nunquàm vinum tantùm lac aderat, cujus etiam hoſtiæ lacte conſpergebantur; ejus cauſſam videſis apud Plutarch. probl. LVII. Aliquando lac coagulabatur, & ex eo *caſei* vegrandes & boni ponderis obferebantur diis. Obſervavi id in teſtamento, quod eſt Venetiis in tabula marmorea, cujus aliquam partem, quæ multa de ſacrificiis continet, adducamus:

ΕΤΩΔΕΟΤΑΝΠΡΑΤΑΝΕΠΙΜΗΝΙΕΥΩΝΑΜΕΘΥ
ΡΑΝΤΙΣΜΟΥΣΑΙΣΙΙΕΡΕΙΟΝΚΑΙΙΕΡΑΕΛΛΥΤΑΣ
ΕΚΠΥΡΩΝΧΟΙΝΙΚΩΝΠΕΝΤΕΚΑΙΤΥΡΟΥΚΑΠΥ
ΡΟΥΣΤΑΤΗΡΟΣΠΑΡΕΘΕΙΔΕΚΙΣΤΕΦΑΝΟΣΤΟΙΣ
ΘΕΟΙΣΚΑΙΤΑΛΟΙΠΑΤΑΠΟΤΙΤΑΝΘΥΣΙΑΝΠΑΝΤΑ
ΑΠΟΔΕΤΟΥΤΩΝΚΑΡΠΩΣΕΙΤΟΙΣΘΕΟΙΣΤΑΤΕΕΚ

ΚΤΟΥΙΕΡΕΙΟΥΝΕΝΟΜΙΣΜΕΝΑΚΑΙΕΞΑΥΤΑΝΟ
ΔΕΤΑΝΔΕΥΤΕΡΑΝΤΟΙΣΗΡΩΣΙΦΟΙΝΙΚΙΚΑΙΕΠΙ
ΚΤΗΤΑΠΕΡΕΙΟΝΚΑΠΕΡΑΕΛΛΥΤΑΣΕΚΤΕΣΣΑΡΩΝΧΟΙ
ΝΙΚΩΝΠΕΝΤΕΚΑΙΤΥΡΟΥΚΑΠΥΓΟΥΣΤΑΤΗΡΟΣ
ΠΑΡΕΞΕΙΔΕΚΑΙΣΤΕΦΑΝΟΣΤΟΙΚΗΡΩΣΙΚΑΙΤΑΛΟΙ
ΤΑΠΟΤΙΤΑΝΘΥΣΙΑΝΠΑΝΤΑΙΚΑΡΠΩΣΕΙΤΑ
ΤΕΕΚΤΟΥΙΕΡΕΙΟΥΝΟΜΙΖΟΜΕΝΑΙΕΡΑΚΑΙΕΛΛΥ
ΤΑΝΚΑΙΑΡΤΟΝΚΑΙΠΑΡΑΚΑΚΑΙΟΨΑΡΙΑΤΑΟΔΕ
ΤΑΝΤΡΙΤΑΝΘΥΣΕΙΤΟΙΣΗΡΩΣΙΚΡΑΤΗΣΙΑΟΧΟΙΚΑΙ
ΑΝΔΡΑΓΟΡΑΙΚΑΤΤΑΑΥΤΑΚΑΘΑΓΕΓΕΝΗΤΑΙΘΥ
ΕΝΦΟΙΝΙΚΙΚΑΙΕΗΙΚΤΗΤΑΙΟΙΔΕΕΠΙΜΗΝΙΟΙΘΥΟΝ
ΤΕΣΤΑΣΘΥΣΙΑΣΤΑΥΤΑΣΑΠΟΛΩΣΟΝΤΙΤΩΙ
ΚΟΙΝΩΙΤΟΣΤΕΕΛΛΥΤΑΣΠΑΝΤΑΣΚΑ ΤΩΝ
ΣΠΛΑΝΧΝΩΝΤΑΗΜΙΣΗΤΑΔΕΛΟΙΠΑΕΞΟΥΝΤΙ
ΑΥΤΟΙ

ΕΛΑΙΟΘΥΣΙΑ frequentiſſima erat in feriis. Virg. ecl. V. v. 67. *Crateraſque duos ſtatuam tibi pinguis olivi.* Idem, lib. VI. Aen. v. 254. *Pingue ſuperque oleum fundens ardentibus extis.* Et ibid. v. 224.

Congeſta cremantur
Thurea dona, dapes, fuſo crateres olivô.

Neque ea vero Deo diſplicuit. Vide Levit. II. & Höttingerum de J. E. Lege CXXIX. Non poterant autem obſerre אנפיקינון i. e. oleum olivarum crudum & amarum ex olivis immaturis & deciduis preſſum. Codd. Menach. c. VIII. Sebach. f. 43. Quæ quidem vox perbenè Buxtorfio in Lex Talm. rad. אנפק videtur eſſe Græca illa ὀμφάκινον, cujus meminit Dioſcor. lib. I. c. XXIX. necnon Plinius, lib. XII. c. XXVII. lib. XXIII. c. IV. Et ab his, de quibus hactenus egimus,

mus, libationibus, nuncupabantur ſacrificia *νηφάλια, ἄοινα ἀμέθυςα·*

Poſt aquam, primam illam *σπονδὴν*, cepit libari mel, inde oleum; tandem ultimò omnium VINUM. Porphyrius: *τὰ μὲν ἀρχαῖα τῶν ἱερῶν νηφάλια παρὰ πολλοῖς ἦν· Νηφάλια δ᾽ ἐςὶν τὰ ὑδρόσπονδα Τὰ δὲ μετὰ ταῦτα μελίσπονδα. Τοῦτον γὰρ ἕτοιμον· παρὰ μελιτῶν πρῶτον ἐλάβομεν τὸν ὑγρὸν καρπόν. εἶτ᾽ ἐλαιόσπονδα. Τέλος δ᾽ ἐπὶ πᾶσιν τὰ ὕςερα γεγονότα οἰνόσπονδα·* lib. II. §. 20. Idque purum, neque ex imputata vite, jubente ita Numâ: DIS. EX. IMPUTATA. VITE. NE. LIBANTO. quod ipſum etiam Pythagoræ ſymboli vicem præbuit: *μὴ σπένδειν θεοῖς ἐξ ἀμπέλων ἀτμήτων*: quod ſcholiaſtæ explicant: Obſerendas eſſe Deo actiones noſtras puras, Plinius verò aliam cauſſam legis illius Numæ tradit: *Romulum*, inquit, *lacte, non vinô, libâſſe, indicio ſunt ſacra ab eo inſtituta, quæ hodie cuſtodiunt morem. Numæ regis poſthumia lex eſt: Vinô rogum ne reſpergito. Quod ſanxiſſe illum propter inopiam rei nemo dubitet. Eâdem lege ex imputata vite, libari vina diis nefas ſtatuit: ratione excogitatâ, ut putare cogerentur alias aratores, & pigri circa pericula arbuſti*; H. N. lib. XIV. I. XII. Taleque vinum ſacrificiis idoneum *Sacrima:* & contra, quod ad ea adhiberi non poterat, *Vinum ſpurcum* dicebatur. De hiſce ſatis ſcitè ac enucleatè Plinius: *Et quoniam religione vita conſtat; prolibare diis nefaſtum habetur vinô præter imputatæ vitis: fulmine tacta, quamque iuxta hominis mors laqueo pependerit, aut vulneratis pedibus calcata & quod circumciſis vinaceis profluxerit, aut ſupernè deciduô immundiore labſu aliquô polluta: item Græca, quoniam aquam habeat*; H. N. lib.

lib. XIV. c. XX. Vini autem illa portio, quæ inter libandum è pateris fundebatur, σπονδῆς χαγών fuit adpellata. Vide Gyrald. ſynt. XVII. p. 495. Ita apud Ebræos unicuique holocauſto quaſi corollarium acceſſit ſimila oleô conſpera, & libatio vini: Et tàm vini quàm olei adhibebatur הין id eſt quarta pars. Hin enim continet XII לתין; at לג tantum, quantum ſex ova, eſtque vigeſima quarta pars Seæ ſive Sati. Vide R. Dav. Kimchi in radd. R. Jarchi in c. XXIX. Ex. Menachoth fol. 89. v. 1. Buxtorſium in Lex. Iſing. Coll. Hiſt. Quæſt. LIX §. 3. Seneca: *Fundit & Bacchum manu lævâ.* Oed. Actu III. ſc. I. v. 566. Idem: *Non thura deſunt, non ſacer Bacchi liquor;* Thy. Actu. VI ſc. I. v. 687. Idem, Oct. Act. VI. ſc. I. 700.

Thura cum ſuperis dares,
Sacraſque gratô ſpargeres aras merô.

Idem ad Palladem, Agam. Actu. II. ſc. III. v. 364.

Tibi grandævi laſſique ſenes
Compote voto reddunt grates,
Libantque manu vina trementi.

Virgil. lib. IV. Georg. v. 380.

Et mater: Cape Mæonii carcheſia Bacchi,
Oceano libemus? ait. - - - -

Lucanus, lib. I. Pharſ. v. 608.

- - - *Sacris tunc admovet aris*
Electâ cervice marem: Jam fundere Bacchum
Cœperat. - - - - -

Horatius, lib. I. od. XIX. v. 15.

Hîc vivum mihi ceſpitem: Hîc
Verbenas pueri ponite, thuraque;
Bimi cum patera meri.

Id lib. III. od. XIII. v. 2.

Dulci

Dulci digne merô; non ſine floribus
Cras donaberis hoedô.

Auguſtus ſanxit, ut priuſquàm conſideret quiſque ſenatorum, thure ac merô ſupplicatet apud aram. Svet. in Aug. c. XXXV. Octavius ſuper altaria merum infundit; Id. ibid. c. XCIV. In Veneralibus multum vini è Veneris templo effuſum; cujus cauſſam lege apud Plut. probl. XLV. cum notis Boxhornl. Arnobius: *Faunam igitur Fatuam, Bona quæ dicitur dea, tranſeamus; quam myrteis cæſam virgis, quod maritô neſciente ſeriam meri ebiberit plenam, Sextus Clodius indicat ſextô de diis Græco: ſignumque monſtrari, quod cùm ei divinam rem mulieres faciunt, vini amphora conſtituatur obtecta*; lib. V. adverſ. Gen. p. 168. Sinenſes etiam hodie thure & merô (quod eſt è palmis) placant, ſupplicant, libant. Lipſius; lib. I. c. III. Monit. polit. II. §. 7. Inprimis verò Genio freqventiſſimè omnium dabatur vinum. Horat. lib. III. od. XVII. v. 15. *Cras genium merô Curabis.* Idem, lib. II. ep. I. v. 144. *Floribus & vinô genium memorem brevis horæ.* Perſ. Sat. II. v. 3. *Funde merum genio.* Vinum illud, ſi in ſacris nigreſceret, vel in ſangvinem converteretur, peſſimæ erat ſcævæ, & triſte quid portendebat. Seneca Oed. II. ſc. II. v. 324.

Horreſco intuens!
Libata Bacchi dona permutat cruor.

Idem, Thy. Actu. IV. ſc. I. v. 700.

Libata in ignes vina mutato fluunt
Cruenta Baccho.

Virgil. lib. IV. Aen. v. 454.

Horrendum dictu, latices nigreſcere ſacros,
Fuſaque in obſcoenum ſe vertere vina cruorem.

Apud

Apud Ebræos, ſi deeſſet vinum, non poterant Cereviſiam libare, quia ea ad uſum ſacrum inepta. Cod. Peſachim; לא הוה לן חמרא איתנא ליה שיכרא ולא אבדיל ובת טוות; i. e. *Non erat nobis vinum: attulimus ipſi cereviſiam, & non ſeparavit; ideoque dormivit incœnatus.* fol. 107. 1.

Conſecrabatur vinum illud certâ formulâ, & tali quidem: MACTUS. HOC VINO INFERIO. ESTO. de qua vide Briſſonium in formm. Ubi nota, in ſacris formulis, ut & adpellatione vaſorum ac θεοθύτων, Romanos Sacerdotes à vulgata loquendi ratione diſceſſiſſe; cùm, quia ea, quæ in ſacris à priſcis accepêre, ne ſacrorum ratio everteretur, immutata voluêre; tum ut majeſtatem religionis in cognitis & ab uſu remotis vocabulis in animis vulgi excitarent ac promoverent. Vide Boxhorn. Quæſt. XVI. Formulam verò illam uberiùs nobis explanat Arnobius: *Opera pretium eſt*, ſcribit, *etiam verba ipſa depromere, quibus, cùm vinum datur, uti ac ſupplicare conſvetudo eſt: Mactus hôc vinô inferiô eſto. Inferiô, inquit Trebatius, verbum eâ cauſſâ eſt additum, eâque ratione profertur; ne vinum omne omninò, quod in cellis atque apothecis eſt conditum, ex quibus illud quod effunditur promtum eſt, eſſe ſacrum incipiat, & ex uſibus eripiatur humanis. Additô ergo hôc verbô, ſolum erit quod inferetur, ſacrum, nec religione obligabitur ceterum. Qualis ergo hic honor eſt, in quo imponitur quaſi lex deo, ne plus quærat, quàm datum eſt? &c. Mactus hôc vinô inferiô eſto: quid eſt aliud, quàm dicere, tantum eſto mactus, quantum volo; tantum amplificatus quantum jubeo; tantum honoris adſumito, quantum te habere decerno, & verborum circum-*

cumſcribtione definio; lib. VII. adverſ. gent. De ſacratione vini apud Ebræos vide Buxtorfium, Syn. Jud. c. X.

Mercurio non purum, ſed miſtum fundebatur vinum, quòd ille viventibus & mortuis præeſſet. Suidas vocc. *κεκερασμένη σπονδὴ*, & *κύλιξ*; ubi & tale ad calicem jusjurandum contumacium mulierum habetur: *Nunquàm ultrò marito meo parebo; ſin me invitam vi ſubegerit, malè obſequar, nec eum adorabo: Non lacunar intuebor: Non ſtabo Leæna in tyrocneſtide. Hæc ſi præſtitero, bibam hinc: Sin fecero ſecus, aquâ impleatur calix.* Aliquando fiebat mixtio è vino & ſangvine, quæ *vinum aſſiratum* dicebatur: Aſſir enim Oſcis eſt ſangvis. Vide Laurembergi Antiquarium. Libabatur & aqua melle diluta apud Athenienſes, ac Eumenidibus Mulsum, ut Pauſanias refert, aliiſque etiam diis. Lapis Florentinus ad portam divi Paulli: NATALI. AUGUSTÆ. MULSUM. ET. CRUSTULUM. MULIERIBUS. VICANIS. AD. BONAM. DEAM. PECUNIA. NOSTRA. DEDIMUS. Similis ferè mixtura erat Ebræorum *Inomelin* de qua legimus in Schabbath. fol. 39. ועושין אינומלין בשבת *Et faciunt Inomelin in Sabbatho.* Id quod ulterius explicatur in ע"ז fol. 30. איזהו אינומלין יין ודבש ופלפלין i. e. *Quid eſt Inomelin? Inomelin eſt vinum, & mel, & piper.* Non raró potiones ex fructibus arborum deo dicatarum, non ſolùm in ſacrificiis, ſed & epulis ſacris factas, non obſcurè augurari me jubet Rambam lib. Akom. c. VIII. §. 7. ad quem locum videndum ſvadeo Dionyſ. Voſſium in notis. Verba Maimonidis ſunt: אילנן שהיו גוים משמרין את פרותיו ואומרים שיהם

שהם מוכנים לעשות שכר לבית כו"ם פלוני ועושין מהן שכר ושותים אותו ביום אידם הרי זה האילן אסור ; *Arbor, cujus fructus cuſtodiant gentiles, dictitantes eos ſervari ad faciendum inde potionem pro hujus vel illius idoli delubro; ſi de potione ex iis confecta biberint die feſtô, uſus illius arboris interdicitur.* בהנאה מפני שסתמו שהוא אשרה ולפיכך עשין ; i. e. *Hoc enim quodammodo indicium eſt arborem illam idolo eſſe ſacratam.* Talem ex fructibus potum fuiſſe Ebræorum שכר i. e. σικέραν vel Siceram (è qua libamina facta, conſtat ex Num. XXVIII. 7.) ait R. Kimchi, Hieronymus: *Sicera*, inquit, *Ebræô ſermone omnis potio nominatur, quæ inebriare poteſt, ſive illa quæ frumentô conficitur, ſive pomorum ſuccô, aut cùm favi decoquuntur in dulcem & barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctiſque frugibus aqua pingvior coloratur*; ad Nepotian. Eſt quippe à radice שכר Inebriari: Unde Aben-Ezra *potum fortem* dicit, *factitium ex melle & dactylis, aut tritico & hordeo*, ad Deut. XIV. Onkelos explicat חמר עתיק *vinum forte vetus*; cui opponitur יין quod erat vinum novum Exſtat in Midraſch ad 1. Sam. I. 15. יין זה חדש ושכר זה ישן מזה ומזה לא שתיתי i. e. *Jajin eſt vinum novum; Sechar eſt vinum vetus: Neque de hoc, neque de illo bibi.* Vide Buxtorf. Lex. voc. שכר. Fuit tamen ac unà cum aliis potionum generibus in Paſchate prohibita, quas recenſet Cod. Peſachim: אלו עוברין בפסח כותח הבבלי והשכר מדי וחומץ האדומי וזיתום המצרי וכו' i. e. *Iſta ſunt prohibita in Paſchate: Cutach Babylonicum, Sicera medica, Acetum Edomæum, & Zythus Ægyptiacus &c.* Quid *Zythum* ſit, Gemara h. l. uberiùs explicat. Adde Plin. lib. XXII. c. ult. in fin. Theophraſtum de cauſſis

cauſis plantt. lib. VI. c. XIII. *Curuch Babylonicum* Höttingerus ὀξύγαλα eſſe conjicit de J. E. Lege XVI.

Eumenidibus, filiabus Noctis, quæ aliàs *Erinnyes* dicuntur, vinum nullum ſacrificatum. Vide Muretum in Catull. Carm. LXIII. Quæritur autem, an nec etiam Cereri? Certè aliquid ſubindicare videtur Plautus, Aul. II. VI. 5.

STA. Cererin Strobile iſtas facturi nubtias?
STR. Qui? STA. Quia temeti nihil adlatum intelligo.

cui ſuffragium addit Macrobius, lib. III. c. XI. Repugnat tamen Cato: *Exta Cereri & vinum dato*; de R. R. c. CXXXIV. extr. Illô igitur Plautinô locô ſeducta compluria magna nomina aut nihil decidiſſe, certique ſtatuiſſe, aut judicii acrimoniâ turpiter labſa, compertum habemus; inter quæ Alciatus JCtus æternæ famæ, qui: *Cereri*, ait, *ſacra abſque vino fiebant, ut etiam Macrobius ſcribſit: Hanc ob cauſſam opinor, ne potiſſimum mortalibus donum Cereris alienâ ope indigere videretur*, &c. Lex. Plaut. voc. Cereri. Idque adeò magis mirum, quòd Servius viris illis multæ lectionis ante ſecula aliquot facem prætulerit, & egregiè locum illum enucleaverit Plautinum, & cum altero Catonis tacitè conciliaverit. Scholia ejus ad illud Virgilii lib. I. Georg. v. 343.

Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adorat,
Cui tu lacte favos & miti dilue Baccho.

hæc ſunt: CUI TU LACTE &c.] *Cui tu liba de lacte melle & vino. Nam ſuperfluum eſt, quod quidam dicunt, contra religionem dixiſſe Virgilium, licere Cereri de vino ſacrificare: Pontificales namque hoc non vetant* li-

Digitized by Google

libri. Quod autem ait Plautus in Aulularia, cujus ipſi utuntur exemplô, Cereri nubtias facturi eſtis, quia temeti adlatum nihil video, non eſt huic loco contrarium: Nam alind eſt ſacrificium, aliud nubtias Cereri celebrare, in quibus reverâ vinum abhiberi nefas erat, quæ Orci nubtiæ dicebantur, quas præſentiâ ſui Pontifices ingenti ſolemnitate celebrabant &c. &c. Verba iſthæc ex Douza paulò aliter citat Taubmannus: Ita Servium, ubiubi eum video, corruptum video. Scholiaſtæ igitur illô præſultore, Janus Douza benè diſtingvit inter Cereris myſteria & reliqua hujus ſacrificia: illa ἀμέθυσα atque abſtemia fuiſſe, non inficiatur; hæc non item. in centur. Quamvis verò verba illa ServI callucrit: diſtinctionem tamen hanc capere non potuit, ex ea quidem cauſſa, partim à Macrobio obcæcatus, partim quòd Catonis illum locum non legerit, Vir immenſi ſtudii & amuſſitati ingenii, dignus, mehercle! nunquàm ſine encomii præſamine nominari, Joachimus Camerarius, qui talia commentatur: *Cereris feſtis jejunabant, ut Ariſtophanes:* ὄρνισι ὥσπερ θεσμοφορείοισιν νηστεύομεν. *Et ſobriæ mulieres has ferias celebrabant. Torſit ſe Servius Georgicorum primô, in hoc verſu* 344. *explicando:*

Cui tu lacte favos & miti dilue Baccho.

Sed Macrobius dubitationem omnem conatur diſſolvere lib. III. Saturn. c. XI. &c. adnott. ad Aulul. Notandum tandem, non in omnibus ſacrificiis fuiſſe libatum; ut teſtatur Suidas voc. νεφάλια ξύλα. Dii autem quibus libabatur, παρασπόνδιοι dicti ſunt.

CAPUT XXVI.

Epulæ ſacræ privatæ: Quinam ad eas invitati? Qualia in iis fercula? Locus Scriblturæ dilucidatur. Epulæ publicæ: Ubi habitæ: Sacrificia epularia. Epulæ ſacræ: Adjiciales. Adjicere epulum. *Pretium illarum epularum: Variæ de eo leges.* Epulones: Coëpulonus *apud Plautum. Epulonum numerus. Septemviri Epulones,* Φεάτερες. *Convivæ in epulis publicis: Eorum numerus. Leges convivales. Magiſteria regna vini. Magiſter bibendi. Ejus electio per talos: Synonyma: Merces. Siracidis locus enucleatur. Miniſter in epulis.* Επιμασία, Διασκευή. *Valla notatus. In epulis ſtabant convivæ. Epulæ poſt parentalia quales?* Culina. *Epularum iſtarum harpyæ. Terenti locus inluſtratur. Proverbium explicatur. Donatus notatur. Ejus ſcholia manca. Gvidonis interpretatio exploſa. Ex epulis quædam libata. Libare de dapibus. Stuckius exſibilatur. Vineæ ſacris epulis legatæ. Bibendi modi.* Πίνειν ἐν κύλῳ *&c.* Bibere Græcô more. Pergræcari. *In ho-*

norem variorum bibebant: Et quidem ad numerum litterarum nominum. Potationum in ſanitatem alterius hodiernarum origo. Formula propinandi. Ebræorum benedictio vini. Quibus præcipuè diis pocula epota? Crater πίλει@. Athenæi ſententia repudiatur. Finitâ cœnâ nova deorum pocula. Μεταvίπ]ελα, *μαςί.* I *Cor. X.* 21. *lux. Locus Jeſ. LXV.* II. *ſedulò excutitur. Quis* גד, *quis* מני, *diverſæ ſententiæ.* Militiæ, Exercitus, Δύναμις cæli & terræ, *id eſt*, *ſtellæ. Planetarum ſortes. Del-Rio notatur. Peor quiſnam?* ערסא לגדא Lectiſternia. *Calculorum & talorum luſus poſt ſacrificia uſitatus.*

EPULARUM SACRIFICALIUM, quas hôc capite delibabimus, aliæ erant PRIVATAE: ubi ſacrificantes non niſi intimioris notæ amicos ad cœnam de reliquiis à ſacrificiis domum ſecum aſportatis paratam invitabant. Minutius Felix: *Præcerptos cibos, & delibatos altaribus potus adhorretis*; in Octav. Vide Elmenhorſt in nott. Efformatus Plauti Amphitruo, III. III. 13. *Tu gubernatorem à navi huc evoca Blepharonem, ut re divinâ factâ mecum prandeat.* Trachalio apud eumdem: *Quàm mox coctum eſt prandium? AM. Quod prandium obſecro te? TR. Nempe rem divinam facitis hîc.* Rud. II. III. 12. 13. Reliquiæ hæ erant extorum pars, quorum pars altera Diis ante reddebatur. Ideò Gelaſimus apud Comicum rogitat: *Jam-*

Jamne exta cocta ſunt ? Quot agnis fecerat ? Stich. I. III. 96. Anathæm. apud eumdem. *Age eamus intrò, dum exta referuntur*, Pœn. II. 44. Peripleƈtomenes apud eumdem: *Sacrificant, abducunt ad exta*, M.G. III. I. 117. Potitius prior venit ad comedenda exta: Unde poſteà Potitii ſacra facientes veſcebantur de eo bove, quem immolaverant, à quo excludebantur Pinarii. Vide Orig. gent. Rom. c. VIII. Huc adludit Apoſtolus Paullus: *οὐχὶ οἱ ἐσθίοντες τὰς θυσίας κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου εἰσί*; 1 Cor. X. 18. Vide literarum delitia, Caſaubonum, com. in Theoph. charactr. Dilherrum, Tom. I. diſp. VIII. p. 259. & ſeqq. & Tom. II. diſp. IX. part. II. c. XII. Turnebum, adverſ. lib. VII. c. VI. & XXXIII. Taubmannum in Plaut. M. G. l. c. & Pœn. III. I. Apud Ebræos de quibuſnam hoſtiis pars ſacerdotibus aut ſacrificantibus ad epulas ceſſerit, vide Höttingerum de J. E. Legib. C. & CXXXV.

Aliæ PUBLICAE, quæ in locis publicis, præſertim templis, agitabantur, quaſi convivio Deos excepturi eſſent. Suidas voc. Apides. à quibus ſacrificia ipſa *Epularia* nominata ſunt, ut cognoſcere eſt ex Cic. de Orat. Vide de his Ambroſ. lib. IV. epiſt. Apulejum de mundo. Apud hunc latrones Marti ſecutori comitique victimant, & illicò prandium fabricant opiparè; lib. VII. Metam. Fragmentum Ravennæ: Ut. QVOTANNIS. ROSAS. AD. MONIMENTUM. EJUS. DEFERANT. ET. IBI. EPULENTUR. DUNTAXAT. IN. V. ID. JULIAS. Lapis Patavii: M. MANLIUS. SURUS. P. F. IIIV. CAP. ET. POMPONIA. GN. F. MARTIALI. CONCORDIA. INCOMPARABILIS. S. V. P. HAC. F. SINE. ULLA. PE-

NA. UT. SUPERSTES. ROSIS. S. JACENTIS. QVOTAN. KL. JUN. EXORNET. HICQVE. CUM. SUR. OMNIBUS. EPULETUR. QVOS. MORIENS. DAMNET. AD. TALE. POSTEROS. QVI. SUPERERINT. HUC. DEFUNCTUM. NIHILO. IMMUTATO. QVOD. AD. CORPUS. EJUS. ATTINET. COMITETUR. QVAN....... CT. OMNIBUS. IMMUTABILI. F. L......... IDUM. N. S. H. M. NAN. UT. VIVORUM. ANIMUS. STETIT. ITA. MORTUORUM. CINIS. H. JACENT. Mediolani, in templo D. Ambroſii, in latiſſima quadam menſa. C. PLINIUS. L. F. C. N. CAECILIUS. SECUNDUS. &c. &c. ADJECTIS. IN. ORNATUM. THERM. HS. CCC. ET. HOC. AMPLIUS. IN. TUTELAM. HS. CC. T. F. I. ET. IN. LIBERTORUM. SUORUM. NOMINIBUS. HS. ∞ LXVI. DEDIT. CENTUM. QVINQVAGINTA. SEX. REIP. INCREMENTUM. POSTEA. AD. EPULUM. PLEB. URBANAE. ID. VOLUIT. PERTINERE. Alia inſcribtio: UT. QVOTANN. SUB. ARCAM. NO. PLOTONI. ET. UXORI. PROSERPIN. M. OMNIBUSQ. SACRIFICENT. ROSISQ. EXORNENT. DE. RELIQVIIS. IBI. EPULENTUR. D. P. M. DA. EX. X. ATQ. T. FACIUNDUM. DELEGA. VITA. VALE. Ovidius, lib. II. Faſt. v. 655.

Spargitur & ceſo communi Terminus agno;
Nec queritur, lactans cùm ſibi porca datur.
Conveniunt: Celebrantque dapes vicinia ſimplex
Et cantant laudes, Termine ſancte, tuas.

Virgil. lib. IV. Aen. v. 206.

Cui nunc Mauruſia pictis
Gens epulata toris Lenæum libat honorem.

Idem, lib. VII. v. 146.

Cer-

Certatim inſtaurant epulas, atque omine magnô
Crateras læti ſtatuunt, & vina coronant.

Et paulò poſt, v. 175.

Hæc ſacris ſedes epulis: hîc ariete cæſo
Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.

Idem, lib. VIII. v. 180. ſ.

Viſcera toſta ferunt taurorum, onerantque caniſtris
Dona laborata Cereris, Bacchumque miniſtrant.
Veſcitur Aeneas, ſimul & Trojana juventus
Perpetui tergô bovis, & luſtralibus extis.

Epulæ illæ *ſacra*, & *adjiciales* audiebant, &, qui eas inſtituebant, *adjicere* dicebantur. *Video*, inquit Joſ. Scaliger, *dubitari, quæ eſſet Adjicialis cœna: Et erat, quoties aut inaugurandi alicujus gratiâ, aut propter alïud quid, puta publicam lætitiam, indicebatur epulum, idque dicebatur* EPULUM *aut* COENAM ADJICERE. Tacitus, lib. II. ann. c. LXV. *Reſcuporis ſanciendo, ut dictitabant, fœderi convivium adjecit, tractaque in multam noctem lætitia per epulas & vinolentiam.* Plin. lib. XXIX. c. IV. *Catulinam adjicialibus quidem celebrem epulis fuiſſe, Plauti fabulæ indicio ſunt.* Vide magnum illum Criticum, conjectt. in Varr. lib. VI. de L. L. p. 118. Sapiens Annæus: *Hæc, qualiſcumque, cœnâ adjiciali jucundior erit*; ep. CXXIII. Ubi P. Faber ſemeſtr. lib. I. c. XVI. & comm. L. 16. ff. de R. J. *Aditiali* legit, ab adeundo; ſicque intelligerentur cœnæ augurales: Quæ lectio Grutero etiam adridet, comm. in Senec.

Pretium Adjicialium & ſumtus lege Corneliâ Syllæ dictatoris mandatus erat: cùm pleriquе in patrimoniis amplis helluarentur, & familiam pecuniamque

ſuam prandiorum gurgitibus proluiſſent, ut Calendis, Idibus, Noniſque diebus ludorum & feriis quibuſdam ſolemnibus. HS. tricenos in cœnam inſumere jus poteſtaſque eſſet. Similes leges fuerunt Orchia, lata à C. Orchio Tribuno plebis, Lex Fannia, à C. Fannio & M. Meſſal. Coss. A. U. C. 592; Lex Didia A. U. C. 610; Lex Licinia, à P. Licinio Craſſo Cos.; Lex Lepidi, à Lepido; Lex Antia, ab Antio Reſtione. Idem confirmavit lex Julia, niſi quòd nubtiis & repotiis aliquid indulſerit. Vide Cic. lib. VII. ep. XXVII. Macrob. Saturn. lib. III. c. VII. A. gell. lib. II. c. XIV. * Alex. ab Alex. lib. III. c. XI. Cunr. Rittershuſium not. in paneg. Mamert. ad Maxim. Berneggerum, diſput. de Conviviis §.23. Sacra iſthæc convivia Chriſtiani poſteà Impp. facilè prohibuêre, ceu conſtat ex l. ut profanos. 4. C. de pagan. & ſacrif. & templis; ubi clarè: *Unde abſque ullo ſacrificio, abſque ulla ſuperſtitione damnabili exhiberi populorum voluptates ſecundùm veterem conſvetudinem, miniſtrari etiam feſta convivia, quando exigunt publica vota, decernimus.*

Ad has adjiciales certi conſtituti erant viri, & qui eas indicerent, & qui in iis Pontifici miniſtrarent, & qui ipſas quoque conficerent; inde *Epulones* dicti, quæ vox aliquando etiam convivas ſignificat, ut perſcitè probat Phil. Beroaldus in Apul. lib. II. Metam. Unde *Coëpulonus* Plauto dictus convictor. Illorum igitur ſacrorum epulonum primitus tres erant: Mox ob ſacrificiorum multitudinem auctus eſt numerus, ad-

* Hic locus in mendo cubat. Tu vide lib. VII. c. XX & lib. XV. c. II.

additique viri quatuor, qui propterea cognominati ſunt *Septemviri Epulonum*, Græcè φερέτορες; ad quos Lucanus reſpicit, ſcribens, lib. I. v. 602. *Septemvirque epulis feſtus, Titiique Sodales.* Vide de iis Gyrald. Synt. XVII. p. 461. Choulium, p. 260. & ſeqq. Beroaldum l. c. & ad lib. IX. Met. Gruterum in inſcribtt. fol. 307. Lapis Romæ ad S. Mariam: L. CORNELIO. P. F. SULLAE. COS. P. R. VII. VIR. EPUL. CLIENTES. POS. Ibid. ad D. Petri Baſil. IMP. CAES. DIVI. FIL. AUGUSTO. TERRA. MARIQ. VICTORI. SACERDOT. BONAE. DEAE. ET. COLLEG. VII. VIR. EPULON. Ibid. in domo Cæſiâ: C. SALLIO. ARISTAENETO. V. C. SEPTEMVIRO. EPULONUM. SODALI. AUGUSTALI. In Pyramide marmoris antiqui: OPUS. ABSOLUTUM. DIEBUS. CXXX. EX. TESTAM. C. CORNELII. TRIB. PLEB. SEPTEMVIRI. EPULONUM. In moneta antiqua:

L. CALDUS.
VII. VIR. EPUL.

Abydeni ad ſacra ſua convivia infantes introducebant, ut tradit Zenobius h. v. φασὶ δὲ ὅτι τοῖς Ἀβυδηνοῖς ἔθος ἦν μετὰ τὸ δεῖπνον καὶ τὰς σπονδὰς προσάγειν τοὺς παῖδας μετὰ τῶν τιτθῶν τοῖς σωχυμβίοις. Unde proverbium ortum: Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα; quod εἴρηται ἀπὸ τοῦ ὑπ' αὐτῶν συκοφαντεῖσθαι τοὺς ξένους· ἔνθεν Ἀριστοφάνης τὸν συκοφάντην ἀβυδηνοκώμην εἶπεν. Ceterùm ambigo, an idem in ſacris cœnis convivarum numerus, qui in profanis; de quo laudatiſſimus Beroaldus: *Lex convivalis præcipit, ne in convivio epulones, i. e. convivæ plures ſint quam novem, nec pauciores quàm tres. Oportet enim numerum convivarum*

à gratiarum nomine incipere, & progredi ad Muſarum: id eſt proficiſci à tribus, & conſiſtere in novem. Nam multos eſſe, inquit M. Varro, non convenit, quod turba plerumque eſt turbulenta. Notiſſimum dictum eſt de numero convivarum, prout meminit Julius Capitolinus: Septem convivium, novem verò convitium. Archeſtratus Poëta Græcus: Conviva, inquit, aut tres, aut quatuor, aut non plures quinque ſunto; aliàs mercenariorum & raptô viventium conventus fuerit. Athenæus quoque auctor eſt, olim non plures quinque in convivium adhiberi ſolitos; comm. in Apul. lib. II. Metam. Aliàs tales Leges Conviviales circumferuntur.

I. Vinum purum putum puer infundito.

II. Nymfis in hoc regno aquâ & igni interdictum eſto.

III. A ſummo ad imum more majorum bibunto.

IV. Paterâ vinum circumferunto.

V. Decem cyathi ſumma potio ſunto.

VI. Muſis nonum, decumum Apollini libanto.

VII. Dominam ſi quis habeſſit, indicium facito.

VIII. Ejus & propitia dea nomine ſupra numerum bibito.

IX. Dicta & jocos uſurpanto.

X. Aſt intra licentiam & convicia utraque ſunto.

XI. Rixæ, clamor, contentio, ad Thracas ablegantor.

XII. Eorum vicem carmen aliudve quid Muſeum proferunto.

XIII. De eo modicè & modeſtè anquirunto.

XIV.

XIV. Angeronæ ſacra menſa habetor.

XV. Dicta, indicta, facta, infecta in vino inſcribuntor.

Qui haſce leges frauſus eſcit, ſacer, inteſtabilis vivito.

An verò hæ ſingulæ in ſacris quoque epulis obſervatæ ſint, neque quædam aut immutatæ, quædam verò novæ adjectæ, quamvis adſertu haud arduum videatur, judicare tamen ſuperſedeo.

Eligebatur etiam in adjicialibus, veluti & in aliis conviviis, talorum jactu, & eo quidem, qui *Venus* dicebatur, *Magiſter bibendi*, qui *magiſteria* ſeu *regna vini* (obſerva voculas ſolemnes) tenebat, proculaque epulonibus propinabat. Ipſe aliàs audivit *Arbiter*, *Dictator*, *Modimperator*; Apud Græcos: *συμποσίαρχος*, *βασιλεὺς*, *στρατηγός*. Vide Lipſium, A. L. lib. III. Grapaldum, lib. II. c. III. Taubmannum ad Pl. Perſ. V. I. Eum nec Ebræis inſolentem fuiſſe, docemur ex Siracide à Grutero: *Si ſummus convivii magiſter es conſtitutus, ne te ſupra alios efferas, ſed quaſi unum ex illis prebeas: Habeto curam eorum atque ita confide. Et cùm tuô munere perfunctis fueris, commendationem adeptus, quieſce: ut leteris eorum cauſſâ, ornamentique gratiâ coronam accipias.* Hæc Sirach. c. XXXII. 1, 2, 3. Ubi videmus præmii ritè adminiſtrati officii, coronæ ſcil., mentionem fieri: proprii etiam apud Ethnicos Modimperatoris. Pertinet huc etiam Miniſter, qui pocula miſcebat, aquamque manibus & pedibus, ceu id in conviviis fieri conſvevit, præbebat, de quo Stegerus de lot. vett. Rom. c. VIII.

Ad-

Adparatus ad convivia talia dicebatur ἐπιμασία ϗ διασκευή. Sed fallitur bonus ille Valla, qui deorum epulas, aut quæcumque eorum ſacrificiis adlata eſſent, *Dapes* propriè nuncupatas vult: meritóque carpitur à Joh. à Meyen, quem adi in lib. VI. Aen. Virg. v. 225. * In cœna, poſt ſacrificium inaugurationis Pontificis, qualeſnam cibi adpoſiti fuerint,

* *Verba ejus hæc ſunt*: Valla deorum epulas, aut qvæ eorum ſacrificiis allata ſunt, duntaxat dapes appellari exiſtimat, non etiam alios omnes lautos opiparoſque apparatus. Sed Vir doctiſſimus, etſi aliis locis ingeniô acerrimô egregiôqve judiciô, hîc ſui diſſimilis fuit. Etenim ex hoc ipſo aliisqve Poëtis ſtatim demonſtrabo, ſive Deorum, ſive mortuorum, ſive deniqve hominum fuerint, à Veteribus dapes nullô diſcrimine appellatas fuiſſe. Martialis de menſa Ligurini agens ſic canit: Illa qvidem lauta eſt dapibuſqve inſtructa ſuperbis. Virgilius in Bucol. qvas illi Philomela dapes, qvæ dona parârit. Et librô III. Æneid. Nam ſimul expletus dapibus vinôqve ſepultus &c. Unde arbitror perſpicuum eſſe, qvàm verè ſenſerit Valla, qvem putarem hâc re potiſſimùm in errorem inductum, qvòd ſcilicet apud veteres daps diceretur res divina, qvæ fiebat hibernâ aut vernâ ſemente: à gr. voce δαὶς, qvæ id genus epulas ſignet, auctore Sextô Pompejô.

His Meyenii verbis ſeqventia ſubjicit doctiſſimus Germaniæ homo Georg. Henr. Urſinus, ingenii doctrinæqve laude paterni nominis gloriam propagans, c. VI. Obſervation. p. 60. Integrum locum non piguit adſcribere, ut & pateat qvibus armis impugnetur Servii ſententia, & facta Vallæ injuria; idque eò magis qvia hunc docti Viri locum video cum laude & approbatione produci etiam doctiſſimo de ſacrificiis veterum auctori (*Sauberto*) cap. XXVI. Qvi niſi tum nimium feſtinâſſet, facilè fucum Mayenii deprehendiſſet. Nam cùm neqve Valla, ſed Servius primus ſententiæ hujus ſit auctor, non illum potiùs, ſiqvidem vel ita ſenſiſſet, ſed hunc, aut certè primò illum, & tum

rint, ſingulos concinnè refert Choul, p. 266. & ſeqq. Edebant autem in epulis his ſtantes, ſed in Her-

tum deceptum ejus auctoritate Vallam, producere decebat. Atqvi ille ſic tractat Vallam, qvaſi primus is hunc errorem, ſi tamen error eſt, erráſſet. Neqve verò Feſtus in errorem hunc Vallam induxit, ſed hæc ipſiſſima Servii eſt ſententia. Nunc ſi præterea ipſum Vallæ librum elegantiarum IV. cap. XXIII. inſpicio, nihil aliud ibi deprehendo, qvàm hæc verba: *Dapes volunt eſſe vel Deorum, vel noſtras in ſacrificiis Deorum.* Unde cuivis patet, eum non tam ſuam, qvàm aliorum ſententiam referre. Ad Servium qvod attinet eqvidem *dapes* lautum & opiparum qvemvis, imò qvemcumqve cibum generatim ſignificare lubentes fatemur, inducti cùm iis, qvæ à Meyen attulit, exemplis, tum aliis innumerabilibus. Ulteriùs etiam progreſſus hac in parte Nonius, qvem operæ pretium fuerit conferre, dum ſic ait: *Dapes non ſolùm opiparos apparatus, aut religioſos, ſicuti plerumqve, ſignificare, ſed & vitabiles & infandos cibos, auctore Virgiliô poſſumus dicere Æneid. libr. III. de Cyclope*

Nam ſimul expletus dapibus vinôqve ſepultus.

Et Bucol: Qvas illi Philomela dapes, qvæ dona parârit. Priore ex loco Virgilii telum qvoqve ſuum in Grammaticos intorſit Scaliger, in Vallam Majenius, uti vidimus. Ac paſſim ab eruditis hunc Nonii locum citari videas, albâqve lineâ ſignari, à nullo autem adhuc improbatum. Sed profectò qvi ſcopum Virgilii utroque in loco curatiùs inſpexerit, ille aliud fortè mecum tenebit. Qvippe & cum Cyclops dicitur expletus fuiſſe *dapibus vinôqve ſepultus*, pertendi poteſt, utcumqve aliis & ex ſeſe infandi fuiſſent Polyphemi hi cibi, non tamen ipſi tales fuiſſe, cujus hæc reſpectu dicuntur; qvin illi meras potiùs delicias ſvaviſſimaſqve fuiſſe cupedias. Qvod & quadrat ad præcedentem verſum 618.

Domus ſanie dapibusqve cruentis

Intus opaca, &c. ubi ſimul in illis *dapibus cruentis* lateat aliqvid ὀξυμωρῳ ſimile. Qvæ verò Eclog. VI. de Phi-

Herculis Romæ ad aram Maximam ſedentes. Ceterùm multa adhuc profanorum conviviorum in adjicialibus quoque uſu veniebant, qvæ vel planè prætervimus ſiccô, quod ajunt, pede; vel, ſi hoc minus commodè fieri potuit, ſtudiô perſtrinximus:

&

Philomela dicuntur, ea multò minus efficiunt, qvod voluit Nonius, cumqve eo à Meyen. Siqvidem ironicè dicta qvivis naris non nimium obeſæ odorari facilè poſſit. Nec felicius ſucceſſit res doctiſſimo Jeſuitæ Jacobo Pontano in ſymbolis ad IV. Georgic. qvi in verbis illis verſ. 132.

Serâqve revertèns

Nocte domum dapibus menſas onerabat inemptis,

tantoperè neglectum à Poeta Servii diſcrimen putat, ut de vilibus etiam ac contemptis cibis *dapès* hîc dixerit Virgilius. Qvô qvidem nihil à mente Poëtæ alienius potuit cogitari, cujus ſcopus eſt agricolarum felicitatem extollere, & vel ipſorum Regum fortunis æqvare; cùm in *ἀμέσως* præcedentibus dixerit: *Regum æqvabat opes animis.* Ergò *dapes inemptæ*, qvas & in eadem re eôdem planè ſenſu adhibuit Epodon II. Horatius, longè ſunt aliud, atqve exiſtimavit Pontanus, cibi qvidem ſponte ſuâ in rure ſibi ſuo agricolæ nati, nec ullô pretiô comparandi, interim tamen verè *dapes*, verè ſvaviſſima gulæ proritamenta, & famis condimenta laborioſo homini, cùm in ſe, bonitatis ſuæ & optimi ſucci ratione, tùm vel magis etiam ipſius judiciô omnibus qvibuſcumqve lautiſſimis pretioſiſſimiſqve Regum & Magnatum eduliis potiora. Iterum elegantiſſimum acumen, & qvædem qvaſi acutifatui ſpecies in illis *dapes inemptæ.* Aliis igitur exemplis opus eſt Nonio Noniiqve aſſeclis & Pontano, ſiqvid velint obtinere. Illud interim, ut dictum, *dapes* de qvocumqve lauto & opiparo apparatu ſumi, damus Scaligero, Mayenio, Becmanno, Voſſio aliiſqve & utrâqve manu damus, unde etiam in gloſſis *dapes πολυτελῆ, δεῖπνα* exponuntur; imò generatim de omni cibo, dici, unde in Onomaſtico Argentoratenſi *dapes ἐδέσματα, & dapifer σιτηφόρος.*

& eò quidem, quoniam, quicquid de ferculis, adparatu & ritibus conviviorum vett. dici potuit, uberrimè dixerunt & opiparè pertractârunt Lipſius, lib. integrô tertiô Antiqq. Lectt. & Guilhelmus Stuckius in Antiqq. Convivalibus, opere multò limatiori & longè majoris ſtudii, quàm eſt illud de Sacrificiis.

Epulæ poſt Parentalia non obſcurè adparent ex inſcribtionibus capitis hujus initiô adductis: Et erant panis, placentæ, ac ſimilia. Eæ vel comburebantur; ubi locus, quô id fiebat, *Culina* dictus eſt: Vel adponebantur. Erant igitur homines famelici ac paupertini, qui iſtiuſmodi cibis inſidiabantur; de quali Catullus, carm. LX. v. 2.

Sæpe quam in ſepulcretis
Vidiſtis ipſo carpere è rogo cœnam:
Cùm devolutum ex igne proſeqvens panem
A ſemiraſo tunderetur uſtore.

Tibullus, lib. I. El. V. v. 53.

Ipſa fame ſtimulante furens, eſcaſque ſepulcris
Quærat. - -

Planè huc ſpectant Parmenonis apud Terentium verba: *Ex flamma te petere cibum poſſe arbitror:* in Eun. III. II. 38. Commune enim hoc apud priſcos dicterium fuit de inedia feſſis, & quorum res familiaris ad incitas redacta erat lineas. Id apud Comicum vix unus aut alter interpretum odoratus eſt. Donatus nullibi, credo, minùs eſt Donatus, quàm hôc ipſô locô; ita ejus ſcholia omnimodò injuriâ temporum, atque inertium tenebrionum, naufragium fuêre paſſa, factaque confuſum chaos. Adducam tamen verba ejus: EX FLAMMA TE PETERE C. P. AR. *Petere*

ci-

cibum hoc eſt alimentum : unde ſine damno aut malo nihil poteſt auferri. EX FLAMMA , *hoc intelligit non ex foco , aut ex medio igni , ſed ex flammis* † *incendio : Nam non intelligibile eſt , ut è foco cibum peteret. Nam antiquum verbum eſt petere cibum è flammâ.* ✠ *Ex flammâ : mordaciter utrumqve ſimul , ut neſciat , quem prius vituperaverit , hujuſne famem ; an illius immanitatem vel voraginem ; & ſimul vide convitium redditum : Unde conjectum eſt idem de paupertate & egeſtate.* Hæc ſcholia. Aliter aliquantum Guido, (quamvis rarò id ſoleat) ſed ſatis ſimpliciter : EX FLAMMA : *id eſt ex famis incendio, Poſſe tamen fortaſſe non ineptè dici , quamvis Donato non placeat , puta te ita ligurionem voracem, ſeu epulonem, aut comedonem , ut etiam ex medio æſtu ollæ bullientis educere ſeu decerpere cibum non dubitares : Adeò ventri deditus es , ita quòd flammæ vel ardoris moleſtias perpeti non renueres , dummodò gulæ tuæ inſervires.*

Neque in his ſacris conviviis nulla ſuperſtitioſorum religio. E dapibus ſubinde (velut & in privatis conviviis) in honorem deorum aliquid libabant. Livius : *Inter pocula atque epulas , ubi diis libare dapes & bene precari mos eſſet*; lib. XXXIX. c. XLIII. Homerus: θεοῖσι δὲ θῦσαι ἀνώγει Πάτροκλον, ὃν ἑταῖρον, ὁ δ᾽ ἐν πυρὶ βάλλε θυηλάς; in Achill. Dionys. Halicarn. Ἀπὸ τῆς ἑστίας τῶν βασιλέων, ἐφ᾽ ἧς ἄλλας τε συντελοῦσι ῥωμαῖοι ἱερουργίας καὶ τὰς ἀπὸ τῶν δείπνων ἀπαρχὰς ἁγίζουσι; lib. IV. antiqq. Plutarchus: ἀπάργματα καὶ λοιβὴν λαμβάνουσιν ἀπὸ βασιλικῆς τραπέζης, καὶ ὥσπερ εἰώθη, τῷ πυρὶ ἐπιβάλλουσι; de fort. R. Adeatur

† Vitioſiſſimos habuit Auctor Codices Donati , ſi ita habuerunt , mei ſanè habent aliter.

tur Lipſius in lib.XV. Ann. Taciti. Cùm verò in ſacrificiis *herbæ*, & in epulis dapes *libari diis* dicuntur; τὸ *libare* non ſignificat deguſtare, ſed vel offerre ac dare, vel adolere. Hoc non intellexit Stuckius, & procul dubio illud Virg. lib. I. Aen. v. 260. *Oſcula libavit*, ſimiliter expoſuiſſet: deguſtavit vel effudit.

Quanti demum poſt adjicialia ſua Sacrifici noſtri Vini & Κυλίκων ἐρέπαι? illud ſæpe ex vineis ad talia convivia legatis deſumtum, colligimus ex fragm. Teſtamenti inventi Romæ annô 1498. in quo legitur. HOC. AMPLIUS. R. P. PETILINORUM. DARI. VOLO. HS. XN. ITEM. VINEAM CALCIDIANAM. CUM. PARTEM. FUNDI. &c. Et aliquantum pòſt. VINEAM. QVOQVE. CUM. PARTE. FUNDI. POMPEJANI. SIC. UT. SUPRA. DIXI. HOC. AMPLIUS. AUGUSTALIBUS. LOCI. DARI. NON. VOLO. QVAM. VINEAM. VINEAM. AUTEM. VOBIS. AUGUSTALES. IDCIRCO. DARI. VOLO. QVAE. EST. AMINEA. UT. SI. COGITATIONI. MEAE. QVA. PROSPEXISSENT. UTILITATIBUS. NOSTRIS. CREDO. CONSENSERITIS. VINUM. USIBUS. VESTRIS. DUNTAXAT. DUM. PUBLICE. EPULAS. EXERCEBITIS. HABERE. POSITIS. &c.

Bibebant autem frequentiſſimè Dextrorſum in orbem, quod Græcis erat πίνειν ἐν κύκλῳ; Latinis: *à ſummo bibere*; Germanis auff der Reih trincken, Aliquando quoque tranſverſim, creützweiſe. Et quidem *Græcô more*, quod adagioni locum dedit; & initia verbo *pergræcari*, de quo videndus Eraſmus. Græci enim primi non tantùm diis, ſed & Principibus, patronis, Præceptoribus, atque amicis,

amicabuſque, inter pocula & menſas libârunt, eorumque honori biberunt. Aſconius Pedianus, ad illud Ciceronis: *Græcô more biberetur*, adnotat: *Grandibus inquiunt poculis & meracis potionibus, qui non intelligunt dicta Ciceronis: & hoc putant Græcô more potare: Eſt autem Græcus mos (ut Græci dicunt) συμπεῖν χυαθιζομένυς, cùm merum cyathis libant ſalutantes primò deos, deinde amicos ſuos nominatim. Nam toties merum bibunt, quoties & deos, & caros ſuos nominant.* in III. Verr. Et tot quidem in honorem amicorum cyathos bibebant, quot in nominibus eorum litteræ eſſent. Itaque clareſcit Martialis, lib. I. epigr. LXXI. v. 1. ſ.

Nævia ſex calathis, ſeptem Juſtina bibatur:
Quinque Lycas; Lyde quattuor; Ida tribus
Omnis ab infuſo numeretur amica falerno.

Adde lib. epigr. XCIII. Vide Lipſium, L. A. Ab hac libatione abominanda illa λῦτρα, & in aliorum valetudinem atque proſperitatem ingurgitationes ad detrimentum extremum usque corporis hodiernas dimanâſſe luculenter oſtendit Mateneſius S. S. Theol. Doctor, tract. de ritu bibendi ſuper ſanitat. Formula tales cyathos propinandi erat hæc, quam habet Plautus in Perſ. V. I. 19.

A ſummo ſeptenis cyathis committe hos ludos; move manus, propera.
Pægnium tardè cyathos mihi das, cedò ſanè. Benè mihi, benè vobis, benè amicæ meæ!

Et in Stich. V. IV. 24.

SA. *Vide, quot cyathos bibimus St. Tot, quot digiti ſunt tibi in manu.*
Cantio eſt Græca: ἢ πέντε πῖν', ἢ τρῖς πῖν', ἢ

μὴ

μὴ πίπλαρα.

Tibi propino decumâ fonte: tibi tute inde, ſi ſapis.
SA. *Benè vos, benè nos, benè te, benè me, benè*
noſtram etiam Stephanium,
Bibe, ſi bibis &c:

Vide totam hanc ſcenam: Et in loca hæc cit. Taubmannum in nott. Poſſunt etiam de Romanorum propinationibus evolvi Herodianus, lib. I. {Berneggerus diſſ. de Conviviis §. 192. Ebræorum paterfamiliâs poculum, quod manu tenebat, hâc precatione propinabat: ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העלם בורא פרי הגפן: id eſt *Benedictus eſto tu Domine Deus noſter, creator fructus vitis.*

Præcipuè diis certis â modimperatore certa adpoſita ac epota pocula: Et primum quidem, ut refert Pindari ſcholiaſta, Jovi Olympio, ſecundum Heroibus; tertium Jovi Servatori. Ad ea reſpicit Plutarchus, Quæſtt. conviv. οὐδὲ γὰρ θεῷ θύοντες, πᾶσι τοῖς ἄλλοις θεοῖς, μάλιστα καὶ σὺν ναοῖς καὶ βωμοῖς κατευχόμεθα, ἀλλὰ τριῶν κρατήρων κερναμένων, τοῖς μὲν ἀπὸ πρώτου σπένδομεν, τοῖς δὲ ἀπὸ τοῦ δευτέρου, τοῖς δὲ ἀπὸ τοῦ τελευταίου. φθόνος γὰρ ἔξω θείου χοροῦ ἵσταται; dec. V. Et clarè Aeſchylus in Epigonis: Λοιβὰς διὸς μὲν πρῶτον ὡραίου γάμου Ἥρας τε, εἶτα τὴν δευτέραν γε κρᾶσιν Ἥρωσι νέμω, εἶτα τρίτον διὸς τοῦ σωτῆρος εὐκταίαν λίβα: De tertio Jovis Soſpitatoris Sophocles ἐν Ναυπλίῳ:

Ζεῦ παυσίλυπέ τε καὶ Διὸς Σωτηρίου
Σπονδὴ τρίτου κρατῆρος.

Unde Crater hic τέλειος dictus; ſive quòd numerus ternarius omnium abſolutiſſimus, vel quod in illo, utpote ultimo, potatio deſiſteret. Vide Paulum Ma-

Manutium in addag. cui Jupiter Olympius cum Soſpitatore idem videtur.

Enimverò Apollonl ſcholiaſta tria alia pocula adjicialibus largitur: I. Διὸς Σωτῆρος, II. ἀγαθοῦ Δαίμονος, III. Ἑρμοῦ. Quamvis Athenæus duo illa priora Jovis Servatoris & Boni Dæmonis eadem faciat, ſatis tamen ſtramineô teſtimoniô Diphili probare laboret, lib. II. dipnoſoph. Illa igitur, quæ ſuprà recenſuimus, in epulis fortè ipſis; certè hæc finitâ cænâ, lotiſque manibus, exhibebantur. Priora quidem duo dixêre μεταvιπτρίς & μαστά. Nicoſtratus: Μετανίπτριδα δὲ αὐτῷ τῆς ὑγιείας ἔγχεον, λάβε τῆς ὑγιείας δὴ σύ. Φέρε τύχα ἀγαθῇ. τύχη τὰ θνητῶν πράγματα. in Pandr. Potionem ipſam μετανιπτρίδα. Callias: Δέξαι τήνδε μετανιπτρίδα τῆς ὑγιείας. in Cyclopp. Diphilus in Sapphone:

Ἀρχίλοχε δέξαι τήνδε τὴν μετανιπτρίδα
Μεστὴν διὸς σωτῆρος ἀγαθοῦ δαίμονος.

Egregiè Theophraſtus de boni genii poculo: Τὸν ἄκρατον οἶνον ἐπὶ τῷ δείπνῳ διδόμενον, ὅν δὴ λέγουσιν ἀγαθοῦ δαίμονος εἶναι πρόποσιν, ὀλίγον τε προσφέρουσιν ὥσπερ ἀναμιμνήσκοντες μόνον τῇ γεύσει τὴν ἰσχὺν αὐτοῦ, καὶ τὴν τοῦ θεοῦ δωρεὰν, καὶ μετὰ τὴν πλήρωσιν διδόασιν, ὅπερ ἐλάχιστον ᾖ τὸ πινόμενον καὶ τρίτον προσκυνήσαντες λαμβάνουσιν ἀπὸ τῆς τραπέζης, καὶ ὥσπερ ἱκετείαν τινα ποιούμενοι τοῦ θεοῦ μηδὲν ἀσχημονεῖν, μηδὲ ἔχειν ἰσχυρὰν ἐπιθυμίαν τοῦ πόθου τούτου, καὶ λαμβάνειν ἐξ αὐτοῦ τὰ καλὰ καὶ χρήσιμα; lib. de temulent. Philochorus: Καὶ θεσμὸς ἐτέθη τότε προσφέρεσθαι μετὰ τὰ σιτία πᾶσιν ἀκράτου μὲν, ὅσον γεῦμα καὶ δεῖγμα τῆς δυνάμεως τοῦ ἀγαθοῦ θεοῦ, τὸν δὲ λοιπὸν ἤδη κεκραμένον. Διὸ καὶ τροφοὺς τοῦ Διονύσου τὰς νύμφας ὀνομασθῆναι; lib. II. Atthid.

Ad

Ad hos calices adſerimus cum magno quodam Philologo reſpicere S. Apoſtolum: Ὀυ δύνασθε ποτήριον κυρίου πίνειν καὶ ποτήριον δαιμονίων· ὀυ δύνασθε τραπέζης κυρίου μετέχειν καὶ τραπέζης δαιμονίων. 1. Cor. X. 21. Fuêre autem dæmoniorum pocula, quæ recenſuimus: Jovis Olympii & Servatoris, Boni Genii, MercurI, Heroum & Junonis.

Talem putidam idololatriam in Judæis contumacibus, obſtinatis,

& cortice pingui.
Ut ramale vetus prægrandi ſubere coctum,

carpit inluſtris Propheta: *Et vos derelinquentes Dominum, obliviſcentes montis ſanctitatis meæ,* הערכים לגד שלחן והממלאים למני ממסך, id eſt *Parantes* לגד *menſam, & implentes* למני *libamen*, c. LXV. 11. De cultu ipſo res certa: At de diis, cui ille exhibitus, ingens in Philologorem foro lis eſt. Multi גד interpretantur מזל טוב id eſt *Sidus bonum, bonus daemon:* Arabibus *Gad* eſt beneficus, bonus. Jonathan Ben-Uziel, auctor Chaldaicæ paraphraſeos explicat: מזלא טבא id eſt fortuna bona. Cyrillus & LXX. interpretes verſiculum illum legunt: ἑτοιμάζοντες τῷ δαίμονι τράπεζαν, καὶ πληροῦντες τῇ τύχῃ κέρασμα, id eſt *Dæmoni & fortunæ*; cum quibus conſentit Procopius, niſi quòd fortunam præponat. Oſorius, Mercerus, Cornelius, & alii, quos recenſet Vatablus, fortunam & fatum intelligi ajunt. B. Lutherus ita reddit: Ihr richtet dem Gad einen Tiſch / und ſchenket voll ein vom Trank Opfer dem Meni; quas voces etiam Leo Judas retinuit. Tremellius hanc ponit expoſitionem: *Qui inſtruitis turmæ illi menſam, quique impletis numeris illis libamen*, & ſtellas ſignificari adno-

tat, quibus velut exercitibus cælum, terra, & aqua inſtructa ſint. Et hôc ſenſu ſtellæ vocantur *Militia, Exercitus, Δύναμις cæli & terræ*, Gen. II. 1. Dan. VIII. 10. 1 Reg. XXII. 19. 2. Paralip. XVIII. 18. Pſal. XXIV. 10. XLVI. 8. LXVIII. 13. CIII. 21. Jeſ. I. 9. & 24. XXV. 6. XLV. 12. Luc. II. 13. XXI. 26. & alibi. Sidera verò cæleſtia, deſertô veri Dei cultu, adorârunt Judæi; quod legimus Deut. XVII. 3. Soph. I. 5. in Rambam de cultu ſtellarum, & alibi. Cum illo faciunt R. Aben Ezra, Buxtorfius, Schindlerus, & plurimi Ebræorum, niſi quòd Schindlerus addat intelligere alios numerationis deum Mercurium: Arias Montanus ſimiliter exponit: *Parantes Jovi (qui paratis militia caleſti) menſam, & implentes Meni (qui impletis Planetis) libamen.* Münſterus: *Præparantes Gad (Jovi) menſam, & implentes Planetis libamen.* Itidem hîc ſignificari volunt ſtellam Jovis R. R. Moſes & Kimchi, quæ eô nomine Arabibus dicatur; Ebræis aliàs adpellata כוכב צדק id eſt *ſtella Juſtitiæ.* R. Abraham quoque *militiam ſive exercitum cæli* vertit: R. Jonah, *conjunctionem Planetarum*: R. Salomo, *bonum ſidus, planetam fauſtum*: Aquila, *ὕζανον corporum cæleſtium, Solem*: Fullerus, *fortunam, Jovem, Martem*: Förerius Gad contendit eſſe ſtellam Martis; Meni, ſtellam MercurI. Del. Rio (ex quo nos multa hauſimus) in adagg. alia citat Montani verba, utut proliXiſſima, nullô tamen modô hîc omittenda: Scribit Ebræa verbotenus reddi: *Inſtruentes bono eventui ſive bonæ gratiæ menſam*; & ſignificare idem: quod Latinis indulgere genio cum boni eventûs ſpe, animo curâ vacuo; cuticulam curare ſine futuri ſollicitu-

citu-

citudine, ſed velut bonô omine ſe felicitati commendare: quod Galli dicant; *Appreſter la table bien fournie, à la bonne grace.* Cujuſmodi vitam & vota docuerit Horatius Thaliarchum, lib. I. od. IX. Et hanc luxuriam Judæorum cum ominatione conjunctam vult reprehendi. Probat primò, quia גד ſignificat *felicitatem, bonum omen, bonum eventum*; ut patet ex Gen. XXX. 11. ubi Lia, cùm ei ancilla filium peperiſſet, dixit feliciter, & idcircò vocavit nomen ejus *Gad* גד Secundò quia hîc ſubditur Ebraicè והממלאים למני ממסך *vehammemaleim lamni mimmeſach*, de verbo: *& qui implent ad numerum de mixtione.* Quod refert ad morem antiquum numerandi in conviviis pocula: quæ quiſque biberet, ex arbitrio modimperatoris, qui ſolitus ea ſæpe ad numerum litterarum vel amicæ in venereis; vel divi alicujus in ſolemnibus aut ſacris epulis: (ſic iſta puto diſpeſcenda, & ita de prioribus Martialem, de poſterioribus Horatium interpretor) Addit, Iſraëlitarum morem diverſum fuiſſe à more Latinorum: Latinos enim ſolitos numerare litteras ipſas nominis, ut Ida tribus, Lyda quatuor, Juſtina ſeptem conſtabat. Ebræos verò attendiſſe ad ordinem, quem in Alphabeto litteræ iſtæ obtinerent; v. g. Gad conſtat duabus litteris, quarum prima ghimel eſt tertia alphabeti littera, daleth verò altera eſt quarta; ſic ex duabus his effici ſeptem. Itaque pocula Gad ſacra fuiſſe ſeptem, numerum felicem; & ideò noſtrum interpretem, ſicut in Geneſi *Gad* interpretatus eſt *feliciter*, ſic hôc locô interpretatum *fortunam*, hoc eſt felicitatem; & indicâſſe morem libandi ei ſeptem poculis, & iis quidem non aquâ mi-

xtis (ut inter ſobrios decebat) ſed aliis vinorum aut odoramentorum variorum generibus, vel etiam Hymettiô melle, ſicut falerna diluebantur &c. Hæc Del-Rio ex Aria Montano. Erant enim Planetarum ſingulis ſortes; ut: Saturno νέμεσις, Jovi νίκη, Marti τόλμα, Soli ἀγαθοδαίμων, Veneri ἔρως, Mercurio ἀνάγκη, Lunæ ἀγαθὴ τύχη. Vide Joh. Picum Mirandulam adverſ. Aſtrol. lib. VI. c. XVIII. Onkelos pro *Gad idola*, & *Deos fictos* pro *Meni* habet; cum quo convenit vetuſta quædam verſio Arabica. Errat hîc, aut fortè ſui oblitus eſt, Del-Rio adfirmans omnes interpretes vocem מני à מנה deducere, cùm id verba ejus jam modò allegata confundant: Item Symmachus, qui Hieronymi teſtimoniô legit *Mini* i.e. impletis *abſque me* potionem; & Vulgata, quæ talis: *Ponitis fortunæ menſam & libatis* SUPER EAM. Vide de his pluribus Del-Rio adag. DCCCX. DCCCXI. Seldenum de D. S. lib. I. c. I. Glaſſium, Phil. S. lib. IV. tr. III. obſerv. IX. §. ult. Schedium de D. G. lib. I. c. IV. Fortè huc conlineat R. Maimon. de cultu ſtell. 12. כיצד הרי שניסך לפעור או שזבח לכרקולים: id eſt, *Ecce hic & ille, qui Peori libat, & Mercurio ſacrificat.* c. III. §. 4. Peor aliis quidem eſt Saturnus; aliis tamen Jupiter Tonator, primò, teſte Scaligerô בעל-רעם, *dominus tonitruum:* Ebræis verò per contemtum בעל-פער *dominus crepitus ventris* dictus. Alii Jovem Stygium explicant.

Nec fortunæ menſam ſolùm; ſed & Lectum poſuêre, teſte Druſiô, dictum ערסא; לגבא de quo auctor Lexici Talmudici: *Lectus erat factus in honorem bonæ fortunæ, in quo nemini licebat dormire.* Vide Claſs. l. c. Omnia ad μίμησιν Ethnicorum, qui itidem

dem diis in epulis ſacris & aliàs lectos parabant; qui ritus *Lectiſternia* dicti. Livius: *Gravis peſtilenſque omnibus animalibus æſtas excepit urbem, cujus inſanabili pernicie; quando nec cauſſa nec finis inveniebatur, libri Sibyllini ex SC. aditi ſunt. Duumviri ſacris faciundis, Lectiſterniô tunc primùm in Urbe Romana factô, per dies VIII. Apollinem Latonamque & Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum, tribus, quàm ampliſſimè tum adparari poterant, ſtratis lectis placavêre. Privatim quoque id ſacrum celebratum eſt. totâ urbe patentibus januis, promiſcuôque uſu rerum omnium in propatulo poſitô*, &c. lib. V. ab U. C. c. XIII. Apulejus: *Sunt & publicarum epularum adparatus, & lectiſternia deorum, & dies feſti, ludique ſcenici: Diis ſacrificatur, Geniis miniſtratur, alius libatione perfunditur, aliuſque aliô fungitur munere*; lib. de mundo Arnobius: *Lectiſternium Cereris erit Idibus. Habent enim dii lectos, atque ut ſtratis poſſint mollioribus incubare, pulvinorum tollitur atque excitatur impreſſio*; lib. VII. adverſ. gentt. Ponebatur in tali lectiſternio Jovi, Junoni, & Minervæ aliquando in Capitolio celebrato, Jovis ſimulacrum in lecto; at hujus & illius in ſellis. Dis genitalibus quoque lectus ſacer erat, ut probat Fulv. Urſinus in orat. Cic. pro Cluent. Quidam epulum Jovi in Capitolio datum *lectiſternium* dici, autumant: Servius *lectiſternia vocari*, ait, *ubi homines in templo ſedere conſueverint*. Vide Gyrald. Syn. XVII. p. 483. At in Herculis Victoris templo in Aventino ad occaſum, Tiberim & portam Trigeminam verſus, lectiſternium eſſe minimè licuit, ut ex Servio & Cornelio Balbo docet Fabricius in Rom. c. IX.

Poſt ſacrificia inter epulas, ſive etiam peractis iis. quidam *calculis* ac *talis* ludedant. Plato: εἰσελθόντες ῥ κατελάβομεν αὐτόθι τεθυκότας τε τοὺς, παῖδας καὶ τὰ περὶ τὰ ἱερεῖα σχεδόν τι ἤδη πεποιημένα ἀστραγαλίζοντάς τε δὴ καὶ κεκοσμημένους ἅπαντας. Οἱ μὲν οὖν πολλοὶ ἐν τῇ αὐλῇ ἔπαιζον ἔξω. Οἱ δέ τινες τοῦ ἀποδυτηρίου ἐν γωνίᾳ ἠρτίαζον ἀστραγάλοις παμπόλλοις ἐκ φορμίσκων τινῶν προαιρούμενοι. in Lyſide.

CAPUT XXVII.

Clamor ſacrificalis duplex: Simplex: Jactatio capitis. Clamor certis verbis effuſus. Clamor luctuoſus. Ezechielis locus c. VIII. 14. luce donatus. Thammuz quis? Cur idem cum Adonide? Cauſſa ſacrorum luctuoſorum Adonidis. Alexandrinorum mos. Loco Jeſ. XVIII. 2. fax prælata. Sacricola flagellator ſuiipſius: Flagella quomodo confecta? Sacrificantes cultris ſe ſauciabant & perfodiebant. Loco 1 Regum XVIII. 28. lumen adfunditur. Clamor hilaris. Saltatio: Ejus varia genera. Inſtrumenta muſicalia in ſacrificiis. Loca Juvenalis expoſita. Tibicines. Tubicines: Eorum collegium. QVI. S. P. P. S. Mos duabus ſimul tibiis canen-

nendi. Cur tibicines illi idibus Januar. per Urbem Romanam veſte muliebri amicti circumiverint? Tibicines Ebræorum. Jubilæi etymon: Quidam apud eos in ſacris ignominiæ cauſſâ nominati, & cur? Ὑπορχήματα. Hypingi *unde? Hymni varii. Cur cecinerint & ſaltârint Strophen, Antiſtrophen, Epodon. Cinis in aris relictus: Etiam apud Ebræos, ſed certâ formâ* תפוח. תרומת המזבח. *Quis cinerem ab altari apud Ebræos removerit?* הצביעו *formula. Numerandi modus Ebræorum. Locus* 1 *Sam. XV.* 4. *perpenditur.* Λαοῖς ἄφεσις, *clauſula ſacrorum. Vocis* Miſſæ, *& Formulæ,* Ite Miſſa eſt, *origo. Polydorus Vergilius compilator. Formula illa in vet. Eccleſia quoque uſitata.* Extemplò *an formula dimittendi è ſacris? Contra Scaligerum cum Meurſio dubitatur.* Ilicet *finem impoſuit judicio; ſacris non item. StuckI apinæ & vana excogitata. Clauſula inferiarum. Epilogus hujus operis,*

Bonum, mi Lector, habeas animum:
In manibus terra. Non hîc te carmine longô
Atque per ambages, & longa exorſa tenebo.
Reliquias hoc caput cogit; & calamus voti damnatus clauſulam ſpectat. Reportabimus aures calentes ac

ac tintinnantes boatu ſacrificali & initiatorum clamore; qui totô ſacrorum tempore, ante ea, in ipſis, poſt ea, in adjicialibus, aliis atque aliis profundebatur. Erat ille vel I. merè ſimplex & rudis ululatus; vel II. verbis concitatis, votis, ſupplicationibus, laudibus & carminibus quibuſdam, aut ſaltim adfectu certô, unde lætitia aut luctus cognoſcere erat, prorumpens: Uterque quidem frequentiſſimè fidium, tubarum, & ſimilium clangore permixtus. De primo illo in Bacchanalibus uſitato Virgilius, lib. IV. Æn. v. 301.

Bacchatur, qualis commotis excita ſacris
Thyas, ubi auditô ſtimulant Trieterica Bacchô
Orgia, nocturnuſque vocat clamore Citheron.

Et paulò poſt de ſacris Hecates, v. 609.

Nocturniſque Hecate triviis ululata per urbes.

Inter hanc ululationem caput diverſimodè jactabant. Vide quæ ex Theodoreto, Chryſoſtomo, Apulejo, &c. habet Caſaubonus, exerc. XIV. num. 9.

Poſterior, qui certa exprimebat verba, ea I. vel luctuoſa eliquabat, animique mœrorem innuebat: Hoc fiebat in ſacris Solis, Serapis, Oſiridis, Mithræ, Ditis, Typhonis, Attinis, Ammonis ſive Adonidis; quippe iſtos omnes eoſdem eſſe, auctores ſunt Martianus Capella, lib. II. de Nubtt. Philol. & Macrobius, Saturn. lib. I. c. XXI. Maternus Firmicus: *Hæc eſt Iſiaci ſacri ſumma. In adytis habent idolum Oſiridis ſepultum; hoc annuis luctibus plangunt;* de err. prof. gent. Lucanus: *Ululârunt triſtia Galli;* lib. I. Pharſ. v. 567. Prudentius, hymn. X. (al. XIV.) periſteph. v. 228.

Merc-

Meretrix Adonin vulneratum ſcenica
Libidinoſô plangit adfectu palam.

Vide de planctu in Adoniis Plutarchum in Alcib. & Nic. Conlimant huc verba Ezechielis: *Introduxit me ad oſtium portæ domus Domini, quæ ad aquilonem: Et ecce ſedebant ibi mulieres plangentes Thammuz.* c. VIII. 14. De Adonide enim explicant Hieronymus & Procopius. R. Moſes autem in More Neboch. Thammutz ait fuiſſe Prophetam idolorum. Nonnulli putârunt, imaginem fuiſſe, in cujus oculos plumbum imponeretur, & quæ admotô igne ac plumbô liquefactô flere videretur, ut refert R. Kimchi. Vide Seldenum de D. S. lib. II. c. XI. Interim per eum verè Adonidem fuiſſe intellectum ex eo oſtenditur, quia hic interfectus eſt ab apro, menſe Juniô, qui Thammuz dicitur. Ubi verò unô die luxiſſent ἀφανισμὸν, i. e. mortem Adonidis; poſterô gaudebant ob εὕρεσιν, id eſt, vitam redditam: Id explicatur; quòd Adonis, i. e. Sol quotidiè moriatur & quaſi reviviſcat: Alii frumentum intelligunt parte anni in terram abſconditum; mox Veneri ac hominibus reſtitutum: Confer Voſſium de Idol. lib. II. c. IV. Itaque Alexandrini accipiebant ollam, eamque immiſſâ epiſtolâ mari committebant, quæ ſponte Byblum deportabatur, ubi meretriculæ plangebant: Hæ conſpectâ ollâ exemptam aperiebant epiſtolam, Adonimque revixiſſe cognoſcebant. Sicque finis lamentationi imponebatur. Vide Procopium Gazæum in Jeſ. Sched. de D. G. lib. I. c. IV. Confertur ita lux loco Jeſaiæ XVIII. 2. huc pertinenti: השלח בים צירים ובכלי גמא על־פני־מים id eſt, *qui mittit in mare legatos & in vaſis papyri ſuper aquas*, ſic Vulgatus:

Alii,

Alii: *in inſtrumentis ſcirpeis per ſuperficiem aquarum.* LXX. habent: ἐπιστολὰς βυβλίνας. B. Lutherus vertit: Das Bottſchafften auff dem Meer ſändet / und in Rohrſchiffen auff den Waſſern fähret.

Satis luctum illum conteſtatum ibant, quando carnificinâ flagrorum, aſtragalis contextorum, corpora ſua adficiebant, ad extremam uſque ſangvinis rorationem. Lectiſſimè Apulejus: *Adreptô denique flagrô, quod ſemiviris illis proprium geſtamen eſt, contortis teniis lanoſi velleris prolixè fimbriatum, & multijugis talis ovium teſſellatum, indidem ſeſe multinodis commulcat ictibus, mirâ contra plagarum dolores præſumtione munitus. Cerneres, projectu gladiorum ictuque flagrorum ſolum ſpurcitie ſangvinis effeminati madeſcere*; lib. VIII. Metam. p. 214. Nec id quidem ſufficere poterat, niſi cultum luctumque ſuum ferrô ipſô & cultrorum acie comprobarent. Idem: *Brachiiſque ſuis humerotenus denudatis attollentes immanes gladios ac ſecures evantes exiliunt.* Et paullò pòſt, ibid. Firmicus: *Tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum reſecant cicatrices, ut annuis luctibus in animis eorum funeſta ac miſeranda necis exitium naſcatur*; l. c. Tertullianus: *Archigallus ille ſanctiſſimus ſangvinem impurum lacertos quoque caſtrando, libabat*; in apolog. c. XXIV. Statius, lib. X. Theb. v. 170.

Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, conſumtaque brachia ferro &c.

Martialis, lib. XI. Epigr. LXXXV. v. 3.

Alba minus ſævis lacerantur brachia cultris,
Cùm furit ad Phrygios enthea turba modos.

Prudentius, hymn. X. (al. XIV.) περὶ στεφ. v. 1061.

Cul-

Cultrum in lacertos exſerit fanaticus,
Sectiſque Matrem brachiis placat deam &c.

Sidonius, carm. XI. *Jam ſectus recalet Corybus.* Eumdem cultum etiam alibi reperimus. Plautus: *Icit femur, num obſecro ariolus eſt?* Trucul. II. VII. 43. Præcipuè in Bellonæ ſacris: Lampridius: *Bellonæ ſervientes verè exſecare brachium ſtudio crudelitatis; præcepit,* in Commodo, c. IX. Poëta:

Quos Bellona potens quos dea magna movet.
Ipſa bipenne meos cædo violenta lacertos?

Lucanus, lib. I. Pharſ. v. 565.

- - *Quos ſectis Bellona lacertis*
Sæva movet. - - - -

Tibullus, lib. 1. El. VI. v. 47.

Ipſa bipenne ſuos cædit violenta lacertos,
Sangvineque effuſo ſpargit inulta deam:
Statque latus præfixa veru, ſtat ſaucia pectus.

Seneca, Med. Actu IV. ſc. II. v. 805.

- - - *Tibi nudato*
Pectora Manas ſacrô feriam
Brachia cultro
Manet noſter ſangvis ad aras.

Diſpaleſcit ex his ratio illius, quod de Sacerdotibus Baal ſacrificantibus Scribtura refert: *Clamabant ergo voce magnâ & incidebant ſe juxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſangvine.* 1 Regum XVIII. 28. Vide Feſſelium, Adverſ. ſacr. lib. II. c. III.

Vel II. vocum hilaritate inſurgebat, mentiſque lætitiam effundebat. Ejus exprimendi eò magis cauſſâ in ſacrificiis, præcipuè ad Phrygium modum, (qui ab Aeolio, Dorico, Ionio ſeu Iaſſo, & Lydio

dio differebat) ſaltabant. Ita in Leucade in Apollinis Actii templo, ubi bos pro abigendis muſcis immolabatur, etiam ſaltationem honori divino edebant. Cælius, L A. lib. XXIII. c. XXX. Vide etiam Geofredum Linocerium, mythol. Mus. c. VI. Prudentius, l. c. v. 222. *Saltat tonantem tauricornem Lydius.* Seneca, Troad. Actu III. ſc. II. v. 780.

Non inter aras mobili velox pede,
Revocante flexô concitos cornu modos,
Barbarica priſcô templa ſaltatu coles.

Idem, Herc. Fur. Actu III. ſc. III. v. 877.

Pingues cædite victimas,
Permiſtæ maribus nurus
Solemnes agitent choros

Utrique adfectui pleniùs ſignificando aptiſſima erant & parata in ſacris cymbala, crotala, tympana, cornua, ſiſtra, tibiæ, tubæ, litui & ſimilia. Auguſtinus: *Eamdem dicunt matrem magnam, quod tympanum habeat, ſignificari eſſe orbem terræ* &c. *Cymbalorum ſonitus, ferramentorum jactandorum ac manuum & æris crepitus in colendo agro, quid ſit, ſignificat* &c. lib. VII. de C. D. c. XXIV. Arnobius: *Etiamne æris tinnitibus & quaſſationibus cymbalorum? Etiamne tympanis? Etiamne Symphoniis? Quid efficiunt crepitus ſcabillorum? Ut cùm eos audierint numina, honorificè ſecum exiſtiment actum, & ferventes animos irarum oblivione deponant. An numquid ut parvuli puſiones ab ineptis vagitibus crepitaculis exterrentur auditis: Eâdem ratione & omnipotentia numina tibiarum ſtridore mulcentur, & ad numerum cymbalorum mollitâ indignatione flacceſcunt*; lib. VII. Minu-

nutius Felix. *Corybantum cymbalis, ne pater audiat vagitus, tinnitus eliditur*; in Octav. Vid. notas Elmenhorſt. in h. l. & ParrhasI in lib. IV. Theb. StatI. Apulejus: *Qui per plateas & oppida cymbalis & crotalis perſonantes, deamque Syriam circumferentes mendicare compellunt.* Et aliquantò pòſt: *Tinnitu cymbalorum, & ſonitu tympanorum, cantuſque Phrygii mulcentibus modulis exercitus procurrit obviam*; lib. VIII. Metam. Et lib. XI. Metam: *Symphona dehinc ſuaves fiſtulæ, tibiæque modulis dulciſſimis perſonabat. &c.* Seneca: *Sacrifica dulces tibia effundit modos*; Agam. Actu III. ſc. II. v. 584. Claudianus: *Cymbala ferre licet, pectuſque inlidere pinu*: lib. I. in Eutr. v. 279. Martialis: *Linigeri fugiunt, calvi, ſiſtrataque turba*; lib. XII. Epigr. XXIX. v. 19. Statius, lib. V. Theb. v. 93. *Cùm ſacra vocant, Idææque ſvadet Buxus.* Et lib. VIII. v. 221.

- - Gemina æra ſonant, Idææque terga,
Et moderata ſonum variò ſpiramine buxus.

Virgilius, lib. II. Georg. v. 193.

Inflavit cùm pingvis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Lucretius, lib. II. v. 618.

Tympana tenta tonant palmis & cymbala circum
Concava, rauciſonôque minantur cornua cantu,
Et Phrygiô ſtimulat numerô cava tibia menteis.

Catullus, carm. LXIV. v. 20. ſ.

Phrygiam ad domum, Cybeles Phrygia ad nemora dea,
Ubi cymbalum ſonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvô grave calamô,

Ovidius, de Pont. lib. I. Ep. I. v. 38.

Jactantem Phariâ tinnula ſiſtra manu?
Ante Deûm matrem cornu tibicen aduncô
Cùm canit: Exiguæ quis ſtipis æra neget.

Horat. lib. I. od. XXXVI. v. 1. ſ.

Et thure, & fidibus juvat
Placare, & vituli ſanguine debitô.

lib. III. od. XIX. v. 18.

- - Cur Berecynthiæ
Ceſſant flamina tibiæ?

lib. IV. od. I. v. 21.

Illic plurima naribus
Duces thura: lyrâque & Berecynthiâ
Delectabere tibiâ.

Vide Cl. Boeclerum, not. ad Vell: Pat. I. IV. 1. At in ſacris Bonæ deæ tibiæ & ſimilia aliquandò exceſſe jubebantur; id quod præter Macrobium, lib. I. Saturn. etiam confirmat Juvenalis, Sat. II. v. 86.

- - Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magnô cratere deam: Sed more ſiniſtrô
Exagitatâ procul non intrat femina limen,
Solis ara deæ maribus patet: Ite profanæ!
Clamatur, nullô gemit hîc tibicina cornu.

At hoc omne contra inſtitutum ſacrorum fuiſſe ſubindicant verba illa: *More ſiniſtrô.* Quæ doctiſſimus ſcholiaſta Mancinellus exponit. *Ritu contrariô.* Et Domitius Calderinus in h. l. notat: *Sed in hoc non ſervant ritum ſacrorum Bonæ deæ.* Ceterùm expreſſè Poëta, Sat. VI. v. 314.

Nota Bonæ ſecreta deæ, cùm tibia lumbos
Incitat, & cornu pariter vinôque feruntur

Muſi-

Muſicæ illi ſacrificiali certi præerant viri, Tibicines ac Tubicines, qui integrum Romæ faciebant collegium; quorum meminit inſcribtio Formiis in ſacello quodam:

PRAEF. QVINQ. NERONIS. ET. DRUSI.
CAESARVM. DESIGNATO. TVB. SAC

Et alia Romæ, in baſi, ſuperpoſitâ parieti vineæ Franciſci Cicchi, ad Septizonium Severi:

COLLEGIO. TIBICINUM
ET. FIDICINUM. ROMANORUM
QVI. S. P. P. S.

Litteras has finales inluminat alia ibidem quondam in ædibus Colotianis; nunc in vinea Carp. in baſi marm.

TIBICINES ϕ ROMANI
QVI ϕ SACRIS
PVPLIC ϕ PRAEST ϕ SUNT.

Sæpiuſque moris erat, ut unus duas ſimul inflaret tibias, veluti apertè videas apud Choulium de relig. Rom. vett. in numo æreo Domitiani, p. 284. in Columna Trajani, p. 306. & ejuſdem lib. de Caſtramet. p. 50. Hi tibicines idibus JanuarI per urbem veſte muliebri induti circumibant; ex ſequenti quidem cauſſa. Cum à Tribunis militum honoribus, queis Numa eos mactaverat, ingentibus privarentur, Româ Tibur ſeceſſerunt: Deſiderati inde ob religionem, quòd nemo ſacrificiis præcineret, atque acciti; non tamen revertebantur. Sed libertus occultè magiſtratibus ſe eos reducturum promittebat; qui,

 in-

inſtructô pollutu, tanquàm Dîs rem divinam feciſſet, invitat tibicines, adhibitis etiam mulieribus: Tota nox compotatione, jocis, & choreis tranſacta fuit. Tum trepidatione ſubitò fictâ ex improviſo Patroni ſuperventu perſvadet tibicinibus vehicula pellibus circumquaque obtecta conſcendant, promittens doloſè, ſe eos Tibur revecturum. Sed circumactis vehiculis tibicines, per temulentiam & tenebras non animadvertentes, ubi locorum eſſent, Romam univerſos primâ luce revehit, & eos quidem veſtibus floridis ac muliebribus amictos ob nocturnam comeſſationem. Inde cum magiſtratu reconciliatis permiſſum quotannis hôc die tali habitu per urbem circumire. Vide Plutarch. quæſt. LV.

Neque Ebræorum ſacrificiis deerant tibiæ vel fidicines. Hinc quibuſdam Jubilæum deducitur * â יובל ariete, non tàm quòd in memoriam Iſaaci feſtum hoc celebraretur, in cujus immolandi locum aries ceſſit; quàm quod cornu arietinô indiceretur, Vide Iſing. Coll. Hiſt. Quæſt. LX. 11. 4. Quamquàm Cajetano magis addrideat derivatio â בול ramo ſive germine: Andr. Maſio autem in c. VI. Joſ. â יובל, muſicorum patre, cujus mentio fit Gen. IV. v. 21. Hinc etiam Hogrus Levita ad ignominiam memorabatur apud eos in ſacris, quòd, quem callebat, cantandi modum non doceret; dum nempe pollice in ore poſitô, digitôque naribus admotô, vocem ſvaviter & artificioſè flectere novit. Veluti & familia Garmu, quod non docebat conficere pa- [illegible] nes;

* Vide qvæ de Etymo diximus in Faſce noſtro l. n. VI. p. 291. ſ.

nes: Et familia Abtines, quæ novit herbam, cujus aromatibus permixtæ fumus ad formam baculi adſcendebat, cùm ceteroquin fumus undique diffunderetur; & docere recuſabat: Nec non filius Kamzaris, qui quatuor calamos manu ſimul tenebat, &, ſi dictio quatuor litteris conſtabat, ſingulas unâ vice expreſſit, quod tamen ſilentiô ſubpreſſit. Vide Joma, c.III. §. 11. cum notis Sheringham.

Hymni illi & carmina poſt ſacrificia decantata ὑπαρχήματα nuncupabantur; qualia in variorum laudes deorum â Callimacho, Orpheo; Virgilio aliisque conſcribta exſtant. Dianæ hymni dicti ſunt *Hypingi* ſive *Upingi* ab Upi ejus patre: unde & ipſa *Upis* ſive *Opis* vocata. Vide Callimachum, hymn. dian. Cic. lib. III. de N. D. De his audiamus Choulium: *En mangeant lon chantoit hymnes & cantiques accommodez aux louënges druines, qui eſtoyent c'eſt aſſauoir à Diane un hymne qui ſe nommoit* Hyppingos: *à Apollo* Pæan *vel* Hyporchema *qui ſe chantoit principalement pour faire ceſſer la force de la peſte. L'hymne d'Apollo & de Diane ſe nommoit* Proſodia: *à Ceres*, Julus, *pour le froment. Les hymnes Veneriens eſtoyent apellez* Erotiques, *comme ſi tu diſois amatoires, & pleins d'amour à Dionyſius*, Dithyrambus, *hymne obſcur & entremeſſé. Les yurongnes auoyent leurs hymnes à part, duquel Ariſtophane à parlé in Ranis, qui ſe diſoit* Κραιπαλόκωμος, *pource que les Grecs nomment* κραιπάλην, *la tremeur & tremblement de la teſte qui vient du vin, &* Κῶμον, *comeſſation ou banquet, ou bien (ſi tu veux) feſtin plein d' intemperance & yurongnerie*; p. 330. Canebatur autem ac ſaltabatur Strophe & Antiſtrophe, ad imitationem mo-

motuum Stellarum. Per Strophen motum hujus univerſi, per Antiſtrophen ſingularum planetarum motiones: Per Epodon terræ ſtationem firmam & quietam ſignificabant. Vid. Bito, lib. de muſic. inſtrum. Ariſtoxenus, lib. I. de foraminibus tibiarum.

Peractô ſacrificiô cinis ut plurimùm in ara relinquebatur, uſque dum nova immolatio exverrias pararet, ejuſque remotionem urgeret. Quò pertinent illa Satyrici * Sat. VI. v. 43.

O bene, num ignoras? Miſſa eſt à Cæſare laurus
Inſignem ob cladem Germanæ pubis: Et aris
Frigidus excutitur cinis, -- --

Plinius, lib. II. H. N. c. CVII. refert in ara Laciniæ Junonis ſub dio ſita cinerem relictum eſſe immobilem perflantibus undique procellis. Idem mos linquendi in altari cinerem Ebræis non inſolens; inſuper & eum quoque, qui è membris vel inteſtinis, quæ veſpere ab igne non conſumebantur; Hic in cumulum congerebatur Ebræis dictum תפוח: ille in formam rotundi pomi cumulabatur. Sed primi cineres & prunæ ab altari priùs removebantur (quod miniſterium תרומת המזבח dicebatur) per Sacerdotem in thuribulo. Vide R. Salom. ad Miſchnam, Joma, c. V. Hoc in tribus tantùm feſtis magnis fiebat, ut docet Cod. Tamid. c. II. Pro miniſterio autem detergendi altare, ſive cineres removendi Sacerdotes curſu certabant, ipſeque, qui ſocium quatuor cubitis anteverterat, cùm ad medium veniſſent, munere illô fungebatur: Quòd ſi autem duo pares eſſent, ſors adſumebatur. Joma c. II. §. 1. & 2. Quod fiebat numerando digitos; ubi formula erat: הצביעו i. e. *micate digitis!* cujus modum vide apud

* Perſii.

apud Sheringham in Joma, l. c. Ipſos enim homines numerare non licebat, quæ fortè cauſſa commotionis illius & iræ divinæ in Davidem. 2 Sam. c. ult. v. 1. ſ. ſed numerabant vel per digitos: vel per agnos ſcil. paſchales, vel per lapides, vel per ramos, quos manibus geſtabant. Vid. Gemara & Maimon in Joma. Unde Vulgatus interpres & alii multi vocem טְּלָאִים 1 Sam. XV. 4. exponunt, optimè ad hunc ritum reſpicientes: *recenſuit eos quaſi agnos:* à voce ſcil. טְלֵה agnus, quæ etiam exſtat 1 Sam. VII. 9. Jeſ. XL. 11. c. LXV. 25. Sed Buxtorſius mavult hîc locum quemdam intelligi, & longè ante eum Lutherus qui vertit: Vnd er zählte ſie zu Telaim. Decinerationem illam enucleatiſſimè deſcribit R. Levi Barſelonius, cujus verba ex Cl. Höttingeri verſione hæc ſunt: *Ajunt Rabbini noſtri: Decinerationem opus eſſe ex operibus ſacerdotii; Veſteſque, quibus induti Sacerdotes cinerem removent, viliores eſſe ceteris, quibus reliqua munia obeunt, ſicut dicitur:* Lev. VI. 11. Poſt exuet veſtes ſuas, & induet ſe veſtibus aliis, efferetque cinerem extra caſtra ad locum mundum. *Et quanquàm locus hic loquatur de exportatione cineris extra caſtra; intelligi tamen etiam debet de cineris remotione, cùm nempe illum ab altari ſublatum, in pavimento altari vicino (Sacerdos) deponit. Unde etiam diſcimus, non convenire, ut faciat opus illud iiſdem veſtibus, quibus* λειτουργῇ: *Eôdem planè modô, quô non decet, ut quibus quis indutus veſtimentis coxit aliquid in olla Domino ſuo, iiſdem illi infundat;* pincernam agat, & coquum eôdem habitu. *Quando verò cinerem removent? Quotidie, ex quo adſcenderit columna auroræ. Diebus verò feſtis, ultimâ noctis parte tertiâ. Die an-*

autem Expiationum à meridie noctis. Quomodo deponunt cinerem? Qui dignus fuerit ex ſacerdotibus *& fortè remotio ei contigerit, abluit ſe, & induit veſtes depoſitionis, conſecrat manus ſuas & pedes ſuos; Tunc compellunt eum fratres ejus ſacerdotes: Caveto, ne tangas vas, antequàm ſacrificaveris manus tuas, & pedes tuos: Poſteà accipit thuribulum argenteum, in angulis collocatum inter clivum altaris, & altare ad partem clivi occiduam: Acceptô autem thuribulô ad verticem altaris aſcendit, & prunas converrit hinc ac illinc, arreptiſque prunis, in medio igni conſumtis, deſcendit in terra, vultuque Aquiloni obverſô, humi incedit ad ortum clivi quaſi decem cubitos, è regione Aquilonis, & prunas acceptas pavimento, tribus palmis à clivo remoto, in loco, ubi ingluvies avium deponitur, inſternit. Decineratio autem altaris interioris, & lychnuchus, & prunicipium hoc, quô thuribulô acceptas prunas, in pavimento prope altare deponit, præceptum eſt quotidianum.* Poſtquàm autem is, qui *cineres removit, deſcenderit, occurrunt fratres ejus ſacerdotes, conſecrantque citò manus & pedes ejus; accipiunt ſcopas & fuſcinulas, & altaris ſummitatem conſcendunt, converruntque cinerem altaris, ex quo cumulum conficiunt ad* Tapuach, *qui locus eſt altaris ita adpellatus: Et cùm hic cumulus accreverit, pauca quædam deponunt vaſe magnô, Letech comprehendente, quod Peſactar vocatur: ſtatque ibi, uſque dum totum extra caſtra deportârint.*

Dimittendus tandem templô ſacricola audiebat ultimum illud: ΛΑΟΙ˜Σ ἈΦΕΣΙΣ. Teſtem ſatis perſpicuum adduco Apulejum: *Tunc ex his*, inquit, *unus, quem cuncti grammatea dicebant, pro foribus adſiſtens*

ſiſtens, cœtu paſtophorum, quod ſacroſancti collegii nomen eſt, velut in concionem vocatô indidem de ſublimi ſuggeſtu, de libro, de litteris fauſta vota præfatus principi magno, Senatuique & equiti, totoque Romano populo, nauticis, navibus, quæque ſub imperio mundi noſtratis reguntur, renunciat ſermone rituque Græcienſi ita: λαοῖς ἄφεσις populis miſſio; lib.ult.Met.p.265. Ex quo Polydorus Vergilius de R. I. lib. V. c. XII. & vocis *Miſſæ* papalis, & formulæ in ea, Ite missa est, originem protrahit; ſed compilâſſe videtur virum immenſi laboris & reconditæ eruditionis Philipp. Beroaldum (quamvis coævi fuerint) cujus ipſiſſima verba harpagatus eſt, quod non vanis & ficulneis conjecturis adſevero. Adſcribam autem verba Beroaldi è commentariis ejus in h. l. RITU GRAECIENSI ✠ *More Græcanicô, & linguâ λαοῖς ἄφεσις. Interpretamentum Græcarum dictionum eſt: populis miſſio. Verba ſunt, quæ Græci noſtrique juxta uſurpant poſt cuncta celebrata myſteria, ut dicatur: Miſſio populis, ſive eſt, vel datur; ut tunc demum omnibus abire fas ſit. Vis exemplum conſimile? Proximum habes? Nam quotidie in myſteriis noſtris ſolet Sacerdos poſt peracta ſolemnia dicere*: Ite Miſſa eſt: *Ita nunc ſcriba Græcè: λαοῖς ἄφεσις* i. e. *populis miſſio* &c. Hæc ille. Certè formulam illam: ITE IN PACE MISSA EST, quam Epiſcopus poſt cœnæ dominicæ adminiſtrationem, cùm dimitteret populum, perſonârit, etiam in veteri Eccleſia uſitatiſſimam fuiſſe, fidem nobis faciunt conſtitutt. * Apoſtolorum, lib. VIII.

* At parum has Conſtitutiones mereri fidei, ut Magdeburgenſes, Cent. I. lib. II. taceam, oſtenderunt jampridem Abrah.

Alia ſolemnis dimittendi è ſacris formula Romanorum erat *Extemplò*, prout quidem auguratur Criticus inluſtris, Scaliger F. cujus en verba: Extemplò *verbum eſt ſacrorum, ſicut* Ilicet *judiciorum. Ut enim hoc dimiſſò Senatu, ſic & illud ſacrificiò patratò à præcone pronunciabatur: Quô ſignificabatur, ut exirent ex templo, quod, quia citò fiebat, inde pro citò & properiter ſumi cœptum eſt*; in conject. Quamvis non fruſtra refragantem habeat J. Meur-

brah. Scultetus, Sileſius, in I. parte Medullæ Patrum, lib. XI. c. V. p. 455. ſ. David Blondellus in elaborato ſcripto contra Cardinalem Perronium, p. 5. cujus argumenta pleraqve, ut & ipſius Cardinalis Perronii, qvæ in c. XXIV. Replicæ ad Regem Magnæ habet Britanniæ, attigit And. Rivetus, lib. I. Critici ſacri, c. II. m. 107. edit. Genevenſ. in 8t. vel p. 1070. Tom. II. Oper. edit. Roterodam. CIↃ IↃ C LII. in fol. Gvil. Perkinſus, Anglo-Britannus, n. II. Præparationis ad Demonſtration. Problematis de Romanæ fidei ementito Catholiciſmo, Tom. I. Oper. col. 23?. ed. Genev. M DC. XI. in fol. Rob. Cocus Anglus in p. m. 28. Cenſuræ qvorumdam Scriptorum Veterum, ed. opt. Helmeſtadienſis M. DC. LV. in 8t. Joh. Raynoldus, Anglus, Theologiæ qvondam in Academia Oxonienſi Profeſſor, in Prælectionib. ſive Cenſura libr. Apocryphor. Tom. II f. 794. Dallæus in libro de Jejuniis Veterum, p. 252. oſtendit, tempore Tertulliani hos nondum notos fuiſſe libros. Adde Jac. Uſſerium in Diſſertat. Epiſtol. Ignatii præfixa, c. VII. & D. Caſp. Eraſinum Brochmandum, Exercitatione II. Speciminis Scriptorum Eccleſiaſticorum primi à nato Servatore ſeculi, Sect. VII. totâ, & in Λύχνω λόγυ Προφηλικȣ̃, part. I. c. I. Sect. III. §. VI. p. 16. ſ. item Magnum D. noſtrum Gerhardum, lib. I. Confeſſionis Catholicæ, part. II. c. VII. totô, p. m. 147. ſ. Francof. M. DC. LXXXIX. in fol. hiſce de Conſtitutionib. interpolatis eruditè diſſerentes ac prolixè.

Meurſium: Neque certè veriſimile eſt, *extemplò* proclamatum fuiſſe, quando ſacrificia in compitis, viis publicis, lucis, agris &c. fuêre facta. Nec firmiori pede illi procedunt, qui audacter faciunt *Ilicet* clauſulam ſacrorum: quâ quidem voce judices per præconem ſenatu fuiſſe dimiſſos non inficiamur. Vellem, unicum ſaltim oſtenderent locum; qui adſerto iſti quantulumcumque robur adderet. Aliquem fortè è Donato protrahent; (licet ſcribtoris iſtius lancinata ſcholia parum admodùm probent) perſpiciamus igitur eum: Ilicet ✠ *ſemper* ilicet *finem rei ſignificat, cùm actum eſt: Ilicet, per ſyncopen.* Phorm. I. IV. Hæc verò ſtatim explicat, indicatque cujuſnam rei finem propriè ſignificet; *Judices*, ait, *de conſilio dimittebant ſuprema dicta, cùm præco pronunciâſſet*, Ilicet, *quod ſignificat pro ire licet.* Hucuſque Donatus. Porrò Stuckius ſimilem formulam tradit eſſe *Confeſtim.* Tradit, inquam, pro certo; ne conjicit quidem. Stramineum iſtud commentum. Quod ſi ſanè leviſſimis opinionibus niti liceret, quivis potiùs initiô ſacrorum id ſe audire ſomniaret. In inferiarum fine ϑῦται clamâſſe: *ſalve æternum! vale æternum!* ait & probat doctiſſimus Gyraldus, Synt. XVI. p. 510.

Jam ilicet Lector! & miſſionis locô percipe verba PorphyrI, quæ habet Henr. Corn. Agrippa: *Laboremus vitæ noſtræ ſanctimoniam pro ſacrificio offerre: Nemo enim bonus DEI ſacerdos eſſe poteſt, niſi qui ſeipſum hoſtiam producens propriam animam quaſi ſimulacrum quoddam ædificet, & mentem & intellectum in templum conſtituat, in quo divinam lucem*

cem ſuſcipere poſſit! de O. P. lib. III. c. LIX. Tantum itaque de veterum ſacrificiis, initiis ac τέλεσι, victimiſque. Laus tibi eſto, O CHRISTE! victiſſima perfectiſſima, agne immaculate! Qui pro nobis factus es ſacrificium: Qui es Initium &

Τ Ε Λ Ο Σ.

JO-

JOHANNIS SAUBERTI F.

DE

SACERDOTIBUS

ET

SACRIS HEBRÆORUM

P E R S O N I S

Commentarius.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM COMMENTARII

De

SACERDOTIO HEBRÆORUM.

PARS I.

Cap.		Pag.
I.	*De Sacerdotio ante legem Leviticam*	637
II.	*De Sacerdotio Levitico ſeu ex lege inſtituto.*	642
III.	*De Diviſione Sacercerdotii & familiis ſacerdotalibus.*	643
IV.	*De Pontifice maximo.*	644
V.	*Cur Annas & Caiphas Luc. III. 2. ſimul dicantur Pontifices maximi.*	647
VI.	*De Synedrio magno ac minori & de judicio triumvirali.*	651
VII.	*An regia dignitas apud Ebræos cum pontificia conjuncta fuerit?*	655
VIII.	*De Propontifice ſeu Pontificis max. Vicario.*	656
IX.	*De Sacerdotibus minoribus.*	658
X.	*De Levitis ſtrictè ita dictis.*	670
XI.	*De Nethineis.*	662
XII.	*De Æditu & Janitoribus.*	664
XIII.	*De Cantoribus.*	668
XIV.	*De Prophetis.*	671
XV.	*An Samuel Propheta Pontifex max. fuerit?*	675
XVI.	*De Scribis & Legis peritis.*	675
XVII.	*De Naſiræis tam viris quàm femellis.*	679

XVIII.

XVIII. ἀκρίδες *Naſiræis comeſtæ (Matth. III. 4. Marc. I. 6.) qualenam alimenti genus fuerint?* 683
XIX. *De Chaſidæis.* 686
XX. *De Phariſæis.* 687
XXI. *De Galilæis ſeu Gaulonitis.* 692
XXII. *De Sadducæis.* 693
XXIII. *De Karræis ſive Karaitis.* 696
XXIV. *De Eſſæis ſive Eſſenis.* 697
XXV. *De Herodianis.* 700
XXVI. *De noſtræ ætatis Judæorum Sacerdotio & Sacerdotibus.* 704

PARS II.

Cap. Pag.
I. *De neceſſariis Sacerdotum requiſitis & primò de Natalium puritate.* 710
II. *De corporis habitudine.* 713
III. *De Legitima ætate.* 718
IV. *De Animi, vitæ ac famæ integritate.* 720
V. *De Ritibus initiandi Pontificem & Sacerdotem.* 722
VI. *De Veſtibus Pontificiis ac Sacerdotalibus.* 726
VII. *De Tonſura Sacerdotum.* 736
VIII. *De Officio Pontificis maximi, Sacerdotum & Levitarum.* 737
IX. *De Jurisdictione tum ipſius Pontificis & Sacerdotum, tum aliorum in Pontificem & Sacerdotes.* 743
X. *De Salario ſeu Reditibus Pontificis maximi Sacerdotum & Levitarum.* 745
XI. *De Conjugio Pontificis maximi & Sacerdotum.* 747

JOH-

JOHANNIS SAUBERTI
DE
SACERDOTIBUS ET SACRIS EBRÆORUM PERSONIS COMMENTARIUS.
PARS PRIMA.

CAPUT I.

De ſacerdotio ante legem Leviticam.

SAcerdotale munus ante legem Leviticam competebat tantùm ſingularum familiarum primogenitis, qui jure primogenituræ ſuæ veluti patri in dignitate, honore, principatu & auctoritate in minores ſuccedebant, & de hæreditate ex omnibus bonis paternis duas accipiebant portiones, ita etiam ſacerdotali munere fungebantur; quod ſubindicare vult Moſes in Exodo: *Et ædificavit Moſe altare ad radices montis, & duodecim titulos per XII. tribus Iſraël: miſitque juvenes de filiis Iſraël, & obtulerunt holocauſta*, c. XXIV. 4. & 5. Ubi, quod in textu eſt *juvenes*, Chaldæi paraphraſtæ vertunt, *primogenitos*. Clarè

Digitized by Google

re teſtantur idem hoc Thalmudici: *Antequàm tabernaculum conſtructum eſſet, altarium uſus fuit licitus, & ſacrô munere fungebantur ad ea primogeniti*; cod. de Sacrificiis c. XIV. §. 4. Exinde argumentatur Paulus, quare, cùm Chriſtus non fuerit ex tribu Levi, tamen caput ſit eccleſiæ & ſacerdos ſummus? nempe ideo, quòd *primogenitus* ſit *omnis creaturæ*, ad Coloſſ. I. 15. & 18. adeoque pontificem eum eſſe non ex ordine legis Moſaicæ, ſed ex antiquiori illa conſvetudine, quæ fuit ante legem, nimirum *ſecundùm ordinem Melchiſedech*, ad Ebr. VI. 20. In eadem epiſt. ad Ebræos Eſau, *qui propter unicam eſcam vendidit ſacrum illud primogeniti jus*, vocatur βέβηλος *profanus*, h. e. ad ſacerdotium ineptus, c. XII. 16. His verò, quæ jam diximus, obſtare videtur Moſis exemplum, quem, licet primogenitus non eſſet, ſed natu minor Aarone, uti patet ex Exodo c. VII. 7. Rabbini adſtruunt, ſacerdotem, & quidem ſummum fuiſſe totô XL. annorum ſpatiô, quos in deſerto tranſegére Iſraëlitæ. Videatur Gloſſa magna in Exod. ſect. XXXVII. Aben-Eſra & Salomo ben-Melech commentariis in Pſal. XCIX. Horum traditionibus circumventi doctiſſimi viri Jacobus Capellus ad verſ. 3. c. I. epiſt. ad Ebr. & Johannes Seldenus de Succeſſione Pontificis, c. I. Moſen fecêre ſacerdotem ſummum, ſed extraordinarium. Cui ſententiæ adſtipulantur quoque Auguſtinus, Quæſt. XXIII. in Levit. tom. IV. p. 47. a. & enarrat. pſalmi XCIIX. tom. VIII. p. 241. b. Hieronymus, tom. II. lib. I. adverſus Jovinianum, fol. 32. Eamdem poſteà ambabus, quod ajunt, manibus amplexi ſunt Pontificii, uti videre eſt apud Bellarminum de

Verbo

Verbo Dei, lib. III. c. IV. de Clericis, lib. I. c. III. & plures alios. Hinc tanquàm certam & indubitatam conſtituerunt hanc hypotheſin. Moſen fuiſſe pontificem maximum, eamque probârunt duobus argumentis: (1) Quòd ſacrificia ipſe obtulerit, & (2) quod Pſalm. XCIIX. 6. dicatur: *Moſe & Aaron in ſacerdotibus ejus*. Ex iſto fundamento poſteà hæc deduxerunt conſectaria: 1. Quemadmodùm à Moſe pontifice maximo Vet. teſt. tanquàm infallibili leges & conſtitutiones accipere debebat priſca eccleſia; ita Novi T. pontifices maximos itidem eſſe infallibiles in ſanctionibus eccleſiaſticis condendis, & controverſiis dijudicandis. 2. Cùm Moſe Aaronem & filios ejus conſecraverit, inde jus ordinandi miniſtros eccleſiæ ad ſolos epiſcopos reſtringunt, & per conſequens in Lutheranorum eccleſia ſacrum miniſterium planè nullum eſſe adſerunt. 3. Ex eodem principio confirmant, unam eamdemque perſonam jurisdictionem ſimul eccleſiaſticam atque politicam tenere poſſe, quòd Moſe & ſummus princeps temporalis, & ſummus pontifex fuerit. 4. Si quando nos Pontificiis objicimus, clericos ſubeſſe debere magiſtratui politico exemplô Levitarum, qui Moſis imperio paruerint, illi regerunt illicò, Levitas ſubjectos fuiſſe Moſi non ut principi totius populi, ſed ut ſacerdoti ſummo. Enimverò quatuor hæ concluſiones falſâ nituntur hypotheſi, ac proinde hâc labefactatâ ſponte ſuâ corrunt. Nos quippe cum B. Luthero tom. I. Lat. fol. 307. col. 1. rectiſſimè pernegamus, Moſen fuiſſe ſacerdotem, nedum pontificem maximum. Neque duæ illæ rationes antè allatæ, quibus hypotheſin ſuam ſuperſtruunt, quidquam hanc in rem probant.

Ad

Ad I. reſpondemus, ſacrificii oblationem non ſemper & ubique & præciſè in eo, qui offert illud, præſupponere ſacerdotale munus, v. g. Samuelem non fuiſſe ſacerdotem fatetur Bellarminus, & nos infra demonſtrabimus, c. XV. & tamen is agnum obtulit, & pro populo oravit; pro quo ſacrificaverat, I. Sam. VII. 9. Manoah de ſtirpe Dan ſacrificavit hœdum, Judic. XIII. 16. & 19. Elias de tribu Gad conſcidit in fruſta juvencum, & poſuit ſuper ligna, I. Reg. XIII. 23. Ergo is quoque ſacrificare aliquando poterat, qui ſacerdos non eſſet.

Ad II. reſpondemus, vocabulum Ebraicum כֹּהֵן quod *ſacerdotem* ſignificat, non ſemper eſſe in Scriptura nomem ſacri & Eccleſiaſtici officii, ſed interdum & honoris & dignitatis notam, ut innuat quemcumque principem aut excellentem virum, præfectum, toparcham, gubernatorem politicum, itemque eum, qui alicujus regis aut principis amiciſſimus eſt, ut à ſecretis illius, à conſiliis: verba ſunt hæc Johannis de Pineda Jeſuitæ Hiſpani, commentariis in Jobum c. XII. 19. Idem ſentiunt Kimchi comment. in Jeſaiam c. LXI. 10. Bellarminus de Verbo Dei lib. III. c. IV. Cornelius à Lapide, & Emanuel Sà notis ad II. Sam. VIII verſ. 18. Id quoque teſtantur Lexicographi. Johannes Reuchlinus vocem illam exponit: *Prelatus*, *Caput plebis*, *ſive plebanus*, *Præſes*, *Magiſtratus*, *Sacerdos*; in Lexico, fol. 236. Sebaſt. Münſterus: *Sacerdos*, *Prelatus*, *Magiſtratus*, *Præſes*; in Dictionario Ebr. fol. 291. M. Marinus: *Dicitur nonnunquàm eleganter de his*, *qui honoratiores regi famulantur & ei chariſſimi ſunt*; in arca Noæ, Tom. I. fol. 315. Adde Forſterum in Diction. fol. 368. Schin-

Schindlerum in Lexico fol. 840. Buxtorfium in Lexic. min. p. 353. & in Lex. major. fol. 1016. Barth. Scheræum in Itinerar. fol. 381. & in additione ſub fin. p. antepenult. & ult. Hoc porro confirmatur ex aliis manifeſtis Scripturæ locis, v. g. II. Sam. VIII. 18. *Et filii David ſacerdotes erant* h. e. *principes*, *magnates*, *dominatores*, uti explicant Chaldæus paraphraſta, Rabbi Salomo, R. Kimchi, & R. Levi ben Gerſon, Pagninus, Vatablus, Flacius in Clave, voce *Sacerdos*, Jacobus Martini, lib. I. de tribus Elohim c. XXXIII. B. Lutherus verterat: Und die Söhne Davids waren Prieſter. Quod in Vinarienſibus Bibliis declaratur: Sie waren die Fürnehmſten zu Hofe / und bedienten die ſtattlichſten Aemter. Et ne quis dubitet, quô ſenſu vox illa accipienda ſit, iidem Davidis filii I. Paral. XVIII. 17. fuiſſe dicuntur *primi ad manum regis*, minimè autem ſacerdotes. Ita II. Sam. XX. 26. quidam nomine *Hira* dicitur fuiſſe *ſacerdos Davidis*, quod Chaldæus & Pagninus transferunt: *princeps Davidis*; Kimchi & Vatablus: *præcellens & conſiliarius ejus*; Tremellius: *præſes pro Davide ſeu prorex*, ein Stadthalter. Adde his Geneſ. XLI. 45. Exod. II. 16. III. 1. XVIII. 1. Job. XII. 19. Si quando igitur Pſal. XCIX. 6. Moſe & Aaron dicuntur *ſacerdotes*, vox hæc denotabit in genere *præfectos populi* ſeu *eminentiſſimos principes*. Et ſic cadit tota Pontificiorum hytheſis & probatio, manetque adhuc inconcuſſum B. Lutheri adſertum: *Moſen non fuiſſe ſacerdotem, multò minus pontificem maximum.*

CAPUT II.

De ſacerdotio Levitico, ſeu ex lege inſtituto.

AArone poſteà & filiis ejus ritu ſolenni juſſuque divinô ſacro muneri initiatis, priſtinum ſacerdotium, quod anterioribus à mundo condito ſeculis obtinuit, h. e. ſacrum primogenitorum jus inter Ebræos exſpiravit. Atque dein Aaron poſterique ejus ſoli ex ſola tribu Levi fuêre ſacerdotes. Aaron audiebat pontifex maximus, ejus filii ſacerdotes minores: horum exſtitêre quatuor, Nadab, Abihu, Eleaſar & Ithamar. Priores duo occiſi à Domino, quòd alienum ignem obtuliſſent, & mortui ſunt ἄτεκνοι, ſolique relicti cum patre Eleaſar & Ithamar. Quæritur autem heic, cùm primogeniti ante legem latam ſacerdotalem functionem obiêrint, & poſteà etiam Deo placuerit, omne primogenitum ſibi dicari & eſſe proprium, quare ex XII. tribubus Iſraëliticis non primo - ſed tertiogeniti Jacobi filii Levi tribus ſeu poſteri, ut perpetui ſacrorum eſſent miniſtri, à DEO fuerint delecti? Rabbini, & poſt eos Alphonſus Toſtatus ac alii reſpondent: factum hoc eſſe eò, quòd omnes tribus præter Leviticam adoraverint vitulum conflatilem: ideo hanc primâ vice electam eſſe, ut deinceps divina exſequeretur miniſteria. Verùm etſi illi adſertum hoc ſuum probare nituntur, nihilominus Lyra, Junius & alii certiori argumentô ex Exod. XXXII. 27. petitô adſtruunt, non omnes

Le-

Levitas innocentes fuiſſe à moſcholatria, ſed multos Aaronis exemplum ſecutos cum idololatris interiiſſe. Itaque nonnulli circa quæſtionem allatam aliter ſentiunt: nimirum quandoquidem hoc ſatis fuerit cognitum ex lege ac voluntate divina, decimas rerum DEO fuiſſe conſecrandas, Jacobum duodecim filiorum patrem à Benjamine numerationem auſpicatum, cùm Levi Decimum reperiſſet; hunc DEO devoviſſe; & ad ſacrum ejus miniſterium delegâſſe. Ita Suidas in Lexico voce κλῆρος.

CAPUT III.

De diviſione ſacerdotii & familiis ſacerdotalibus.

OMnes ſacerdotes erant ex tribu Levi, ſed non omnes ex tribu Levi erant ſacerdotes. Quidam ex tribu Levi tantùm miniſtrabant ſacerdotibus; nonnullos ab hoc miniſterio etiam excludebat labes vel generis, vel famæ, vel corporis. Quod ut rectiùs intelligatur, ſciendum eſt, ſacrum miniſterium diviſum fuiſſe in tres ordines ſive claſſes: primam occupabat *pontifex max.* cum ſuo *vicario*; alteram *ſacerdotes minores* ſeu *gregarii*; tertiam *miniſtri ſacerdotum* ſeu *Levitæ* ſtrictè propriéque ita nuncupati. Primus pontificis maximi munere inſignis erat Aaron, minoribus ſacerdotibus exiſtentibus ejus filiis, Eleaſar & Ithamar. Eleaſar mortuo patri ſucceſſit, & deinde ad ejus poſteros venit pontificatus, duravitque penes eos tribus ſeculis, donec tandem ad poſteros

 Ithamar

Ithamar transferretur, quorum primus, qui ad faſtigium illud ſacerdotale aſcendit, fuit Eli. Eli ſucceſſere nepos Achitob, pronepotes Achias & Achimelech, abnepos Abjathar. Huic vicarius junctus eſt à Davide rege Zadok, quem ex poſteris Eleaſaris fuiſſe liquet ex I. Paral. VI. 50. Cùm autem Salomo regnare cœpiſſet, Abjathare planè exauctoratô Zadokum pontificem conſtituit ille, & ita in Eleaſaris familiam remigravit dignitas pontificia, ſic ut perpetuâ in ea & hæreditariâ ſucceſſione ſtabileretur. Ablata autem eſt à domo Eli & familia Ithamar, prout minatus fuerat DEUS I. Sam. II. 30. & ſeqq. Altera claſſis, in qua ſacerdotes minores conſiſtebant, partim ex aliis filiis Eleaſar, partim ex poſteris Ithamar originem duxit & conflata fuit. Ex utraque familia hac, nec non ex poſteris Moſis eligebantur quoque Levitæ ſtrictè ita dicti ſeu miniſtri, qui ſacerdotibus minoribus in portandis oneribus, purgandis vaſis, lavandis indumentis, & cuſtodiendis iis, quæ ſibi committerentur, fuerunt ad manus.

CAPUT IV.

De pontifice maximo

Ceterorum ſacerdotum princeps, præfectus ſeu inſpector appellabatur *κατ᾽ ἐξοχὴν ſacerdos*, item כֹּהֵן הַגָּדוֹל i. e. *ſacerdos ſummus* ſive *pontifex maximus*: cujus epitheti ratio generalis etſi quidem conſtare poteſt ex eo, quod primum inter eos tenuerit locum, eâque auctoritate ac propterea veneratione enituerit,

ut

ut ſoli ipſi liceret ingredi ſanctum ſanctorum; nihilominus Rabbini etiam alias ſpecialiores cauſſas reddunt, videlicet appellatum eſſe *maximum* ſeu *ſummum*, quòd maximus fuerit, (1) *ſapientiâ*, (2) *robore in oblatione & agitatione ſacrificiorum*; (3) *pulchritudine*, (4) *divitiis*. in Gloſſa magna in Levit. ſect. XXVI. Dignitas ejus porro patet ex habitu: Solus enim inter ceteros ſacerdotes geſtabat ille pallium; ſolus amiculum nuncupatum *ephod*, ſolus laminam ſeu frontale, ſolus pectorale, ſolus conſulebat Urim & Thummim, æqualem etiam alterum non agnoſcebat: ſiquidem non plures præter unum unô & eôdem tempore admoti fuerunt ad munus pontificis max. quô mortuô alius demum eligebatur & creabatur: & quidem jure receptô mortui filius aut nepos aut frater ad pontificatum, nemine impediente aut controverſiam movente, ſtatim deveniebat. Poſterioribus autem temporibus, templi nempe ſecundi, cùm res Judæorum paulatim vergerent in deterius, & majeſtas ſenſim frangeretur, Romani præſides ac procuratores pontificatus conferendi poteſtatem ſuo pro libitu exercebant, atque ita ut plurimum accidebat, ut vivo alicui alius ſurrogaretur priore illô exauctoratô, v. g. Joazar Simon, filius Boëthi & uxoris Herodis frater (in cujus pontificatu natus eſt Jeſus Chriſtus, teſtante Nicephorô) ſucceſſit Matthiæ Theophili filio, ob conjurationis in Herodem ſuſpicionem ab officio remoto. Vide Joſephum, Antiquit. Judaic. lib. XVII. c. VI. Huic iterum ſummoto ſuffectus eſt frater ipſius Eleaſar, referente Joſephô, lib. XVII. Antiqu. Judaic. c. XV. Neque tamen hic pontificatum diu geſſit, ſed paullò

pòſt in viventis locum ſubſtitutus eſt Jeſus filius Sie, uti ibidem Joſephus annotavit. Mortuo huic ſucceſſit denuo Joazar ſupra dictus, atque deinceps alterâ vice à Quirino præſide pulſus eſt, ejusque locô pontifex max. conſtitutus Ananias filius Seth, quem Euangeliſtæ Annam vocitant. Narrat id Joſephus Antiq. Jud. lib. XVIII. c. I. & III. Annæ dignitatem ademit Valerius Gratus, præſes Judææ ſub Tiberio Cæſare, eamque obtulit Iſmaëli, Phabi filio; huic remoto ab eodem Valerio ſucceſſor datus eſt Eleaſar Annæ pontificis memorati filius: & ab eodem ſubſtitutus eſt filius Simon patri Eleaſari poſt annum in dignitate exactum. Rurſus poſt annuum Simonis pontificatum ab eodem Valerio illi depoſito ſuffectus eſt Joſephus Caiphas, Annæ gener, ſub quo Chriſtus paſſus eſt. Caiphâ poſt decennium à Vitellio Syriæ proconſule remotô pontifex creatus eſt Jonathan, alter filius Annæ.

Exempli locô propoſuimus ſeriem eorum duntaxat pontificum, qui Chriſti ætate clavum ſacri illius miniſterii tenuerunt. Ex quo ſatis liquet id, quod ſupra dictum; & inſuper hoc quoque inde colligitur, pontificem ſemel exauctoratum poſt intervallum denuo ad eminens illud officium potuiſſe adſpirare. Unde cùm ſteterit primum templum annis CCCCXX, fuerintque ſub eo non niſi XVIII. pontifices, ſub templo II. quod CCCCXXC. annis ſtetit, plures quàm trecenti fuerunt. Fundamentum totius rei & cauſſa tam deſultoriæ dignitatis erat hæc, quòd perditô illô ævô pontificatus à Præſidibus Judæorum magni emeretur & venalis proſtaret. Quô præthereà factum, ut peſſimus quiſque, ſi modò eſſet locu-

locuples, faſtigium illud poſſet occupare. Id quod Talmudici quoque teſtantur: *Pontifices templi II. conſtituebantur per munera, quæ dabant propter pontificatum maximum Regibus domus Haſmonæorum*, in Gloſſa ad cod. de Die Expiat. c. I. fol. 8. col. 2. Et ibidem: *Martha filia Baithi, vidua dives erat, quam deſponſavit ſibi Joſua, filius Gamlæ: ea verò dedit munera Jannæo regi, propter quæ factus eſt maritus pontifex maximus*; fol. 18. col. 1. Immo in tantum Præſidum avaritia, Judæorum verò arrogantia excrevit, ut aliquando annuatim pontificatus permutaretur, uti referunt Thalmudiſtæ, loc. cit. Splendor autem ſummi ſacerdotii redundabat quoque in eos, qui cognati erant pontificis, eique ſangvine juncti; qui omnes quoque ab eo denominati fuêre *pontifices maximi*, quod commodè vertas, die Hoheprieſterliche / magnæque præ ceteris ſacerdotibus exſtiterunt auctoritatis, teſtibus Joſephô & Zonarâ.

CAPUT V.

Cur Annas & Caiphas Luc. III. 2. ſimul dicantur pontifices maximi?

SUpra diximus, unum tantùm, non plures, eôdem tempore pontificatum tenuiſſe, & in Judæorum ſcriptis ſæpe hoc memoratur, non conſtitutos fuiſſe ſimul binos. Vide cod. Talmudicum de Documentis Judicum, c. III. fol. 38. col. 4. & cod. de Volumine Eſther c. I. fol. 72. col. 1. Maimonidem de Vaſis Sanctuarii c. IV. &c. Quod cùm certum ſit atque indubitatum,

quæritur, quomodo intelligendum ſit illud Luc. III. 2. *Sub pontificibus maximis Anna & Caipha factum eſt verbum Domini?* De cujus loci explicatione & ſenſu diverſæ ſunt ſententiæ. I. Sunt, qui putant, corruptiſſimô illô ſeculô, quô venalis etiam erat pontificatus, duos ſimul ad dignitatem iſtam fuiſſe admiſſos, idque ex avaritia Romanorum Præſidum, contra tamen veterum Ebræorum inſtitutum. Atque eo inclinant Joach. Camerarius, comm. in N. T. fol. 158. Benedictus Aretius, comm. in Lucam fol. 59. col. 1. Cornelius Janſenius, Concord. Euang. part. 1. c. XIII. fol. 76. Carolus Molinæus, collat. Euangeliſt. in annot. ad part. VII. fol. 96. & ſeq. Alphonſus Salmero, comm. in Euang. hiſt. tom. IV. part. 1. tract. 2. fol. 11. Sed cùm hæc mera ſit conjectura, nullô prorſus teſtimoniô fulta, cui inſuper antiquiſſima Judæorum ſcripta ſupra allegata repugnant, facilè à doctis repudiata fuit. II. Alii paulò aliter rem extricare laborant, duos quidem pontifices ſimul conſtitutos, ſed per vices eô munere fuiſſe defunctos: quam opinionem etiam fovet Beza, notis ad l. c. Lucæ fol. 236. eamque admodùm vetuſtam eſſe patet ex Auguſtino, Tractat. CXIII. in Joh. Tom. IX. fol. 115. col. 3. & Nicephoro, Hiſt. Eccleſ. lib. I. c. XVIII. fol. 56. Verùm huic quoque nulla antiquitas ſuffragatur. Demus enim, alternatim ſummô imperiô fuiſſe uſos, *falſum* tamen eſt prius, *duos unquàm pontificatus nomen & faſtigium tenuiſſe*; verba ſunt Talmudis, cod. de Documentis Judic. c. III. Nonnulli ſentiunt, pontificatum illô ſeculô fuiſſe annuum, non perpetuum ad dies vitæ. Igitur eô annô, quô Lucas illud ſcripſerit, muneri illi valedixiſſe Annam, aggreſſum verò illud Caipham,

pham, quô reſpectu ambo iſti rectè dicantur *Pontifices.* Ita Theophylactus in Joh. c. XI. fol. 286. Quod attinet primò hypotheſin, unde explicatio hæc deducta eſt, non temerè ea videtur eſſe poſita: nam & in Talmude, cod. de Die Expiat, c. I. fol. 8. perſpicua mentio fit uſus annui pontificatus; quâ autem ætate peſſima conſvetudo iſta obtinuerit, id nobis incognitum. Certum ſaltim hoc eſt, Chriſti ætate non obtinuiſſe, quandoquidem Caipham integrô decenniô pontificatum geſſiſſe, ex Joſepho abundè ſit notum; adeoque corruit tota hypotheſis, pontificatum eâ ætate fuiſſe annuum. Deinde falſum & hoc eſt, Annam & Caipham ſibi ſucceſſiſſe, & immediatè eôdem annô in ſacerdotali faſtigio enituiſſe: tres quippe interceſſère pontifices alii inter Annæ & Caiphæ ſacerdotium, quos ſuperiori c. enarravimus ex Joſepho, & ex eodem annotavit Euſebius, Hiſt. Eccleſ. lib. I. c. X. Sententia IV. eſt Caroli Sigonii de Rep. Ebræorum, lib. V. c. II. nimirum etiam eos, qui pontificatu jam eſſent defuncti & exauctorati, quemadmodùm Annas, dictos fuiſſe pontifices; quâ re nihil certius eſſe, ex Joſepho & aliis liquet. V. Nonnulli exiſtimant, quandoquidem omnes cognati pontificis & ſangvine juncti nuncuparentur pontifices, Annas autem ſocer fuerit Caiphæ, ex hac cauſſa eum dictum fuiſſe pontificem maximum. VI. Sententiam referunt Scaliger de Emendat. Tempor. in Prolegomenis, Conſtant. l'Empereur ad Talm. cod. de Menſuris p. 180. & Caſaubonus, Exercit. XIII. §. IV. & V. p. 214. & ſeqq. vicarium olim ſacerdotis ſummi nominatum fuiſſe pontificem alterum, & cum hîc pontifex dicatur Annas, fortè eum exſtitiſſe talem

ſecundarium, atqve in ſacris Caiphæ adjutorem. Tres iſtæ ſententiæ ſpecie non carent, laborant tamen hôc ſcrupulô, quòd Annas Caiphæ à Luca præpoſitus legatur, cùm tamen & exauctoratus pontifex, & ſangvine juncti, & vicarius dignitate fuerint inferiores pontifice maximô. Deinde in dinumeratione temporum, qualis eſt apud Lucam, certiſſimum eſt, communi conſvetudini adverſari, & tantum non abſurdum eſſe, annos atque ætates ab exauctorato aliquo aut vicario, aut ſangvine junctis deſignari; quin potiùs tempora denotata fuêre à nominibus eorum, qui rebus ipſis præerant. VII. Sententia eſt Euthymii. Annam fuiſſe pontificem maximum. Caipham verò ſecundarium ſeu propontificem; verùm & hæc ex modò dictis facilè refutari poteſt. VIII. Sententia Baronii eſt in Annal. Eccleſiaſt. ad annum Chriſti XXXI. fol. 104. & ſeq. nec non Seldeni de Succeſſione in pontificatum Ebræorum, lib. II. c. XII. p. 353. & ſeqq. eaque omnium veriſimillima, Annam cum Caipha titulô pontificis inſigniri, non reſpectu ſacræ functionis, ſed civilis rerum adminiſtrationis in ſynedrio magno, cujus capita duæ erant perſonæ, altera dicebatur *Princeps Synedrii*, altera *Pater Synedrii:* hic principi ſecundarius fuit in ipſo judicio, tametſi eſſet pontifex maximus, & extra illud judicium principe major. Dicebantur duo illi vulgò *principes populi* aliquando *principes ſacerdotum*, ἀρχιερεῖς: & veluti faſtos à conſulibus deſignabant Romani, ita à duobus iſtis principibus Ebræi. Erat etiam dignitas illa ambulatoria, ita ut pontifex max. unô annô eſſet princeps ſynedrii, alterô pater. Unde jam multa N. T. loca intelligentur, in quibus mentio fit pontificum maximorum,

morum, cùm tamen inter ſacerdotes unus κατ' ἐξοχὴν titulô iſthôc fuerit inſignitus. Vide Matth. XX. 18. XXI. 15. 23. & 45. XXVI. 3. 14. 47. & 59. XXVII. 6. 12. 20. 41. & 62. XXVIII. 11. Ita Luc. III. 2. Annas intelligendus eſt fuiſſe ſynedrii princeps, Caiphas pater. Quæ ut omnia rectiùs intelligantur, breviter jam de ſynedrio magno, quantum ad id ſacerdotes pertinuerunt, diſſeremus.

CAPUT VI.

De Synedrio magno ac minori, & de Judicio triumvirali.

ERat apud Ebræos Hieroſolymis collegium conſtans ex uno & ſeptuaginta viris, dictum *Synedrium magnum*, originem trahens ex præcepto divino, quod habetur Num. XI. 16. 17. & magnum quidem appellatur ad differentiam judiciorum XXIII. virorum, quæ per ceteras urbes diſpoſita erant, & *preſbyteria* vocabantur. Illud verò prætereà nuncupabatur γερουσία Judith. XI. 11. I. Maccab. XII. 6. Actor. V. 21. itemque πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ Luc. XXII. 66. ejusque aſſeſſores πρεσβύτεροι, ἄρχοντες προσέχοντες. Vide Bonaventur. Cornelium Bertramum de Politia Judaica, c. XIII. p. 88. Judicavit id de rebus forenſibus & politicis, ita ut juriſdictio tantùm pertineret ad Principes & Synedrium; ſacri verò ordinis ſtatuta ad Pontificem maximum. Illô pactô Pontifex maximus ſubjectus fuit Synedrio, neque ejus deciſiones verbô arguere poterat aut immutare,

tare. Poſteà Judæis in Romanorum poteſtatem tandem redactis eô modô, quô pontificia dignitas pro arbitrio Præſidum ac Procuratorum conferebatur, juriſdictio quoque Hieroſolymis Præſidibus Romanis ceſſit, ſic tamen ut Ebræis aliqua, utcumque exigua, relinqueretur, quâ judicia aliquot juxta leges patrias exercerent. quod illuſtrabit loca Marc. XIV. 53. & 55. XV. 1. Joh. XI. 47. & plura alia. Iiſdem quoque ſeculis Principis ac Pontificis dignitas conjuncta fuit; quô factum, ut Pontifex, qui olim fuiſſet extra ſynedrium, caput illius exſiſteret. Fuerunt autem duo ſynedrii Præſides, alter primarius, dictus *Princeps Synedrii*, alter ſecundarius, nuncupatus *Pater Synedrii*, eorumque functio inſtar præfecturæ Moſis & Aaronis cenſebatur, utpote quorum quamdam præferebant ſimilitudinem. De iis multe videri poſſunt in Talmude, cod. de Synedriis, c. IV. & apud commentatores ejuſdem. Pontifex max. præſes fuit aliquando primarius, aliquando ſecundarius. Si ſecundarius eſſet in ipſo ſynedrio, cathedram tenuit ſecunndam, veluti primarius præſes primam. Extra tamen ſynedrium dignitate ubique anteivit ſummus Sacerdos. Præſidum officium fuit præcipuè, ſuffragia ſeniorum ſeu conſeſſus ſynedrii colligere, quæſtionem ex ſuffragiis determinare ac ſcriptô annotare, exſequi concluſum & cuſtodire. His exceptis intra judicandum nihil iis fuit proprium, quod non reliquis eſſet commune. Quod reliquum conſeſſum ſynedrii attinet, iisdem temporibus ceteri etiam Sacerdotes & Levitæ in ſynedrium irruperunt, ita ut illud maximam partem conſtaret ex ſacerdotibus, quod priſcis temporibus ex Iſraëlitis ſenioribus conſtiterat,

ac

ac proinde Pontifex & Sacerdotes acta in ſynedrio præ omnibus aliis promovere, atque ſummo cum nervo proſequi poterant, quippe qui plurima ejus ſubſellia occuparent. Sed & Scribæ & Phariſæi pars ſynedrii fuêre facti. Adeoque ſynedrium conſtabat ex Sacerdotibus, Levitis & Iſraëlitis, docente Maimonide de Synedr. c. II. *Sacerdotes & Levitæ* quotquot hîc in ſynedrio aſſidebant, laxiori ſignificatô dicebantur ἀρχιερεῖς: *Scribæ populi* autem nuncupabantur omnes iſti è ſynedrio, qui non erant è clero. Receptaculum ſynedrii, in quo conveniebant & deliberabant, erat extraordinariè in aula Pontificis max. ordinariè in templo, in baſilica magna, quæ appellabatur *conclave Gadſit* ſeu exciſi lapidis, in parte templi auſtrali. Videatur Matth. XXVI. 3. XXVII. 4. 5. 6. & 7. Exciſis autem Hieroſolymis, primùm in urbem Jaſne, poſteà ſubinde ad alia loca transportatum eſt. Habuerunt quidem & Sacerdotes proprium ſuum conſiſtorium, quod *conclave* βουλευτῶν *conſiliariorum, nec non concilium* ſacerdotum nuncupatum fuit. In eo à ſolis ſacerdotibus conventum atque conſeſſum eſt; at non judicantibus, ſed conſulentibus, idque de rebus & negotiis ſolùm templi. Proviſum hîc eſt, ut præſto eſſent omnes, atque omnia ad cultum divinum neceſſaria, ut ſarta tecta conſervarentur ædificia templi & atriorum, atque ritè procederet liturgia publica: interim abſuit ab iis omnino poteſtas judicialis aut punitiva, atque auctoritas vel mulctandi, vel flagellandi, vel interficiendi; immo ſuô examine & auctoritate nequiverunt vel candidatum in ſacerdotium cooptare, ſed hæc omnia fiebant auctoritate ſynedrii, quod, etſi majeſtas Judaica à Romanis mul-

tum

tum erat dejecta, nihilominus capitalia judicia exercendi jus aliquando habebat. Hinc tam parum auſus eſt ſe ſynedrio credere Paullus, ut Cæſarem appellaret potiùs, Actor. XXV. 10. 11. & 12. & Chriſtus martyria diſcipulis ſuis prædicens, *tradent vos*, ait, *in ſynedria*, Matth. X. 17. Adde Actor. IX. 1. 2. Synedrium itaque magnum judicabat majores cauſſas & graviora regni judicia, veluti de bello & pace, de commodis & juribus publicis, de communibus tribuum negotiis, de falſo propheta, de ſummo ſacerdote, de judicibus & magiſtratibus tribuum, & ſimilibus.

Synedrium minus, quod conſtabat ex XXIII. viris & reſidebat in ſingulis urbibus, ubi CXX. cives ſive œconomiæ eſſent & plures, non autem pauciores, minora ſui loci negotia dijudicabat. Synedrium autem XXIII. virorum, quod Hieroſolymis erat, conveniebat itidem in templo in diverſis cubiculis ædificatis ſuper portam inferiorem atrii mulierum verſus plagam mundi Orientalem. Sedebant illi figurâ hemiſphærii, coram iis verò conſidebant candidati ſynedrii (ſeu qui mortuo collegæ alicui ſynedrii ſuccedebant) & quidem per tres ſeries ſive ordines. Horum candidatorum officium tantùm erat attendere deliberationibus & ſententiis collegarum ſynedrii. Ad latus Judicum conſiſtebant duo λογογεάφοι ſeu cauſſidici vel rabulæ, alter à dextra, alter à ſiniſtra. Videatur codex Talmudicus de Synedr. c. XI. & XII. Planè idem conſidendi modus erat etiam in Synedrio magno, nempe in ſemicirculo, ita ut & hujus candidati coram Judicibus ſederent, rationemque tractandi res forenſes ſenſim addiſcerent, etiamque adſtarent ad latera

tera Judicum duo cauſſidici, hic ad dextram, ille ad ſiniſtram. Videatur codex de Synedriis, c. IV. §. 3. Tales λογογράφοι fortè fuerunt illi duo teſtes, qui Chriſtum in pleno ſynedrii conſeſſu accuſârunt, quòd dixiſſet, *ſe velle tenplum Dei deſtruere, & poſt triduum illud readificare*. Matth. XXVI. 61.

Synedrio minori ſubjunctum fuit *Judicium triumvirale*, conſtans ex tribus viris, qui dijudicandis leviculis cauſſis erant præfecti v. g. de debitis pecuniariis, de furtis, raptis, damnis illatis, infamiis, plagiis &c. Videantur Joh. Lightfoot Commentar. in Matth. XXVI. 3. & Buxtorfii Lexicon Talmudic. fol. 1513. De Synedriis Ebræorum peculiari tractatu egit Joh. Seldenus.

CAPUT VII.

An regia dignitas apud Ebræos cum pontificia conjuncta fuerit.

AFfirmavit id poſt antiquiores Chriſtianorum doctores Sulpicius Severus: *Judæi non per externos magiſtratus, ſed per ſacerdotes ſuos regebantur*; Hiſt. Sacr. lib. II. c. XXVI. Inter ethnicos Trogus apud Juſtinum: *Poſt Moſen filius ejus Arruan ſacerdos ſacris Ægyptiis mox rex creatur, ſemperque exinde hic mos apud Judæos fuit, ut eoſdem reges & ſacerdotes haberent, quorum juſtitia relligione permixta incredibile quantum coaluêre*; lib. XXXVI. c. II. Verum quidem hoc eſt, ſi de certo & legitimo tempore intelligatur, eoſdem fuiſſe reges, qui exſtiterint pontifices.

tifices. Craſſum enim errorem errârunt hi, qui cum Trogo ad Aaronis tempora retulerunt, & illi, qui promiſcuè de ſeculis poſt primi templi excidium accepêre: ſiquidem ſtatim poſt captivitatem Babylonicam, ſeu ſub initium politiæ templi ſecundi præfuére rebus Pontifices: verùm non ſoli præfuére, neque pontifex idem atque rex erat, ſed reſpubl. mixta erat, partim ariſtocratica, partim oligarchica. Cùm autem Haſmonæi rerum potirentur, tunc demum cœpit regni & pontificatus conjunctio, quod egregiè oſtendit Seldenus de Succeſſione in pontificatum, lib. I. c. XIII. Joſephus: *Ut quidam Principes ſimul & pontifices eſſent, tempore Maccabæorum primò fieri cœpit, præſertim in principatu Ariſtobuli, qui primus principatum ſummo pontificatui junxit, & diadema ſibi impoſuit annis poſt captivitatem Babylonicam* 481. lib. XIII. Antiqu. Jud. c. XIX.

CAPUT VIII.

De Propontifice ſeu pontificis max. vicario.

TEmporibus poſt liberationem ex captivitate Aſſyriaca ſubſtituebatur Pontifici maximo in caſu neceſſitatis alius, qui Babylonicâ voce סגן *Sagan*, ſecundus erat à pontifice, propontifex, pontifex ſecundarius, pontificis vicarius. Ad quam dignitatem eligebatur more conſvetô is, qui ſpe proximior erat pontificatus heres. Tradunt autem Talmudici, neminem ad pontificatum evectum fuiſſe, antequàm factus fuiſſet *Sagan*; itaque creabatur vel mortuô pontifice, vel ipſô

ipſô vivô. Si illud, unô eôdemque actu primò ad gradum Sægæn, deinde ad gradum Pontificis evehebatur; quemadmodùm in quibusdam Europæ Academiis in ſolemnibus inaugurationibus candidati primò Licentiati, dein ſtatim ſimul Doctores renunciantur. Si hoc, electio ejus fiebat ad unicum diem, nempe ſi feſtô expiationis pontifici max. accidiſſet aliquid, quod eum profanaret v. g. fluxus ſeminis & hujusmodi alia, tum enim Sægæn vices ejus in miniſterio ſacro gerebat. Elapſô feſtô atque mundatâ pollutione in integrum reſtituebatur primarius pontifex: Subſtitutus autem ille Sægænis nomen ſemper poſteà retinebat, & Pontifici vicarius erat perpetuus, ita tamen ut in ſacris ipſis obeundis partes Pontifici proprias minimè haberet, niſi tantùm tempore, quô Pontifex max. pollutione aliquâ impediebatur. Neque tamen ſacerdotis etiam gregarii partes ampliùs ritè agere poterat, aut in ſacerdotum minorum gregem reverti, ſed veluti medioxumi locum tenuit inter pontificem max. & ſacerdotem minorem. Quamvis Maimonides contra reliquorum ſententiam aliter tradat, nimirum idoneum eum manſiſſe præſtandis omnibus, quæ ad pontificem ipſum attinebant; tametſi non fuerit ut pontifex habendus: Ceterùm Sægæn hic Sacerdoti ſummo ſive in loco ſacro ſive extra illum ſtabat ad latus dexterum, ſive adſidebat, Princeps æditorum autem ſiniſtrum latus claudebat. Et prætereà Proponitfex particeps erat in ſacro ærario & proventuum omnium æquè ac ipſe ſummus Sacerdos, eratque ſacri miniſterii ad altare Pontificis adjutor aſſiduus, habebat etiam in templo II. proprium conclave ſeu ædificium, de quo Jacob Juda Leo, lib. II.

de Templo, c. XIX. §. 164. In Talmude Hieroſolymitano, cod. de Die Expiat. ita de eo ſcribitur: *In quinque rebus ſerviebat Sagan Sacerdoti ſummo*, (1) *dicebat Sagan ad Sacerdotem ſummum*: *Domine mi*, *Sacerdos magne*, *attolle dextram tuam*. (2) *Sagan ſtabat ad ipſius dexteram*, *& Princeps domus patrum à ſiniſtra ejus*. (3) *Sagan agitabat cum ſudariis*. (4) *Sagan tenebat manum Pontificis max. & adjuvit eum*, *cùm aſcenderet per gradus*. (5) *Non poterat Sacredos magnus præfici*, *ut eſſet Sacerdos magnus*, *niſi priùs fuiſſet Sagan*; c. III. fol. 41. col. 4.

CAPUT IX.

De Sacerdotibus minoribus.

SAcerdotes reliqui reſpectu Pontificis max. ſeu ſacerdotis ſummi dicebantur *Sacerdotes minores*, aliàs *Sacerdotes gregarii*, *vulgares*, *partiarii*, *Sacerdotes idiotæ &c.* & eligebantur partim ex poſteris Eleaſar, partim ex filiis Ithamar. Univerſum hoc genus ſacerdotale diviſum erat in certas ſtationes, familias, ſeu claſſes, ut per vices ſingulæ quâlibet hebdomade in templo adeſſent ſacris miniſteriis. Moſe primùm familias illas Eleaſaritarum & Ithamaritarum in duas claſſes diſtribuit, creſcente poſteà prole in octo, ut utriſque quatuor eſſent ſtationes; tandem in ſedecim, ut utriſque eſſent octo. Deinceps David imparem nimis Ithamaritarum numerum videns, ex Eleaſaritarum numero abundante quatuor primùm ſtationes illorum ſtationibus adjecit, poſteà

rurſus

ruſus alias quatuor, ut ita hiſce ſedecim familiæ, Ithamari autem octo claſſes ſacerdotales remanerent, eſſentque in univerſum viginti quatuor claſſes. Ita ferè Talmudici, cod. de Jejuniis, c.IV. fol.67. col. 4. Singulis illis XXIV. claſſibus præerant ſinguli *Præfecti*, dicti itidem ἀρχιερεῖς. Confer I. Paral. XXIV. 4. ubi præfectos illos LXX. Græci nominant ἄρχοντας τῶν πατριῶν τῶν ἱερῶν i. e. *principes familiarum ſacerdotalium*. Hinc jam explicantur loca Matth. II. 4. XVI. 21. XXVII. 1. Marc. VIII. 31. X. 33. &c. Habuerunt illi in templo proprium conclave, dictum *conclave principum*, cujus etiam meminit Jeremias XXXV. 4. in quo congregabantur Principes Sacerdotum & Levitarum. Vide Leonem de Templo, lib. II. c. XIX. §. 145. De diverſis gradibus ſacerdotum videatur idem Leo de Templo, lib. I. p. 30. & ſeq. Numerus ſacerdotum prope fuit immenſus. Nam in ſacrificio jugi bis quôvis die ſuffimentum erat incendendum. Scribunt autem Tulmudici, unum eumdemque ſacerdotem nunquàm per omnem ætatem ſuam duabus vicibus ſuffitum coram Domino ex decreto adoleviſſe, & tamen ſemper repertos fuiſſe novos ſacerdotes, qui nunquàm ſuffumigâſſent. Pontifici autem maximo ſemper competebat facultas & licentia ſuffiendi, quandocumque vellet. Inter minores ſacerdotes quidam porro dicti fuêre *Sacerdotes plebeji* כהנים עם הארץ, non quòd è plebe eſſent, ſed quòd educatione ſcholaſticâ caruiſſent: cùm enim totum ſemen Aaronis eſſet ſacerdotale & ſacerdotes Ebræorum non tam facti quàm nati, non mirum, ſi inter eos reperirentur, etiam rudes & indocti. De his vide inprimis Talm. Bab. cod. Sanhedr. fol. 90. col. 2. & Talm. Hieroſol. cod.

Tt 2 Tru-

Trumoth. fol. 44. col. 1. & 2. Obiêrunt quidem & hi, prout ſors ferebat, ſuas vices ad altare, regulis tamen generalibus edocti de eo, quid ſibi eſſet peragendum, adeoque erant quaſi medii inter Sacerdotes minores & Levitas, & quaſi ſubordinati Sacerdotibus minoribus. Quin de ipſis etiam Pontificis Max. inſcitia ac ſtupiditate planè ſtupenda præſupponuntur in Cod. Joma, c. I. Præterea alii iterum Sacerdotes vocabantur, *Sacerdotes idiotæ vel privati* כהנים הדיוטות, qui quamvis docti eſſent & publicò munere ad altare fungerentur, privati tamen nuncupabantur, quòd non eminentem aliquam dignitatem in ordine Sacerdotali obtinerent, qualis præter Pontificatum & Vicepontificatum erant tum præfecturæ ſuprà hôc capite memoratæ, tum præfecturæ aliorum variorum officiorum in templo, tum denique etiam, ſi quis ex ſtirpe Sacerdotali in ſummum Synedrium cooptatus & auguſti illius ſenatus pars eſſet.

CAPUT X.

De Levitis ſtrictè ita dictis.

Quamquàm totum genus Sacerdotale eſſet ex tribu Levi, adeoque conſtaret ex viris Levitis, attamen miniſtri Sacerdotum, quibus ſacrificare non erat jus, ſpecialiùs appellabantur *Levitæ*, non tam quòd & ipſi ex tribu Levi proſapiam ducerent, quàm quòd adjuncti eſſent in operibus peragendis & miniſteriis exſequendis Sacerdotibus. Quippe Ebraicum ver-

verbum, unde denominati ſunt Levitæ, לוה ſignicat *adhæſit*, *adjunxit ſe*, *adjunctus fuit*, *&c.* Unde expreſſè Sacerdotes à Levitis diſtingvuntur Joh. I. 19. Sacerdotes enim tantùm ex poſteris Aaron fuère, Levitæ autem ex aliis quoque familiis Levi, neque unquàm merebantur nomen Sacerdotum, ſed tantùm miniſtrorum, & extra dignitatem Sacerdotum omnino erant. Differentiam ſatis declarat Scribtura S. *Locutus eſt Dominus ad Moſen dicens: Applica Tribum Levi, & fac ſtare in conſpectu Aaronis Sacerdotis, ut miniſtrent ei & excubent & obſervent, quicquid ad cultum pertinet multitudinis coram Tabernaculo teſtimonii, & cuſtodiant vaſa Tabernaculi ſervientes in miniſterio; dabiſque donô Levitas Aaroni & filiis ejus, quibus traditi ſunt à filiis Iſraël: Aaronem autem & filios ejus conſtitues ſuper cultum Sacerdotii. Externus, qui ad Miniſtrandum acceſſerit, morietur.* Num. III. 5. & ſeqq. Num. XVIII. 7. Hinc etiam cùm Levitæ pro ſalario acciperent decimas ab Iſraëlitis, ipſi decimarum harum decimas offerre tenebantur Aaroni & Sacerdotibus, Num. XVIII. De numero Levitarum ſcribunt Talmudici, fuiſſe eorum aliquando triginta duo millia, ſingulorum à triginta annis & ſupra uſque ad ætatem quinquaginta annorum. Fuiſſe etiam diſpertitos in XXIV. claſſes, quarum quælibet tractu unius hebdomadæ (veluti & claſſes Sacerdotales) miniſtrabat in templo, inde revertebatur, & alia claſſis templum adſcendebat ad ſacrum cultum, ut ita una claſſis revolutione reciprocâ miniſtraret in templo duabus vicibus in anno. Singulæ claſſes rurſus dividebantur in ſeptem cœtus, juxta numerum dierum hebdomadæ, quibus ſin-

Digitized by Google

ſinguli miniſtrabant. Taliſque ordo fuit perpetuus miniſterii ipſorum.

CAPUT XI.

De Nethinæis.

Quemadmodùm Levitæ miniſtrabant Sacerdotibus, ita Levitis Nethinæi, erantque adeo ſervi ſervorum, dicti ab Ebræo verbo נָתַן quod ſignificat *dedit*, quaſi *dati* aut *donati* Levitis ac templo, ut neceſſaria miniſtrarent: vel quòd Sacerdotibus *darent* ac ſuppeditarent ad manum neceſſaria, uti ſibi fingit Förſterus. Theodoretus in lib. I. Paralip. refert, ſe inveniſſe in nominum Ebraïcorum interpretatione nomen hoc ſignificare δόσιν Ἰαώ, i. e. *donum DEI ſive Domini.* Fuerunt autem ſervi publici & communes ad ſecanda ligna, hauriendas aquas aliaque ſimilia munia & publicas angarias obeundas. Primi Nethinæi conſtituti fuerunt & ordinati à Joſua Gibeonite, datique in caſtris miniſterio univerſi populi in uſum ſacrum & profanum, Joſ. IX. 21. conſecrati autem poſteà à Davide ad ſervitium ſolorum Levitarum, uti conſtare poteſt inter alia ex Eſræ c. VIII. 20. Salomo addidit rurſus alios ex ſervis ſuis delectos, quos cum filiis nepotibuſque & poſteris ſervitio ejuſmodi mancipârat. De his à conjugiis virorum Iſraëlitarum arcendis bina facta decreta ajunt Judæi: alterum ab ipſomet Joſua, quod quidem temporarium tantùm fuerit; alterum dein-

de

de à Davide, ſed quod ſemper obſervari debebat ob illam Gibeonitarum crudelitatem, quâ haut aliâ ratione quam ſuſpendiô ſeptem filiorum Saulis placari poterant. Vide D. Wagenſeilium ad c. IV. Cod. Talm. Sota, p. 568. Habebant illi in templo propriam domum dictam *Conclave lectorum*, in qua noctu cubabant, cujus etiam mentio fit 2 Paral. XXII. 11. Horum Nethinæorum tempore Eſræ fuêre numerô trecenti & nonaginta duo. Vide Eſræ c. II. 43. & 58. Confer Hieronymum in I. Paralip. l. c. Nicolaum Lyram in I. Paralip. c. IX. Abulenſem in eumdem lib. Quæſt. IV. Franciſcum Riberam de Templo, lib. III. c. IV. p. 210. M. Marinum in Arca Noæ, Tom. II. fol. 491. Schindler. in Lex. pentaglott. fol. 1184. Petrum Ravanellum, Bibl. S. part. II. fol. 359. col. 1. & in Additamentis novis part. II. fol. 136. col. 1. Planè aliam de his ſententiam, ſed merâ conjecturâ nixam, fovet Joh. Förſterus: *Ego*, ſcribit, *fratres arbitror initiô Regis, qui non ſuccedebant in regnô, ſed quibus donationes dabantur, ita dictos eſſe, quaſi* donatos, & *habitaverunt ceu cuſtodes in munitione Ophel, ne in arcem David à ſeditioſis fieret irruptio. Deinde autem poſt Reges & reditum ex Babylone alii ita quoque ſunt appellati, qui ſacerdotibus neceſſaria ſuppeditarent, à dando ſeu porrigendo nomen habentes*; in Dictionar. fol. 532.

CAPUT XII.

De Æedituis & Janitoribus.

ÆDitui dividebantur in κλειούχους Thorſchlieſſer / & θυρωροὺς Thorhüter / qui oſtia templi claudebant & reſerabant, claveſque atriorum tenebant. Illi tantùm erant ex Sacerdotibus, & quidem ſeniores, dicti propterea *Seniores domus paternæ*; nuncupabantur alias *Camerarii*, item *Præpoſiti pecuniæ publici fiſci ſacri*, & erant primarii XXIV. familiarum ſacerdotalium, de quibus egimus ſupra c. IX. Princeps eorum ſeu inſpector, qui iis præſidebat, nominabatur *Caput domus paternæ*, de quo ampliùs conferri poſſunt R. Salomo Jarchi & Obadias bar Tenora, Comment. ad initium c. II. codicis יומא. Occluſis omni veſperâ ſingulis templi oſtiis conveniebant hi in elegantiſſimo conclavi ædificato in atrio Sacerdotum à latere ſeptemtrionali, quod dicebatur *Camera cuſtodiæ templi*, itemque *Camera domus foci*, nimirum propter ignem ibi exſtructum, ad quem ſe æditui calefaciebant. Videatur Codex Talmudicus de Menſuris, c. I. §. VIII. In hac camera exciſi erant gradus lapidei, ſeu ſtratum è muro prominens, ſcamnis lineatim diſtinctum, quorum unum altius erat alterô, veluti in theatris, in quibus memorati illi Presbyteri templi cum ſuo Præfecto pernoctabant & dormiebant. In pavimento cameræ iſtius ſubterranea quædam crypta exſtitit quadrata, cubitô unô longa & unô lata, cujus orificio ſuperimpoſita fuit tabula marmorea, atque

que huic infixus annulus, ut, ſi opus eſſet, ipſa tabula poſſet elevari. Subter cryptam illam catena fuit aurea, in qua claves templi pependerunt in clavo ſeu unncio. Cùm igitur appeteret tempus obſerationis, ſuſtulit Sacerdos, quem ordo tunc tangebat, cum annulo tabulam iſtam, & de catena clavibus deſumptis clauſit oſtia interiùs. Poſtquàm omnia clauſiſſet ac repoſuiſſet claves in catenam tabulamque in locum ſuum, in hanc injecit veſtimenta ſua & dormivit per noctem ſuper iis. Videatur Codex Talmudicus de Menſuris l. c. Janitorum autem, ſive eorum, qui ad varia templi oſtia noctu diuque vigilabant, quidam erant ex Sacerdotibus, quidam ex Levitis. Illi vulgò appellabantur *Juniores Sacerdotii*, eô qùòd ad hoc officium deligerentur, qui recens creati eſſent Sacerdotes, ceteriſque eſſent annis minores, adeoque ad vigilandum vegetiores & alacriores. Hi dicti fuerunt *Koritæ*, quod maxima eorum pars eſſet ex poſteris Korah, quem adverſus Moſen rebellantem terra abſorpſit, remanentibus tamen filiis ipſius, Num. XXVI. 11. Erat verò Korah filius Jezearis, nepos Kahath, pronepos Levi, quod conſtat ex Exod. VI. 16. 18. & 21. Hiſce poſteà jungebantur aliquot ex poſteris Merari, filii itidem Levi, diſtincti tamen appellatione à Levitis ſtrictè ita appellatis, uti ex aliquot S. Scripturæ locis manifeſtum eſt. Nuncupabantur junctim ſimul *Janitores*, *Oſtiarii*, *Cuſtodes tabernaculi*, *ſanctuarii*, *vel templi*. Præpoſitus etiam illis erat *Janitor princeps*, cui ſubordinati fuerunt alii Janitorum præſides nonnulli ſeu inſpectores. Officium eorum erat, partim excubare ad oſtia templi, & in-

 troi-

troitum cum armis cuſtodire, ne profanus quiſquam accederet, aut aliquid illegitimi inferretur: partim cuſtodire & obſervare vaſa & utenſilia miniſterii templi, ut bonâ fide quæque ex ſuis conclavibus efferrentur & reconderentur, neque aliquod de eorum numero decederet. Præerant quoque panibus propoſitionis, vino, oleo, thuri, aromatibus, ſali & ſimilibus. Colligebant pecuniam à populo ad conſervationem ædificiorum ſacrorum. Denique & inſpectores erant eorum, qui ad diverſos uſus miniſterii templi diverſa onera bajulabant. Diviſi autem erant in certas claſſes, quæ ſingulæ in ſingulis habitant pagis aut prædiis ſuis, & per vices Hieroſolymis munia ſua obibant, ſic, ut ſi quem tangeret ordo, Hieroſolymas proficiſceretur, ibique partium ſuarum ſatageret. Profecti eò conveniebant omni veſpera in duobus conclavibus à latere ſeptemtrionali atrii Sacerdotum, extra tamen illud ſitis, quorum alterum ſuperiùs erat, dictum *conclave ſuperius domus Nitzotz*, in quo illi, qui ex Sacerdotibus Janitores agebant, congregabantur: alterum inferius, adſignatum Levitis Janitoribus, dictum *conclave ſacrificii* (ædificatum enim erat prope templi portam, quæ cognominabatur porta ſacrificii) atque in his excubias per diverſa loca inter ſe ſorte diſpertiebantur, eaſque illico deinceps ſubibant, ita ut Sacerdotibus de ſuo conclavi deſcendentibus jungerent ſe Levitæ, & ſic quilibet ad locum ſorte ſibi conſtitutum pergeret. Videatur Codex de Menſuris, c. I. ſect. I. Ita ſorte ſe dividebant in XXIV. catervas, quarum quælibet appellabatur *cuſtodia*, item *congregatio*: ex his una & viginti erant ex Levitis, reliquæ

quæ tres de Sacerdotibus. Unaquæque in templo Salomonis non minor erat, quàm decem hominum, ut ita ſemper excubarent ad minimum ducenti quadraginta. Porro illæ XXIV. catervæ ſive cuſtodiæ dividebantur per totidem loca, nimirum quatuor catervæ excubabant ad ſingulos IV. angulos porticuum exteriorum montis templi, quinque ad ſingulas quinque portas illarum porticuum, quatuor extrinſecus ad quatuor ſingulos angulos atrii Sacerdotum, quinque ad ſingulas quinque portas memorati atrii, una in conclavi ſuffitus, una in conclavi Nitzotz, una in conclavi, quod vulgo dicebant *locum focarium*, (ibi ſacer erat ignis) una in conclavi oblationis, una in conclavi poſtico, una in conclavi paullò remotiori à poſtico. Videatur Codex Talmudicus de Sacrificio aſſiduitatis, lib. I. ſect. I. Hiſce omnibus præerat *Præfectus vigilum* ſive *Magiſter excubiarum*, qui ſtipatus aliquot miniſtris ſingulis noctibus cum facibus accenſis circumibat & viſitabat excubias templi. Et cùm ad Janitorum aliquem appropinquaret, acclamabat ipſum certâ formulâ ſive teſſerâ. Quòd ſi hic non reſponderet dormiretque aut dormitaret, vel aliô quôvis modô officium ſuum non feciſſet, magiſter vigilum eum baculô percutiebat & plagis malè mulctabat, aut denique etiam pro re nata veſtimenta ejus accendebat & comburebat. Vide Leonem de Templo, lib. I. p. 26. Cuſtodiam autem altaris tantùm tenuerunt Sacerdotes, oriundi è ſemine Zadok, qui fuit è poſteris Eleaſaris, id quod præter Talmudica teſtimonia colligere eſt etiam ex Ezech. XL. 46. Janitorum, tempore tabernaculi, fuêre ducenti duodecim; temporibus Davidis & Salomo-

lomonis quatuor mille; poſt captivitatem Babylonicam centum triginta novem; & poſtquàm ſecundum templum eſſet ædificatum, centum triginta octo. Eligebantur autem æditui & janitores atque conſtituebantur à Rege & Judicibus ſive Synedrio magno.

CAPUT XIII.

De Cantoribus.

CAnendi munus qui obibant in ſacris, erant ex tribu Levi, non autem dicebantur Levitæ, ſed *Cantores.* Inter hos dignitate præcellebant poſteri Kahath; alterum locnm obtinebant Gerſchonitæ; ultimò ſequebantur filii Merari. Erant & hi diſtincti in certas claſſes, quæ habitabant ruri in prædiis, & alternatim officium ſuum peragebant in templo, ita ut cuique per ſortem ſuæ partes diſtribuerentur: canebant enim tam voce, quàm variis inſtrumentis, quæ maximam partem nobis ſunt incognita, varioſque & ſingulares canendi tenebant modos, quibus addiſcendis certas frequentare tenebantur ſcholas, & in iis aliquot annos conterere. Quare vulgo dividebantur in *Magiſtros* & *diſcipulos.* Cantores in univerſum MMMM. & inter hos CCLXXXVIII. numerabantur Davidis tempore, qui & primus eos inſtituit, & ad cultum divinum ordinavit. Cantoribus iſtis, ut & Janitoribus, temporibus Eſræ, ſingulis diebus ſalarium porrigebatur. Inſtrumenta eorum muſica, quibus in templo utebantur, ex materia pretioſiſſima, ebeno vel argento aut auro erant confecta,

cta, & in ſacro loco adſervabantur. Ipſi Cantores certô habitu, ſtolâque byſſinâ variè ornatâ incedebant, & præter ſolennia feſta quotidie bis fungebantur officiô ſuô, mane nempe & veſperi. In oblatione ſacrificii aſſiduitatis conſiſtebant inter canendum in gradu quodam lapideo alto à terra menſurâ cubiti, longo CXXXV. cubitis, à ſeptentrione verſus meridiem. Gradus ille diſcrimen faciebat inter atrium Iſraëlis & atrium Sacerdotum, in quorum medio erat exſtructus. Super illo tres alii exſiſtebant gradus, quorum quiſque altus fuit dimidiô cubitô, dimidiô etiam latus, qui nuncupati fuêre *ſuggeſtum Levitarum*. In iis Levitæ & oblationis ſacrificii & libationis tempore cantabant & modulabantur verſus orientalem plagam altaris. Cúmque incenderetur holocauſtum, tam diu concinebant, uſque dum conflagrâſſet illud, & ritè libatum eſſet. Videatur codex Talmudicus de Menſuris, c. II. ſect. VI codex de Æſtimationibus, c. II. ſect. VI. Joſephus, Antiquitat. Judaic. lib. XV. c. XIV. Eorum Levitarum, qui tempore ſacrificii aſſiduitatis ore canebant, ad minimum fuêre duodecim, exceptis iis, qui in inſtrumentis muſicis modulabantur. Cantica locô iſtô à Levitis ordinariè decantata erant ſequentia: Primô hebdomadæ die Pſalmus XXIV. Secundô die Pſalmus XLVIII. Tertiô die Pſalmus LXXXII. Quartô die Pſalmus XCIV. Quintô die Pſalmus LXXXI. vel XCI. Sextô die Pſalmus XCIII. Sabbathô denique Pſalmus XCII. Id quod præter Moſen Maimonidem teſtantur quoque LXX. interpretes Græci in inſcriptionibus iſtorum pſalmorum. Præfecti illis erant duo Præſides: alter dicebatur *Præfectus cantorum*, qui quotidie eli-

gebat

gebat eos, qui in templo vel voce vel inſtrumentis muſicis dedebant canere: alter dicebatur *Præfectus cymbali & ceterorum inſtrumentorum muſicorum*, qui cantores ad ſuggeſtum ſuprà memoratum jam conſtitutos ſuper illum convenienti ordine locabat & in certos choros diſponebat. Vide Leonem de Templo, lib. I. p. 26. & ſeq. Licèt autem cantores non exiſterent Sacerdotes, tamen Sacerdotes cantorum gregi ſe aliquando jungebant, (vide II. Paral. V. 12.) verùm ita, ut 1. non niſi tubis canerent, 2. non ſemper conſiſterent in eorum ante memorato ſuggeſtu, ſed ſtarent ſuper columnis penes menſam marmoream conſtitutam ad latus meridionale altaris, quæ cognominabatur *menſa adipum*. Videatur codex Talmudicus de Sacrificio aſſiduitatis, c. VII. ſect. III. Clangebant etiam tubis Sacerdotes, cùm Iſraëlitæ pararent bellum adverſus hoſtes ſuos, itemque omni veſperâ ante ſabbatum aut feſtum majus; quod ſignum erat, confeſtim quieſcendum eſſe à quovis opere quotidiano. Numer. X. 8. & ſeqq. Codex Talmudicus de Tabernaculo, c. V. ſect. V. Joſephus de Bello Judaic. lib. XV. c. XIV. Porro Cantores apud Judæos alii erant *ſacri*, de quibus hactenus egimus, alii *profani*, quorum iterum certa ſocietas, non modò ex viris ſed & mulierculis cantatricibus conſtans, qui adhibebantur in funerum deductione, triumphorum pompa, comeſſationibus, ceteriſque ſolemnibus hilaritatibus. Iſtorum differentia conſtabit ei, qui probè contulerit Eſræ c. II. 41. cum 65. nec non Nehem. c. VII. 44. cum 67.

CA-

CAPUT XIV.

De Prophetis.

AD ſacras perſonas ipſaque templi atria pertinent quoque *Prophetæ* qui non tantùm divinô inſtinctu prædixerunt futura, ſed & populum docendo in ordinem redegerunt. Nuncupabantur olim *videntes*, quam nomenclaturam antiquiſſimam eſſe teſtatur verſ. 9. c. IX. lib. I. Samuelis. Dicti aliàs fuêre *viri Dei*, uti notant ex Scriptura Rabbini. Ante Moſen quidem Prophetæ illi erant, qui hodie eccleſiarum & ſcholarum ſunt antiſtites, qui docendo magis ordinariè, quàm extraordinariè vaticinando eccleſiæ & familiæ ſuæ præerant. Quò pertinent Patriarchæ Abraham, Iſaac, Jacob, Levi, Amram, Domus judicii Eber, Schola Mathuſalem &c. Poſt Moſen verò Prophetæ non modò erant inſtar concionatorum, doctorum vel præceptorum, qui corrigebant vel admonebant homines, eoſque ad cuſtodiendam legem & timorem Dei vocabant, ſed & certas ac peculiares impiis comminabantur pœnas, piis verò bona quæque hôc vel iſtô tempore eventura deſignabant atque prædicabant. Vide Maimonidem in Doctore perplexorum, lib II. c. XXXIX. Prophetias iſtas pro concione publica in loco publico vel recitabant, vel cantabant aliquando unà cum muſicis inſtrumentis; primarii enim inter cantores ſacros exſtitêre ſimul Prophetæ, adeoque non pauci prophetarum fuerunt ex tribu Levi. I. Paral. XV. 27. legitur: *David erat indutus*

dutus ſtolâ byſſinâ & univerſi Levitæ, qui portabant arcam, & Cantores, & Chonanias princeps prophetiæ inter cantores &c. & c. XXV. 1. 2. 3. 4. & 5. *Igitur David & Magiſtratus exercitus ſegregaverunt in miniſterium filios Aſaph & Heman & Jeduthun, qui prophetarent in cytharis & pſalteriis & cymbalis ſecundùm numerum ſuum, dedicatô ſibi officiô ſervientes. De filiis Aſaph: Sachur & Joſeph & Nathania & Aſarela filii Aſaph, ſub manu Aſaph prophetantes juxta Regem. Porro Jeduthun: Filii Jeduthun, Godolias, Sori, Jeſaias & Haſabias & Mathithias ſex ſub manu patris ſui Jeduthun, qui in cythara prophetabat ſuper confitentes & laudantes Dominum. Omnes iſti filii Heman videntis Regis in ſermonibus Dei, univerſi ſub manu patris ſui ad cantandum in templo Domini diſtributi erant &c.* Poſtquàm prophetæ concionem vel voce vel cantu habuiſſent ad populum, brevem ejus ſummam colligebant, quam affixerunt valvis templi, ut omnibus pateret ac meliùs innoteſceret prophetia. Quod magnam lucem afferet c. II. 2. prophetiæ Habacuc & Jeſaiæ XXX, 8. Cùm igitur prophetia ſcriptô conſignata ad fores templi ſatis patuiſſet per aliquot dies, auferebatur à miniſtris templi atque reponebatur in theſaurum, ut perpetuum ejus rei exſtaret monumentum. Ex ſchedis iſtis collectis in unum conficiebantur poſteà libri prophetarum, qui hodie nobis exſtant. Hæc porrò cauſſa eſt, cur ordine ſæpe turbatô & præpoſterô collocatæ ſint prophetiæ & materiæ in libris iſtis, quandoquidem ex concionibus illis ſervatis in arca quadam templi non quô decebat ordine, ſed ut ferebat opportunitas, conflatum fuerit volumen prophetarum, quod hodie manibus

nibus terimus. Igitur cùm prophetæ hominum ſcelera corriperent liberiùs, iisque graves denunciarent pœnas, Judæi in tanto contemptu habuerunt verbum Domini, ut oracula prophetarum per deriſum *onus* vocarent (vide Ariam Montanum præfât. in Prophetas minores; Münſterum, notis ad XXIII. Jeremiæ) & ipſos prophetas ludibrio & pro fatuis haberent, uti conqueritur cap. XXIX. Jeſaias, partim quòd prædicerent, quæ à longinquo eventura eſſent, partim quòd ſæpe eſſent homines infimæ ſortis atque conditionis. Judæorum enim gens, cùm majeſtas eorum de faſtigio ſuo rueret, in tantum fuit occæcata, ut omnia ad externam ſpeciem metiretur; unde talem habuêre canonem: *Non habitat Spiritus propheticus niſi apud ſapientem, fortem, divitem atque excellentem.* Longè rectiùs ſapit Maimonides: *Deus opt. max. ad munus prophetiæ eligit aliquem ex hominibus, qui ipſi placuerit, eumque mittit nullâ habitâ ratione, nullôque reſpectu, an ſit ſapiens & eruditus, an verò indoctus & imperitus, ſenex an juvenis: tantùm hoc requiritur, ut ſit vir probus, bonus, honeſtus*; in Doctore Perplexorum, lib. II. c. XXXII. Ceterùm Judæi diſtingvunt inter *Spiritum Sanctum*, cujus afflatu David aliique excellentioris ingenii viri ſcientes & vigilantes ſcripta fuerint meditati, qui tamen non extiterint prophetæ, unde & Danielem prophetam fuiſſe negant, neque in ordinem eorum ponunt, (cujus cauſſas prolixiùs deſignârunt Maimonides in Doctore Perplexorum, lib. II. c. XLV. Cunæus de Rep. Ebræorum, lib. III. c. VII. p. 358. Conſtantinus l' Empereur in Paraphraſin Jachiadæ, p. 4.) & *Spiritum propheticum*, cujus inſtinctu per ſomnium ſeu viſionem, aut per

Vv ἐκςασιν,

ἔκςασιν, aut per angelum futura acceperint divini vates, qui tamen omnes Jeſaiâ exceptô ſcopum & myſteria vaticiniorum ſuorum non intellexerint. Sublati fuerunt prophetæ ſub initium templi ſecundi, uti perhibent Talmudici, cod. de Synedriis, c. I. & Lipmannus in libr. Victoriæ, p. 159. poſtquàm nempe mortui eſſent Haggæus, Zacharias, Malachias. Totum prophetarum tempus definiunt Judæi curſum M. annorum, initiô factô à temporibus Moſis, & fine poſitô in ætate Eſræ. Deinceps ceſſavit prophetia, non, ut vult Maimon. in Doct. Perplex. lib. II. c. XXXVI. quòd per mœrorem & triſtitiam ex diuturno exilio conceptam nulli licuerit futura prædicere, ſed quòd ipſe Meſſias jam jam exſpectaretur, atque adventum illius, haud aliô interveniente, prophetæ fideles præſtolarentur. De prophetiâ variiſque ejus generibus exactè tractat Don Iſaac Abarbenel, commentar. in Pentateuchum, fol. 130. & ſeqq.

CAPUT XV.

An Samuel Pontifex maximus fuerit?

SAmuel Propheta fuit, Judex fuit, Levita fuit, non Pontifex, ne Sacerdos quidem. Hieron. Tom. II. lib. I. adverſus Jovinian. p. 32. Sed verò quòd unxiſſet ille Regem, Pontificem eum facere nituntur, ſucceſſorem quidem Eli, Auguſtinus contra Fauſtum, Tom. VI. lib. XII. c. XXXIII. & de Civitate DEI, lib. XVII. c. IV. Tom. VIII. & comment. in pſalm. XCVIII. Tom. V. Sulpicius Severus,

Severus, Hiſt. Sacr. lib. I. c. LXIV. ſucceſſorem autem Ahitob, nepotis Eli, Dionyſius Petavius de Doctrina temporum, lib. X. c. XLVIII. Falſum hoc eſſe multis oſtendunt Guilielmus Occam, Deciſionibus de Poteſtate ſummi Pontif. qu. I. c. II. & XII. Joſephus in Catalogo Pontificum, Abulenſis, Liranus & Cornelius à Lapide, comment. in librum I. Samuelis, Druſius in cit. loc. Sulpicii, Seldenus de Succeſſione in Pontificatum, lib. I. c. III. Id I. evincitur ex eo, quòd Samuel non fuerit ex familia Aaronis ſeu ſacerdotali, ſed ex poſteris Jezeharis, patrui Aaronis, adeoque impoſſibile fuerit vel Pontificis vel Sacerdotis munere eum fungi. II. Reclamant ipſa Ebræorum monumenta, faſti nempe Pontificum maximorum apud Joſephum & alios, in quibus non reperitur Samuel. III. Hieronymus probationis argumentum quoque petit ab habitu ejus ſacro, quòd mater ipſius ei fecerit ſuperhumerale lineum, *qui habitus propriè Levitarum fuerit & minoris ordinis:* verba ejus ſunt Tom. II. lib. I. adverſus Jovinian. p. 32. Neque obſtat, quod Saulum unxerit in Regem: id enim non ſemper competiiſſe Pontifici maximo, conſtat ex II. Reg. c. IX. 1. 2. & 3. ubi diſcipulus prophetæ juſſu prophetæ unxit regem Jehu; eôdem modô Saulem propheta Samuel juſſu Dei.

CAPUT XVI.

De Scribis & Legiſperitis.

Scribæ appellatum apud Ebræos generalius quemlibet doctum denotat; ſpecialius verò certis per-

 ſonarum

ſonarum generibus competebat. Et Scribæ quidem dividebantur in *ſacros* & *profanos*. Profani vulgò dicebantur *Scribæ populi*, 1 Maccab. V. 42. eo quòd Senioribus populi, i. e. Senatoribus Synedrii ſive Collegio illi LXX. virorum eſſent adjuncti ad exſequenda judicia. Et hi rurſus diſtincti erant in *ſuperiores* ſive *regios*, penes quos erant inſtrumenta publica, libelli annalium, temporum, geſtorum, cenſuum, redituum, &c. & *inferiores* ſive *plebejos*, qui actuarii erant communes, & à quibus acta privata conſcribebantur: adeoque Scribæ erant notarii publici in ſynedriis, regiſtrarii in Synagogis, amanuenſes in tranſcribendis codicibus legis, phylacteriis, contractuum aut divortii libellis, &c. Quin & educationi ſcholaſticæ, tractando calamo, atque ſcriptioni ſe addixerunt, docendo nimirum καλλιγραφίαν manuſque in ſcribendo velocitatem. In Talmude mentio fit inſignis talis ſcribæ, viri cujuſdam Kamzaris, qui in ſacris Ebræorum ad ignominiam memorabatur, eo quòd ſilentiô ſuppreſſiſſet ſingulare quoddam artificium ſcribendi. Perhibent enim, eum quatuor calamos manu ſimul tenuiſſe, &, ſi dictio quatuor conſtaret literis, ſingulas unâ vice & unô ductu expreſſiſſe, in Cod. de Die expiationis, c. III. ſect. XI. Tales ſcribæ populi non ex Sacerdotali aut Levitica ſtirpe erant ſati, ſed ex aliis orti tribubus, immò ſi inferiores eſſent, erant quandoque planè exteri, neque de poſteris Iſraëlis, quemadmodùm legimus 1 Paral. II. 55. Kinæos fuiſſe ejuſmodi ſcribas.

Scribæ ſacri vocabantur aliàs *Scribæ cleri*, omneſque è Sacerdotali ſangvine originem ſuam ducebant, erántque doctores publici & ordinarii Profeſſores,

me-

meditantes Scripturas, eaſdem exponentes, à corruptelis vindicantes, in templis & ſynagogis prælegentes, locorum obſcurorum Juris utriuſque tam ſacri quàm Civilis, ubi opus erat, interpretationem adjicientes, dubia ex Moſe & Prophetis objecta ſolventes, perplexas quæſtiones emendantes: nam & criticam ſacram ſectabantur, luxatos Bibliorum codices priſtino nitori reſtituebant, depravatos diſpungebant, varias lectiones annotabant. Multum proinde diſtulère à Prophetis, qui homines ad ſervandam legem admonebant, & violatores ejus minis & exſecrationibus percutiebant, cùm è contrario Scribæ legem & Prophetas duntaxat prælegerint, explicârint & de dubiis textibus judicârint. Vide Matthæi VII. 29. XVII. 10. XXIII. 2. Marc. XII. 28. 1 Corinth. I. 20. Unde Chriſtus accommodatè ſecundùm Judæorum conſvetudinem loqvens, diſcipulos & Apoſtolus ſuos vocat *ſcribas*, & intelligit Legis doctores. Confer inter ſe Matth. XXIII. 34. & Luc. XI. 49. Chryſoſtomus, Tom. III. Homil. LII. ad Matth. c. XI. 1. rectè ſcribit: *Per omnes tribus Scribas & Phariſæos fuiſſe diſperſos, ſed omnium arrogantiſſimos fuiſſe Hieroſolymitanos.* Hi enim ſapientiſſimi omnium vulgò habebantur, ſinguli ſubſellia in ſynedrio magno occupabant, ejuſque erant adſeſſores; imo & in Eccleſiaſtico Sacerdotum conſiſtorio loca tenebant, ſacrumque ſenatum ibi explebant, (vide Matth. II 4. XXVI. 3. 57. & plura alia Novi Teſtamenta loca) adeoque magnâ auctoritate & aliquâ poteſtate judiciariâ pollebant. Vide Matth. XX. 18. Docebant tum in templo, tum in ſynagogis, hebdomadatim bis jejunabant, multum precabantur, plerique etiam

 per-

perpetuam ſervabant virginitatem. *Γραμματεῖς Scribæ* vocabantur aliquando *Νομικοὶ Legiſ periti*, uti patet ex collatione locorum Matth. XXII. 35. & Marc. XII. 28. quamvis ſtrictè loquendo talis inter eos eſſet conſtituta differentia, quòd Scribæ in theoria magis & corrigendis Bibliorum codicibus fuerint verſati; Legiſperiti in praxi & practicis quæſtionibus; illis Academica demandata eſſet functio, puta in ſynagogis, his Eccleſiaſtica cathedra in templo. Videſis Spanhemium, Dubiorum Euangelicorum part. II. fol. 393. & 400. Quamvis autem Scribarum & Phariſæorum diverſa eſſent officia: eumdem tamen aliquando fuiſſe Phariſæum & Scribam, adeoque Scribas nonnunquàm Phariſæorum ordini ſe addixiſſe, patet ex collatione locorum Matth. XXII. 34. & ſeqq. & Marc. XII. 28. Nam qui hîc nuncupatur Scriba, Phariſæus fuiſſe illic cognoſcitur. Originem eorum arceſſunt quidam à promulgatione legis, quâ traditâ Scribis opus fuerit, eamdem & deſcribentibus & prælegentibus & interpretantibus: alii Regum temporibus. Talmudiſtæ primum Scribam aſſerunt fuiſſe Eſram, quos tamen ex Jeremiæ c. VIII. 8. erroris convincere nititur Beza, notis ad Matth. c. II. 4. fol. 4. b. S. Hieronymus & alii poſt eum, Hillelem & Schamai (qui centum annis ante deſtructionem templi II. vixerunt) Scribarum Patriarchas conſtituunt. Veriſimile autem eſt, muneris hujus neceſſitatem ortum traxiſſe ex ignavia ac ruditate Sacerdotum, &, quæ corruptô Ebræorum ſtatu inolevit, honorum nundinatione. A nonnullis malè Scribarum nomen ſectæ inter Judæos, Phariſæorum veluti, reputatur; in qua ſen-

ten-

tentia videtur quoque fuiſſe Suidas, voce Φαρισαῖοι. Non enim ſectæ, ſed muneris erat, uti oſtendunt Spanhemius, loc. cit. fol. 404. Joh. Camero in Myrothec. fol. 177. Caſaubonus adverſus Baronium, Exercit. I. §. XI. p. 57. Druſius de tribus Sectis Judæorum, p. 51. Pluribus de Scribis tractat Beza, l. c. Camero, l. c. Caſaubonus in Exercit. p. 52. Joh. Lightfoot in Horis Ebraïcis, fol. 205. & 389. Höttingerus, Theſauro Philolog. lib. I. c. II. ſect. I. p. 74. ſeqq. Buxtorfius in Tiber. c. VIII. Hugo Grotius, Comment. in Matth. c. II. 4. fol. 31. & ſeq.

CAPUT XVII.

De Naſireis, quàm viris tàm femellis.

Vidimus hactenus varia Sacerdotum genera, tum verò etiam miniſtros, qui in functione ipſorum iis erant ad manus, ſuamque navabant operam. Nunc aliquot capitibus de Perſonis Sacris atque DEO devotis tractabimus, quæ licèt non eſſent de Sacerdotum genere, cùm tamen eximiam ſanctitatis ſpeciem partim præ ſe ferrent, partim cultui divino ſe conſecrâſſent, parique cum Sacerdotibus, ſi non majori, eſſent in exiſtimatione atque auctoritate inter Judæos, nec minùs multiplex earum in S. Scriptura fiat mentio, in ſupplementum eorum, quæ hactenus enarravimus, paucula adjiciemus. Primô locô nominamus *Naſiræos*; quæ vox ſignificat, *ſegregatos, diviſos, ſeparatos*. Fuerunt illi homines ſive viri ſive femellæ, qui ut liberiùs vacarent diſcendi legi Dei-

que benignitati expendendæ, aliorum commercio ſe abdicârunt, Deoque totos ſe dedentes certum abſtinentiæ votum fecerunt. De iis ex profeſſo agit Scriptura ſacra Num. VI. Tria potiſſimum illorum exſtitêre genera: (1) Quidam erant Naſiræi nativi, i. e. ab utero materno tales, deſtinatione quidem alienâ, non verò votô propriô, qualem fuiſſe Samſonum legimus Judic. XIII. & hi per omnem vitam voto obſtringebantur. (2) Alii conſecrati erant certô tempore ad menſem unicum ſeu triginta dies, quibus exactis votô rurſus ſolvebantur. (3) Alii ad dies vitæ ita devovebantur, quamvis non ab incunabulis, ſed initiô factô à certa ætatis parte, cujus generis Naſiræa ex voto parentis facta fuerit filia Jephthæ. Quò etiam pertinent noſtri ævi Júdæi, quorum ſi quis hodiè fecerit Naſiræatus votum, non ſolùm obligatur ad illa, quæ lege Moſaicâ Naſiræis ſunt præcepta, ſed & inſuper tenetur pergere Hieroſolymas, illicque manere, & in voto perdurare, donec moriatur, aut donec templum, quod miſelli iſti fruſtra ſperant, fuerit exſtructum. Abſtinentia eorum non ſolùm ſpectabat omnia, quæ in lege vetita erant immunda, ſed & alia, quæ ceteris Iſraëlitis licita eſſent atque munda; potiſſimùm vinum & quicquid ex vite provenit. Maimonides: *Naſiræatus proprietas eſt, ut per prohibitionem ab omnibus ex vite confectis potibus homo ad excellentiorem dignitatem promoveatur, & rebus neceſſariis contentus eſſe diſcat, nam qui ab eo abſtinet; vocatur* ſanctus, *& collocatur in gradu Sacerdotis magni*, i. e. æquiparatur Sacerdoti maximo; In Doctore Perplexor. lib. III. c. XLVIII. Ceterùm cibô utebantur tenui & viliſſimô,

ſimô, quemadmodùm de Johanne teſtatur Matthæus, c. III. 4. Mortuorum contactu, ſi vel maximè parentes ipſorum eſſent, omnimodè prohibebantur, capillum alere tenebantur, & ab omni raſura ſibi cavere; quòd partim ex Samſonis hiſtoria, partim ex Num. VI. capite conſtat. Veſtitu nihil differebant à Prophetis, ſed utebantur eô ſaccinô, pelliceô, cilicinô, hirſutô, craſſiori, villoſô, atque aſperô, qui rigidò tetricoque Naſiræorum inſtituto ac voto valde conveniebat. De Johanne Baptiſta teſtantur Euangeliſtæ, Matthæus, c. III. 4. & Marc. I. 6. uſum eum fuiſſe *viſtimentô è pilis camelorum*, unde quidam augurabantur, eſſe eum Eliam Joh. I. 21. eò quòd Prophetæ & Naſiræi veſtitu non diſcreparent. De Prophetis teſtatur Hieronymus: *Erat prophetarum habitus, ut, quando populum ad pœnitentiam provocabant, induerentur cilicio.* Videatur 2 Reg. I. 8. Zach. XIII. 4. Unde & declarabitur locus Matthæi VII. 15. Habitum iſtum receperunt quoque primitivæ Eccleſiæ Chriſtiani, quod liquere poteſt ex Ebræorum c. XI. 37. Exactô poſteà tempore devotionis, triginta nempe diebus illis, votô ſuô ſolvebantur Naſirei, primô certâ ſacrificii ſpecie, quam prolixè deſcriptam habes Num. VI. deinde raſurâ capitis, quod perſpicuum reddet locum Actor. XXI. 23. & 24. De Naſiræis videſis inter alios Druſium, Commentar. in Num. c. VI. Füllerum, Miſcell. lib. IV. c. VII. Erat autem ordo eorum antiquiſſimus omnium: cum quo nihil prorſus commune habere Monachos hodiernos, dudum ſufficienter evicerunt Hoſpinianus de Monachis, c. VI. Spanhemius, Dubior. Euangel. part. II. p. 640. Wagen-

genſeilius in Sota, p. 447. ſ. Notari hìc meretur differentia inter *Naſiraos* & *Nazarenos* ſeu *Nazaraos* & *Nazoraos*, quos ſcriptores Eccleſiaſtici veteres, tam Græci quàm Latini, malè atque ineptè confundunt. A diverſis enim orta ſunt vocabula iſta radicibus, diverſaſque ſignificant perſonas. Naſiræi qui ſint, modò vidimus. Nazareni verò, Nazaræi vel Nazoræi, erant homines nati vel educati vel degentes in urbe Nazareth: ex qua cauſſa Chriſtus etiam nuncupatur Nazarenus, & poſteà diſcipuli ejus ab eo denominati fuêre Nazaræi vel Nazoræi. Hinc Judæi D. Paullum accuſantes, *nacti ſumus*, ajunt, *virum hunc peſtiferum & concitantem ſeditionem omnibus Judæis in univerſo orbe, & auctorem hæreſeos Nazaræorum*, Actor. XXIV. 5. Et ſic in Rabbinorum ſcriptis Chriſtiani ad hodiernum uſque diem in univerſum audiunt. Sed & ſtatim poſt Chriſti tempora nomine Nazaræorum κατ' ἐξοχὴν inſignita fuit certa hominum inter Judæos ſecta, qui cùm divina ſigna per Apoſtolorum manus facta vidiſſent, prædicationemque de Jeſu audiviſſent, in Chriſtum quidem credebant, legi tamen adhuc erant obſtricti, ſabbatumque ac circumciſionem obſervabant, & carnis juſtitiâ ſalvos ſe futuros ſperabant, idemque ferè docebant, quod Cerinthiani & Ebionitæ. De quibus Epiphanius contra Hæreſes, lib. I. Tom. II. hæreſ. XXIX. p. 52. & ſeqq. Theodoretus, lib. II. Hæretic. fabul. p. 321. Joh. Damaſcenus de Hæreſib. fol. 550. Nicetas Theſ. Orthod. lib. I. c. XLII. fol. 40. Auguſtinus, Catalog. hæreſ. num. 9. tom. VI. fol. 4. col. 1. De his & eorum imprimis Euangelio vide, quæ magnô
ſtu-

ſtudiô colligimus in prolegomenis Obſervationum noſtrarum in Matth. p. 51. & ſeqq. Probè conſideratâ iſthâc differentiâ facilè intelligere erit, minus rectè ſe habere B. Lutheri gloſſam Germanicam in vulgaribus Bibliis ad Num. c. VI. 2.

CAPUT XVIII.

Ἀκρίδες *Naſiræis comeſtæ qualenam alimenti genus fuerint?*

Ut eô rectius de Naſiræorum victu conſtet, ad illuſtrandam hiſtoriam Euangelicam, quæritur, quodnam cibi genus indigitetur vocabulô ἀκρίδων Matth. III. 4. Marc. I. 6. quô Johannem Baptiſtam fuiſſe uſum, teſtatur Spiritus Sanctus. De eo tot ferè habentur ſententiæ, quot commentatores. I. Epiphanius in Panario, lib. I. hæreſ. XXX. p. 61. col. 2. notat legiſſe nonnullos pro ἀκρίδες, ἐγκρίδες, quod nomen exponit, *bellaria ex melle*, (Honig-Kuchen) ſed repugnat veterum Codicum conſenſus, in quorum nullo poſterior hæc vox reperitur. Deinde tantum abeſt, ut Naſiræi tam delicatè & lautè vixerint, ut potiùs cibô uſi fuerint aſpero illorum ordini conveniente, tenui & facilè parabili, qualem exſtitiſſe ἀκρίδας teſtantur Atiſtophanes & Plutarchus, eoſque inter viliores cibos numerant. II. Quidam ut cum Bucero Centur. Magd. cent. I. lib. I. c. VI. p. 250. *cancros* interpretantur, quos ad Jordanis ripam abjecerint piſcatores, & inde in eſcam collegerit S. Johannes: quæ ſententia abſurda eſt (vid. Salmero Hiſt.

Hiſt. Euang. tom. IV. part. I. tract. IV. p. 30.) ex eo, quòd non fiat veriſimile, ſive Johannem Baptiſtam ſive Naſiræos cibis veſci voluiſſe, aut potuiſſe in lege prohibitis, quales erant cancri. Vide Levit. XI. 10. Eraſm. Schmidius, Comment. in Matth. III. 4. *Cancrorum quoddam genus καρίδων nomine venit. Squillas aliàs dicunt. Quòd non rectè intelligentes aliqui, metatheſi audaci ἀκρίδας hic idem notare putârunt*; fol. 49. III. Alii, v. gr. Athanaſius in ſcholiis N. T. Euthymius in Matth. I. c. & Nicephorus Calliſtus H. E. lib. I. c. XXIV. Paulinus, Baronius, Hammondus &c. ſignificare autumant ἀκρόδρυα ſummos arbuſtorum apices, vel arborum gemmas, aut fœtus vel olerum etiam ſummas partes. Ita Iſidorus Peluſiota: *Illæ acrides, quibus veſcebatur Johannes, non ſunt animalia Scarabæis ſimilia, ut imperitè quidam exiſtimant, abſit*, ſed ἀκρέμονες, i. e. *germina herbarum*; lib. I. epiſt. CXXXII. Hanc ſententiam amplexus quoque fuit Perottus, apud Janſenium in Concord. Euang. part. I. c. XIII. fol. 81. IV. Nonnulli pro ἀκρίδες legerunt ἀχράδες, quô nomine Græci *pira ſylveſtria* vocant. Verùm neque hæc lectio ex vetuſtis Codicibus probari poteſt. V. Theophylactus *herbas*, vel in genere *fructus agreſtes* explicat, Comment. in Matthæi loc. cit. fol. 8. Denique Vulgatus Latinus, Syrus, & alii *locuſtas* vertunt, quæ inter mundas licitaſque eſcas numerantur Levit. XI. 22. quibus Æthiopas (quorum vicini erant Judæi) ac Parthos veſci fuiſſe ſolitos fumô & ſale duratis, teſtatur ex Strabone Plinius, Hiſt. Nat. lib. VI. c. XXX. & lib. XI. c. XXVIII. atque XXIX. Dioſcorides de locuſtis ſcribens, ait: Hâc abundè veſcun-

veſcuntur Afri, qui Leptim incolunt; lib. II. c. LVII. p. 101. Barrius quidam Luſitanus hodieque locuſtas in cibum uſurpari tradit ab iis, qui Arabiæ & Africæ ſolitudines incolunt; lib. III. dec. II. c. IV. Johannes de Vitriaco Hiſpanus narrat, locuſtas in Judæa & recentes edi ſolitas & ſervatas, Hiſtor. Hieroſol. c. XXVIII. Div. Hieronymus ſcribit, apud Orientales & Libyæ populos, quia per deſertum & calidam eremi vaſtitatem locuſtarum nubes reperiuntur, locuſtis veſci moris eſſe, & Johannis præſens citat exemplum; lib. II. adverſus Jovinianum, Tom. II. p. 74. Anſelmus: *Locuſtæ ſunt animalia minuta, & ſimiles noſtris, ſed alterius ſaporis, plena quaſi melle, & dulces ad comedendum: ſed caput habent amarum. Volant ſaltando, quaſi noſtræ;* Comment. in l. c. Matthæi, Tom. I. fol. 26. Quin & Ælianus, Hiſt. anim. lib. XII. c. VI. cicadas locuſtis ſimillimum animalculum in cibi uſum verti ſolitum, teſtis eſt. Plura vide apud Caſaubonum, Exercitat. XIII. num. 13. p. 219. ſeqq. De Indicis locuſtis proditum eſt, tres pedes longas eſſe, & crura feminarum ſerrarum uſum præbere, ſi aruerint. Vide Aretium, Comment. in Matth. fol. 23. Inde quemadmodùm populi quidam, piſcibus ſolis qui veſcebantur, dicti fuêre *ἰχθυοφάγοι*, ita fuiſſe populos, qui locuſtis veſcerentur, nuncupatos *ἀκριδοφάγους*, ex Euſtathio refert Joach. Camerarius, Comment. in Matth. III. 4. fol. 26. Sententia igitur hæc omnium veriſimillima eſt. Quibus accedit validiſſimum hac in re Talmudiſtarum teſtimonium, qui varias recenſent locuſtarum ſpecies, quarum una Naſiræis erat prohibita. Ita enim illi Codice de Votis: *Qui vo-*

tò ſe obligat, interdicatur carne piſcium & locuſtarum; fol. 40. col. 2. At in Codice de Profanis, fol. 65. col. 1. locuſtarum aliarum mentio fit, Naſireis ad comedendum licitarum.

CAPUT XIX.

De Chaſideis.

Chaſidæi, ſi vim nominis ſpectes, apud veteres Judæos, antequàm ullæ ortæ eſſent ſectæ, vocabantur quilibet pii, ſancti & benigni: poſteà tempore Maccabæorum ii, qui nec minis nec blanditiis promiſſionibusve à vera religione poterant abduci; quales perſecutionum tempore in primitiva Eccleſia apud priſcos Chriſtianos dicti ſunt *Catholici.* Vide Caſaubonum contra Baronium, Exercit. I. p. 50. Tandem rebus Judæorum in meliùs converſis, Chaſidæorum nomen ſectæ proprium fuit, eorum, qui peculiares ſibi ac certas definitaſque conſtituerunt regulas, quas vide apud Druſium de tribus Sectis Judæorum, lib. I. c. XI. & XII. Adde Scaligeri Elenchum trihæreſ. c. XXII. Cunæum de Republ. Ebræorum, p. 56. Contulerunt hi in templum aliaſque res ſacras multos ſumptus, in exercitio religionis ardentiſſimum præ ſe tulêre zelum, & à cæteris Judæis arctiori diſciplinæ vinculô diſcrepârunt.

CA-

CAPUT XX.

De Phariſæis.

PHariſæorum nomen nonnulli perperam deducunt ab ebræa radice פרש quæ ſignificat *expoſuit*, *explicavit*, quaſi dicti ſint expoſitores legis & interpretes traditionum. Falſum id eſſe evincitur ex eo, quòd rudes & ſimplices femellæ etiam ſectæ illius pars exſtiterint. Rectiùs derivatur à radice ebraica פרס vel פרש quæ ſignificat *ſeparavit*, *abſtinuit*, *continuit ſe*, *temperavit*: quoniam Phariſæi ſanctimoniâ vitæ, victu, cultu & moribus ab aliis hominibus & vulgari converſandi ratione *ſeparati* videri voluerunt. Secta hæc ex Chaſidæis partim, partim ex Naſiræis, non tamen ſimul & ſemel nata, ſed diutinæ admodùm conceptionis fuit. Fundamenta ejus ætate Eſræ fuerunt jacta; cùm enim in diebus Eſræ ac Nehemiæ, poſt reditum ex captivitate Babylonica, ſumma & ſanctiſſima cura fuerit, reſiduum ſemen Iſraëliticum ab incolis terræ ſanctæ, ethnicis puta Samaritis, Aſdodæis, Moabitis &c. ſegregandi, arripuerunt non multò pòſt homines nonnulli nimium ſibi arrogantes anſam, ſe etiam ab hominibus ſeminis Iſraëlitici ſeparandi, quaſi profanis & communione ſuâ indignis. Poſt receptum ſemel hunc religionis prætextum, nimirum quod pium eſſet, ſeparare ſe à vulgo, crevit in dies ſupercilioſæ ſectæ illius ſuperſtitio ita, ut vulgo dicerent: *Procul apage, ego te ſanctior*. Hinc deinceps quoque ſe ſub auſteriorem ſub-

ſubdiderunt regulam, & ſeveriori vivendi normâ circumſcripſerunt. Ex quo ortæ infinitæ ſollicitudines de decimationibus & lotionibus, frequentibus jejuniis atque orationibus, phylacteriis & fimbriis, & de innumeris rebus aliis tricoſæ quæſtiones: ita ut ſtatim poſt tempora Chriſti ſecta hæc in ſeptem alias ſectas ſubdivideretur ac ſcinderetur, mutuâque invidiâ depaſceretur & agitaretur, ac Phariſæo Phariſæus idem eſſet, quod erudito idiota, & profanus religioſo. Unde cùm tempore Chriſti celebres eſſent Phariſæi in populo Iſraëlitico, ac propterea pars ſynedrii magni, imò vulgo irreprehenſibiles habiti, poſteà ob nimiam ſuperſtitionem & arrogantiam odio & ludibrio facti ſunt aliis, ſingulæque illæ ſeptem ſubordinatæ Phariſæorum ſectæ ſeptem ludicris, ſed ſolennibus & in vulgus tritis nominibus à ſe invicem diſcretæ. Quorum primum eſt *Phariſæus Sichemita*, qui circumcidebantur in gratiam Iſraëlitarum, non ad gloriam Dei, ceteraque opera ſua faciebant, non ut iis coleretur Deus, ſed ut ipſi viderentur & colerentur ab hominibus: quale erat, quod portarent publicè ligna in feſto tabernaculorum ad conficiendum tabernaculum. Secundum, *Phariſæus impingens pedes ſuos*, qui ex nimia humilitate quaſi reptantes pedes ſuos in inceſſu non elevabant, ac proinde ad obvios lapides & obſtacula facilè impingebant. Tertium, *Phariſæus venæſector, ſeu ſangvinem eliciens*, item Phariſæus *cæcutiens*, qui ex affectata caſtitate oculis conniventibus & ferme clauſis incedebant, ne unquàm mulierem aut virginem obviam adſpicerent, ac impuris tangerentur affectibus. Exinde fronte ad parietes ſæpe occurſabant, & cruenti fiebant

fiebant, quaſi venam capitis ſecuiſſent. Quartum: *Phariſæus piſtilli ſive mortarii*, qui capite & dorſô verſus terram inclinatô incurvati & quaſi duplicati incedebant inſtar mortarii, cujus ſuperior circumferentia deorſum flectitur. Quintum, *Phariſæus, qui dicit: quod eſt debitum meum amplius? & faciam illud ex ſuperabundantia*, qui operarii fuerunt ſuperabundantes, gloriati, ſe omnia legis opera & plura inſuper præſtare poſſe. Sextum, *Phariſæus ex amore*, h. e. amore præmii, non timoris Domini atque honoris legis. Septimum, *Phariſæus ex timore*, ſcilicet pœnarum. Hæc ita Talmudici, codice de Benedictionibus, fol. 13. col. 2. & codice de Muliere declinante, fol. 20. col. 3, Obſervavit tamen Wagenſeilius noſter in Sota, p. 545. etiam octavum Phariſæorum genus, cognominatum. *Opus eſt mihi*, quod addit R. Nathan in ſuis ſcholiis in Talmudem, quô fortè vel deſignabantur πολυπράγμονες, qui omnibus rebus ſe ingerebant, vel qui officioſam ſimulabant ſedulitatem aut miniſterium ſuum gratis aliis addicebant. Diſperſi autem erant Phariſæi per omnes Judææ civitates. Videatur Lucæ c. V. 17. habebantque munus & auctoritatem publicè docendi, vel ipſô Chriſto teſte, Matth. XXIII. 2. & recentiores erant Scribis. Unde quando in N. Teſt. utrorumque fit mentio ſimul, obſervari meretur, Scribas plerumque anteponi Phariſæis. Habebant & ſuos Præſides, Principes ſive Præfectos. Videatur Luc. XIV. 1. Jejunabant bis in hebdomade, ſecundâ (Lunæ) & quintâ (Jovis) die; decimabant bona ſua, & de iis inſuper dabant primitias, trigeſimas, & quinquageſimas; pauperibus magnifica conferebant bene-

ficia, ſed non niſi in publico, ſpectante populô, & ad propriæ famæ gloriam. Talis fuit R. Abba, qui quoties in publicum prodibat, marſupium, cui pecuniam indiderat, à tergo pendens geſtavit, ut ſcil. omnibus numos capiendi poteſtas eſſet, ſeſe autem lateret, cujus mortalium inopiam ſublevâſſet. Aſtronomiæ inprimis erant intenti; præſcribebant ſibi quadriennium aut decennium virginitatis; conjugati à gravidis uxoribus abſtinebant, ut ſe non fruendarum voluptatum, ſed liberorum ſuſcipiendorum gratiâ uxores duxiſſe ſignificarent; frequentiſſimè orabant etiam per noctem, & inprimis enixè cavebant, ne inter orandum ex improviſo obreperet ſomnus. Hinc nonnulli lapillos ex aquis collectos ſibi ipſis ſubſternebant, ut, dum his pungerentur, vigilantes eſſent, nec in profundum ſomnum deferrentur. Alii ſpinas pro ſtrato habebant ob eamdem cauſſam. Alii aſſeres ſibi ipſis parabant dodrantis tantùm latitudine, & in hos in camera appenſos procumbebant, ut, ſi incauti inter orandum obdormiſcerent, in pavimentum deciderent, & rurſus ita excitarentur ad orationem. Videatur Epiphanius contra Hæreſes, lib. I. Tom. I. hæreſ. XVI. fol. 15. Nicetas theſaur. n. 40. fol. 39. Amictu quoque à plebe diſcerni ſe voluerunt, quem induerunt peregrinum & peculiarem, ut veſtibus ſtatim agnoſcerentur, quod eſſent ſancti & pii: fimbriis veſtium alligabant ſpinas, geſtabant muliebria pallia, & in latis crepidis calceisque incedebant; neque in ordinem iſtum viri ſolùm ſed & feminæ recipiebantur, uti teſtatur Talmud, cod. de muliere declinante, c. III. ſect. IV. Dogmata Phariſæorum primaria erant hæc: (1) Fatô i. e. DEI præſcientiâ ac immobili decretô omnia

omnia geri, manente tamen liberö voluntatis humanæ aſſenſu, ita ut, cùm omnia ex DEI deliberatione dependeant, in homine tamen integra ſit facultas ad virtutem aut vitium accedendi. (2) Animas eſſe incorruptibiles ac immortales, earumque judicia ſub terris fieri, tum præmia contingere cuique ſeu virtutis ſeu vitiorum. (3) Piorum animas ab inferis in hanc vitam ad nova corpora reverti, rurſus ex his in alia corpora migrare: improborum verò animas perpetuis damnatas carceribus interminabili ſuppliciô excruciari. (4) Traditiones, quæ inter leges Moſaicas non ſunt ſcriptæ, ſed à majoribus per manus quaſi traditæ, ſummâ veneratione eſſe recipiendas, quin & ipſi legi Moſaicæ præferendas: in quod dogma acri reprehenſione invehitur Chriſtus Matth. XV. 3. & ſeqq. (5) Majores natu venerandos, nec licitum eſſe aut contra reſponſare monentibus aut obloqui (6) Vice verſâ religionis & voti prætextu parentes non eſſe audiendos, & omnem ϛοργὴν abjiciendam: quod doctrinae Phariſaicæ caput iterum damnat Chriſtus Marc. c. VII. 11. Sectæ hujus Phariſaicæ veſtigia quemadmodùm hodienum reſtant apud Judæos, ita ſopitam illius politiam inter Chriſtianos revocârunt & interpolârunt hodierni Monachi, quod ex ipſis Pontificiis fatentur Genebrardus & Serarius. Quæritur hìc, quare Chriſtus Judæis commendaverit dogmata Phariſæorum Matth. XXIII. 3. cùm viceverſâ Matth. XVI. 6. monuiſſet, *caverent ſibi à fermento Phariſæorum*: quæ loca adverſus ſe in vicem è diametro pugnare videntur. Reſp. Quidnam Chriſtus per *fermentum Phariſæorum* intellexerit, diſertiùs indicat Lucas, quando ſcribit: *Cavete vobis à fermen-*

to Phariſæorum, quod eſt hypocriſis; c. XII. 1. Cùm igitur Servator Matth. XXIII. 7. dicit: *Super cathedram Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi, omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, facite*, agit hîc de Scribis & Phariſæis ſuper cathedram Moſis ſedentibus h. e. Moſis legem explicantibus, & ad divinorum præceptorum obſervantiam cohortantibus: quod, dum faciebant, credendum ipſis erat. In altero autem Matthæi loco c. XVI. 6. ſermo ipſi eſt non de lege Moſis, ſed de proprio eorum fermento ſeu hæretica doctrina, quando animos plebejorum temerariis traditionibus gravabant, inprimis de hypocriſi, quando aliud docebant, aliud faciebant: à quibus proinde cavere jubet. Vide Auguſtinum de Doctr. Chriſtiana, lib. IV. c. XXVII. Tom. III. & contra Fauſtum, lib. XVI. c. XXIX. Tom. VI.

CAPUT XXI.

De Gaulonitis ſive Galilaeis

PHariſaicæ ſectæ tanquàm ſpecies ejus rectè accenſetur ſecta *Gaulonitarum* ſeu *Galilæorum*, memorata inprimis etiam à Juſtino Mart. de verit Chriſt. relig. tom. II. fol. 307. quæ originem ſuam cum nomine accepit à quodam Juda Gaulonita vel Galilæo, patriâ Gamalenſi (cujus ſocius fuit Zadok quidam Phariſæus) cujus mentio fit Actor. V. 37. Hi eadem, quæ Phariſæi, ſectabantur placita, hoc unum duntaxat de ſuo addentes, nempe ſolum DEUM pro Domino habendum, nullique mortalium Principum

cipum eſſe parendum, ſed pro libertate adſerenda dura quæque & aſpera ſubeunda. Vide Barradium, tom. III. fol. 188. ſeq. Ravanellum, voc. *Galilæa*, Eraſmum Schmidium & alios in Luc. XIII. 1. Act. V. 37. Hujus generis fuére illi, qui ex Chriſto capitoſè quæſiverunt: *Liceretne Cæſari dare cenſum, annon?* Matth. XXII. 17. & rurſus iſti Johannis VIII. qui de libertate gloriantes, ad Chriſtum, in quem credidiſſe perhibentur verſ. 30. dixerunt verſ. 33. *Semen Arabæ ſumus, neque cuiquam ſervivimus unquam.* Idcirco autem præ ceteris omnibus adhæſerunt hi Chriſto, quòd cum ſperarent fore aliquando Judaicæ libertatis adſertorem & vindicem. Refert Joſephus, Antiquit. lib. XVIII. c. II. *Hoc hominum genus ſæpe ſollicitâſſe populos, ut Regum & Dominorum imperia abjicerent, & ſolutionem cenſuum, (qua manifeſtum ſit ſervitutis teſtimonium,) detrectarent.* Idem ſcribit: *Horum Gaulonitarum fuiſſe Herodis tempore ſex millia, qui, cùm tota Judæorum Gens fidem ſuam jurejurando obligâſſet Cæſari & Regi, ſoli ipſi nec juramentum præſtare nec polliceri fidem voluerint.* Conferatur etiam Sixtus Senenſis, Bibliothecæ Sanctæ lib. II. fol. 147.

CAPUT XXII.

De Sadducæis.

Judæis primi hæretici creduntur *Sadducæi*, & proptereà κατ' ἐξοχὴν vocantur Hæretici tùm Judæis tùm etiam Mahummedanis: ex quorum jure im-

pune licet occidere Sadducæos. Vide Höttingerum Hiſt. Orient. lib. I. c. VIII. p. 255. Dicti ſunt ita à Zadoko magiſtro ac duce ſuo, diſcipulo Antigoni Sochæi, qui Cathedram in Synedrio magno ſummam occupavit poſt mortem Simeonis Juſti, ſucceſſoris in eadem hac dignitate Eſræ. Occaſio & initium ſectæ illius natum eſt ex verbis Antigoni commodè dictis, ſed in malum ſenſum à diſcipulis detortis: *Ne eſtote ſicut ſervi, qui domino ſerviunt propter mercedem, ut nempè accipiant præmium, ſed eſtote ſicut qui miniſtrant principi ſuo hâc conditione, ne accipiant præmium: & ſit Dei timor ſuper vos*; in Capitulis Patrum, c. I. Ex quo præcepto Antigoni duo ejus diſcipuli Zadok & Baithus hanc ſtruxerunt ſequelam: *Si DEO nullô mercedis intuitu, aut retributionis ſpe ſerviendum, ergò nulla reſurrectio mortuorum erit exſpectanda.* Hæc veriſſima perniciosæ iſtius ſectæ origo eamdem in duas ſpecie diſtinctas poſtmodùm diviſit claſſes, quarum una *Sadducæorum*, altera *Baithoſæorum*. Illi quidem his longè pejores habiti, & planè pro infidelibus reputati, plerique ſummoperè exoſi fuerunt. Vide Actor. XXIII. 6. Quippe Baithoſæi paullò poſt deſierunt inficiari mortuorum reſurrectionem. Quod peſtilentiſſimum dogma ut primùm vires & ſemina ſua diſperſiſſet, ejus cauſſa, cùm anteà omnes & ſingulæ publicæ orationes in templo & Synagogis Judæorum coronidis locô clauderentur ſolenni hâc formulâ, *in ſeculum*, ad obtundendum blaſphemum Sadducæorum os, dicentium, *non eſſe ſeculum niſi unum*, inſtitutum fuit, ut ſequentibus temporibus clauderentur iſthâc formulà, *à ſeculo in ſeculum*, vel, *in ſecula ſeculorum*,

uti

uti referunt Talmudici, Codice de Benedictionibus, fol. 54. Dogmata Sadducæorum directè oppoſita erant Phariſæorum doctrinæ, quibus aſſiduè contradicebant, & primaria quidem fuerunt hæc: (1) Animas cum corpore omnino exſtingui, nulláque poſt hanc vitam manere præmia vel ſupplicia. (2) Nullum prorſus eſſe fatum, nec ullum divinæ deliberationis decretum, ſed omnia ita eſſe in hominum poteſtate, ut tam felicitatis quàm infortunii ſibi quiſque ſit auctor. (3) Traditiones non-ſcriptas, ſed hominum auctoritate conditas, ad probanda fidei dogmata, vitamque & mores dirigendos minimè eſſe admittendas, ſed ſolum verbum DEI ſcriptum. (4) Ex libris Biblicis ſolum Moſis pentateuchum, ceteris videntur prætuliſſe, ceu apud hodiernos Judæos maximo præ reliquis libris Biblicis habetur in pretio. Hinc, quod notatu dignum, Chriſtus de reſurrectione diſputans cùm Sadducæis, non aliis teſtimoniis quàm pentateuchi, cùm alia clariora eſſent, eos coarguit Matth. XXII. 31. & ſeqq. Errârunt tamen plurimi, arbitrati, ceteros libros Biblicos eos non recepiſſe, aut minùs ſacram ipſorum habuiſſe auctoritatem. Quod equidem Samaritani, ſolo nempe pentateuchô receptô, fecerunt, Sadducæi non item: ceu præter auctores ab Hóttingero in Theſ. Philol. lib. I. c. I. ſect. V. p. 36. allegatos: ſplendidè oſtendit B. noſter Hackſpan. ad Lipmann. p. 229. (5) Scripturam S. ſemper & ubique in literali ſenſu eſſe exponendam, tametſi incommodis id non careret. (6) Nihil quicquam, quod non ſenſu aut ratione manifeſtâ comprehendi poſſit, credendum eſſe. (7) Angelorum nullam eſſe naturam, ſed nomina

duntaxat, quibus vel motus deſignentur, quos DEUS hominibus inſpiret, vel eæ, quas ipſe edit, virtutis ſuæ demonſtrationes. Ceterùm Sadducæi à reliquis Judæis differebant etiam exteris ceremoniis v. g. feſto expiationis tribuebant biduum, ritibus Eccleſiaſticis arctiùs adhærebant, quàm Phariſæi, in contractibus & commerciis aliis Doctoribus Judaicis longè potiores exiſtebant, denique à reliquis cùm in explicatione multorum præceptorum & Scripturæ S. dictorum, tum in aliis diſſentiebant. Narrat verò Nicetas, lib. I. fol. 38. in ceteris omnibus ipſos convenire cum *Doſitheis*, quorum plerique privatim ab animatorum eſu, nec pauciores poſt liberos ſemel ſuſceptos à conſvetudine conjugali abſtinebant, nonnulli virginitatem quoque perpetuam profitebantur, eôdem Nicetâ teſte, l. c. c. XXXVI. fol. 34. Adde Epiphanium, lib. I. adv. hær. c. XIII. fol. 30. Tom. I.

CAPUT XXIII.

De Karræis ſive Karaitis

Karræi ſive *Karaitæ* appellantur ita ab Ebr. radice קָרָא quæ ſignificat *legit*, & commodè exponuntur *Textuales*, *Biblici*, *Scripturarii*: quod nomen, quamvis ex ſe honeſtum ſit, nec profanum, impoſitum tamen deinceps exoſæ Sadducæorum ſectæ, quòd ea non modò, rejectis traditionibus, ſoli Scripturæ adhærendum eſſe contenderet, ſed & hanc in lite-

literali ſolùm ſenſu acciperet & explicaret, adeoque primis temporibus Karræi planè iidem fuêre, qui Sadducæi. Poſteà verò cùm reſurrectionem inter Judæos publicè negare non liceret, defecerunt à Sadducæis multi, qui reſurrectionem præmiumque ac pœnas poſt mortem dari agnoſcebant atque profitebantur contra Sadducæorum ſententiam: cetera tamen eorum dogmata, inprimis illud de S. Scripturæ auctoritate, approbabant. Unde certa evaſit ſpecies ſectæ Sadducæicæ, *Karræorum* dicta, quam Phariſæi illi traditionum patroni immani & acerbô odiô proſequebantur, eique quotidie imprecabantur. Talium Karaitarum, qui miſſis Talmudicis nugis & Rabbinicis commentis, ſolos libros θεοπνεύστους pro fidei norma agnoſcunt, hodienum inter Judæos ſuperſunt multi. In ſola Polonia eorum numerantur ultra duo millia, multô plures dantur in Oriente, Turcicis nempè & Perſicis ditionibus.

CAPUT XXV.

De Eſſæis ſive Eſſenis.

Eſſæi ſive *Eſſeni* unde ita dicti fuerint, diverſiſſimæ auctorum habentur ſententiæ, quas omnes collegit Fullerus, Miſcell. Sacr. lib. IV. c. III. Veriſſima omnium fortè hæc eſt ſententia, denominari eos ab Ebræor. radice חָסָה quæ ſignificat *in locum aliquem ſe recipere*, *latitare &c.* quandoquidem Eſſæi abditi degebant ἐν μοναγείοις ἢ κήποις, teſte Euſebiô, Hiſt. Eccleſ. lib. II. c. XVII. & commune aliquid ha-

bebant cum vita veterum Monachorum ſeu Eremitarum Chriſtianorum. Quod decepit Euſebium, ut ſcriberet, Philonem Judæum monuiſſe, Monachos jam fuiſſe ſuô tempore. Vixerunt autem vitam prorſus ſolitariam & verè θεωρητικὴν, teſte quoque Pliniô, Hiſtor. Natur. lib. V. c. XVII. Unde nuſpiam leguntur Chriſto aut Apoſtolis negotium faceſſiſſe; ſed potiùs delituerunt in ſuis hortis ad Aſphaltitem haut ita procul à Hierichunte, ubi erant fragrantium balſamorum arboreta, atque ita exercuerunt ſe in pietatis ſtudio, lites, odia, invidiam averſantes, ſeque invicem amantes, atque verecundiores aliis voluptatem tanquàm probrum deteſtantes, inprimis verò temperantiam, continentiam, & vacuitatem à perturbationibus ſectantes. Omne flagitium exterminabant, pauciloquio & modeſtæ dictioni ſtudebant, cetera plerumque contemplationi addicti; quanquàm & medicinæ ſcholas in ſua ſolitudine & hortis habuerint. Et quamvis ipſi conjugium deſpicerent, alienos tamen pueros, adoleſcentulos adhuc, ad ſe receptos pro cognatis habebant, & ſuis inſtitutis erudiebant. Originem huic ſectæ dederunt corrupta & afflicta Maccabæorum tempora, quibus multi neceſſitate urgente in ſpeculas ſe abdiderunt: quorum alii poſteà rebus in melius vergentibus ad priſtinas rediêrunt ſedes, facti Phariſæi; alii in montanis perſeverârunt, Eſſenorum ſeu μοναζόντων nomine gaudentes. Eorum regulæ vivendi & præcipua dogmata, quæ ex Philone & Joſepho decerpſimus, erant hæc: (1) Omnia fatô, i. e. DEI voluntate regi, nec quicquam hominibus præter fati definitionem accidere. (2) Animas eſſe immortales, iiſque

poſt

poſt hanc vitam actorum præmia pœnaſque rependi, bonis quidem ultra Oceanum, ubi regio ſit, quam neque frigora neque æſtus premant, ſed in qua Zephyrô adſpirante omnia ſint amœna; malis autem apud inferos, ubi loca ſint ærumnoſa & plena gemitibus. (3) Omne juramentum qu aſiperjurium eſſe vitandum, quaſi quicquid vir perfectus dixerit, id omne juris jurandi vim habere debeat. (4) Summam poſt DEUM exhibendam eſſe legiſlatori Moſi reverentiam, quem ſi quis blaſphemaverit, morte mulctandum eſſe. (5) Præcipuum ſtudium divinis literis ac veterum Patrum ſcriptis abhibendum, indeque petenda, quæ animarum curæ expediant. (6) Communis ſodalitii præfecto ita parendum eſſe, ut nihil ſine ejus præcepto fieri liceat. (7) Diem æqualiter diſtribuendum eſſe in tria tempora, precum, laborum, cibi & potus. (8) In congreſſibus & colloquiis mutuis exſpuere non licere. (9) Mortem, quæ cum laude & gloria obiretur, immortalitate ipſâ potiorem eſſe. (10) Continentem ac cœlibem vitam ducendam, & àb omni conjugio prorſus abſtinendum. (11) Omnes facultates commnnes eſſe, unúmque omnium patrimonium, quod per communes procuratores diſpenſetur. (12) Nihil inter ſe aut mercari aut vendere licere, ſed cunctis eſſe liberum, accipere, à quibus libuerit, quod ſit opus. (13) Albis veſtibus utendum, & amictum ac calceos non eſſe mutandos, niſi aut omnino conſciſſis prioribus, aut longi temporis uſu conſumtis. (14) Tantam etiam in naturalibus purgamentis habendam eſſe munditiæ curam, ut unuſquiſque ſibi quotidie in ſecretiſſimis locis foveam dolabellâ effodiat, in quam ventrem ex-

exoneret, demiſſâ primùm circumquáque veſte contegendi corporis gratiâ, ac deinde terrâ, quam quis effoderat, in locum ſuum reductâ, ne divinæ lucis ſplendori fiat injuria. (15) Ante ſolis ortum publicis laudibus auctorem naſcituri luminis celebrandum, poſteà ad ſuas cuique artes ac ſtudia recedendum. (16) Horâ quintâ diei in commune cœnaculum ſacris veſtibus, h. e. lineis velaminibus indutis coëundum, ibique ex eodem pane & pulmento in ſilentio reſidentibus veſcendum, neque aliquid guſtare cuiquam fas eſſe debere, niſi publica oratio prandium præcedat & ſequatur, quæ Deum datorem victus ante & poſt cibum collaudet. (17) Poſt prandium, depoſitis ſacris indumentis, ad ſua cuique opera recedendum. (18) Eſſenorum cultum nuper aggredientes non ſtatim in conſortium aſſumendos, ſed candidâ veſte & perizomate indutos atque dolabellâ incinctos à curatoribus ſuis explorandos per tres integros annos, donec probatæ virtutis dederint experimenta. Vide Joſephum, Antiq. lib. II. Bell. Jud. c. VII. Philonem in Orat. cui titulus, *Omnes ſtudioſos eſſe liberos*, Lud. Cæl. Rhodigin. lib. IX. c. V. Nicetam, 136. cùm Scholiaſta.

CAPUT XXV.

De Herodianis.

H*erodianorum* mentio fit Matth. XXII. 16. Marc. III. 6. XII. 13. Quinam autem illi fuerint, non tam manifeſtò conſtat, ac proindè in diverſas ab-

abeunt ſententias auctores. Druſius ita: *Quinam fuerunt Herodiani? quæſitum eſt à doctis. Variæ ſententiæ. Ego, quam reperi apud auctores Ebræos, eam ponam. In lexico Juris lego, Herodianos Græcos fuiſſe, dictos autem ab Herode, qui primus eos traduxit ex deſerto ad locum habitatum, educavitque. Ponam verba Ebraica, deinde reddam ut ſonant ad verbum,* הורודוס המלך וכו *id eſt, Herodes adduxit ſecum Græcos ex deſerto, & educavit eos in terra habitata, & fecerunt ſectam, vocatique ſunt de nomine ejus Herodiani.* Hæc Druſius Commentar. ad voces hebraicas N. Teſt. c. XXIII. Confer ejuſdem lib. I. Præteritorum, p. 48. Mens ejus eſt, quaſi Herodes homo extremè profanus novam religionem ex Paganiſmo & Judaiſmo conflare fuerit auſus. Verùm opinionem hanc ſolidè refutavit Joh. Buxtorfius in Lexic. Talmudico, fol. 631. & ſeq. natam ex falſa verſione loci illius ex Lexico Ebraico Juris à Druſio ſupra adducti, quem Buxtorfius ad oculum oſtendit ita oportere reddi: *Herodes rex adduxit ſecum* (יוֹנִים) *columbas ex deſerto, & educavit eas in terra habitata, factaque ſunt* (תַרְבּוּת) *manſuetæ, vocatæque ſecundùm nomen ejus Herodianæ.* Adeoque cum Druſio fallitur quoque adſecla ipſius Caſaubonus, Exercit. I. contra Baronium, num. 5. p. 44. Samuel Petitus Herodianos *ſervos* vel *libertos* putat *Herodis & Archelai, tributis exigendis præfectos*, Variar. Lect. lib. II. c. I. cui tamen plurimas inſtantias oggerit Dilherrus, Elector. lib. I. c. XIV. Syrus N. Teſt. interpres Herodianos vertit *domeſticos Herodis*. Heinſius, Exercit. Sacr. ad Matth. c. XXII. 16. *milites aulæ Herodianæ* putat: alii denique aliter ſentiunt. Veriſimil-

ſimillima omnium ſententia tum ex hiſtoria Nov. Teſt. tum ex monumentis Judaicis decerpta notari poteſt hæc: Actor. XIII. 1. mentio fit cujuſdam Menachemi, qui unà cum Herode Tetrarcha fuerit educatus. De hoc Menachemo refert R. Abraham Dſachus in libro Juchaſin, fol. 19. col. 1. quod unà cum Hillele præfecturam Synedrii magni geſſerit, poſteà receſſerit ad famulitium Herodis regis unà cum LXXX. viris ſplendidè veſtitis. Cùm enim ingenti lite apud magnam partem Judaicæ gentis ſolium tetrarchatus aſcendiſſet atque firmâſſet Herodes, erant poſteà inter Judæos ſub imperio ejus, qui pervicaciter ei reſiſterent, erantque, qui fortiter ſuffragarentur. His datum eſt nomen *Herodianorum*, quippe qui ſummis viribus regnum iſtius familiæ ſtabilirent & approbarent. Horum auctor & caput fuit σύντροφος ille Herodis *Menachemus*, addictus fidei ac doctrinæ Sadducææ, qui ſtatim de eadem ſecta LXXX. viros inſignioris notæ ſecum abduxit & unà cum iis novam Herodianorum ſectam inchoavit, Sadducæorum doctrinam profitentem, & Herodis imperium propugnantem. Ita aſtutè Herodi atque Herodianis conſultum fuit, ut ille horum doctrinæ, hi ipſius regni evaderent tutores & mutuum ſtabilimentum: Quod enim Sadducæorum doctrinæ aſſeclæ fuerint Herodiani, conſtat inter alia ex N. Teſt. hiſtoria Matth. XXII. quæ etiam deſcribitur Marc. XII. & Lucæ XX. ubi Phariſæi (nempe Gaulonitæ) & Herodiani miſſi leguntur ad Chriſtum, ut caperent eum in ſermone. Ibi primum Phariſæi ex ſuæ doctrinæ capitibus ſpinoſam propoſuiſſe quæſtionem, quâ ſolutâ, Sadducæi itidem aliam ſui dogmatis

gmatis in medium attuliſſe perhibentur, non autem in antecedentibus Sadducæi ad Chriſtum miſſi dicuntur, ſed Phariſæi & Herodiani. Igitur ex his liquet, Herodianos fuiſſe de genere Sadducæorum. Herodianos hoſce poſteà aliquid rubiginis ſuæ adleviſſe Herodi, & de doctrinæ Sadducæorum capitibus quædam ipſi inſtillâſſe, conſtat ex collatione locorum Matth. XVI. 6. & Marc. VIII. 15. namquod illìc in Matthæo *Sadducæorum* vocatur, Marco eſt *fermentum Herodis*. Ceterùm Herodiani à Sadducæorum ſecta adhuc in eo diſtulerunt, quòd ipſi ad conciliandum auctoritatem Herodi, & in patrocinium imperii illius perſvaderent populo, crederentque ipſimet atque docerent, Herodem eſſe tam longô tempore tot votis exſpectatum Meſſiam, quoniam alienigenarum primus apud Judæos regnavit, idque probârunt ex Gen. XLIX. 10. uti narrant Tertullianus adverſus Hæreticos, c.XLV.p. 219. Epiphanius, Tom. I. lib. I. Hæreſ. XX. p. 45. Nicetas in Theſ. I. 44. Baronius in Apparatu ad Annales p. 4. Grotius de Veritate religionis Chriſtanæ, lib. V. Tantum breviter de præcipuis Judæorum ſectis, de quibus prolixiùs peculiaribus tractatibus egerunt Scaliger, Druſius & Serarius.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

CA-

CAPUT XXVI.

De noſtræ ætatis Judæorum Sacerdotio & Sacerdotibus.

POſt ultimam à Chriſto prænunciatam captivitatem, cùm miſerè Judæorum gens de faſtigio ſuo penitus corrueret, & per totum diſpergeretur mundum, immanis jugi gravitate preſſi non ſolùm omium nationum evaſerunt ſervi, ſed & longinquâ calamitate veluti Lethæô poculô inebriatis, ex qua ſinguli orta eſſent tribu, memoriâ planè effluxit, atque diuturnitate in oblivionem adductum eſt. Sic nihil ſpei reliquum illis manſit, niſi adventurum Eliam Meſſiæ præcurſorem, ſuam cuique tribum oſtenſurum, & hôc pactô populum Iſraëliticum in ordinem rurſus redacturum. Quod quidem cùm plerique Judæorum inficiari nec auſint nec poſſint, certum hoc eſt, neminem ampliùs inter eos Sacerdotiô ritè more majorum fungi, quandoquidem planè incognitum hoc ſit, quis ad tribum Levi pertineat, quis de familiis ſit Sacerdotalibus? Sunt tamen inter eos pauci, qui proſapiam ſuam de genere Aaronis adhuc conſtare aſſeverant: ac proinde, cùm aliàs vulgò nomina ſua ſic exprimant, v. g. *Moſe Ben-Maimon*, *Juda* Ben-*Leo*, *Manaſſe Ben-Iſraël:* illi, qui ſe ex genere Sacerdotali ortos jactant, ad differentiam ceterorum & characterem tribus ſuæ, nomina ſuo hôc modô exprimunt, v. g. *Salomo Ben-Leah*

Leab Adoni Majer, *Moſe Ben-Leab Adoni Iſaſchar*. Hominum iſtorum in ſacra dignitate inter ipſos exigua habetur ratio: talis quippe, ratione Sacerdotii ſui, de vino, frumento, pecude, nec non de iis, quæ voto ſacrata ſunt, planè nihil percipit, tantùm de primogenito hominis maſculi accipit quinque ſiclos, i.e. duos Imperiales ac dimidium, ex conſtitutione divina Num. XVIII. 16. brutorum animalium mundorum primogenita tenetur educare & alere, donec unumquodque moriatur, ita tamen, ut ad ipſum nihil inde uſusfructus redeat. A labore omni immunis eſt, niſi quòd, pro placito tamen ſuo, erudiendis liberis det operam, & in certis feſtis ſuper Eccleſiam benedictiones recitet. Videatur Chriſtiani Gerſonis Jüden-Talmud / lib. I. c. XXVII. circa finem. Ceterùm qui opibus & favore apud primates Judæorum pollet, eminentiam Sacerdotalem facilè ſibi hodiè redimit, & ſolenni ritu conſequitur: quô fit, ut divites & parum docti, qui apud eos ſunt, plerumque illum conſequantur gradum; doctores autem & pauperes eô defraudentur. Neque hoc heri demum aut nudius tertiùs inter eos invaluit, ſed dudum obtinuit, poſtquàm Meſſiam revelatum aſpernati ſunt. Hic demùm verus fons eſt, unde tot temerariæ traditiones, tot fabulæ Talmudicæ, tot blaſphemæ in Deum ac verbum ejus locutiones profluxerunt: Unde etiam arrogantia malæque artes Rabbinorum ſuum traxerunt ortum, quarum inſignia exempla ex ipſo Talmude ſparſim allegat Chriſtianus Gerſon in ante laudato libello. Sacerdos ſummus hodiè iis vocatur מורנו *Morenu*, i.e.

Doctor noſter, qui in ſupremo honoris gradu eſt, & quodammodô comparari poteſt Principi Synedrii magni; ſiquidem non ſolùm ſacra perficit ille, quæſtioneſque & caſus dubios in ſacris rebus ſolvit, liteſque diſputantium de ſenſu divinarum literarum dirimit, eaſque docet & explicat, verùm etiam forenſes leges ſancit, civileſque cauſſas & politica negotia dijudicat. Cujuſmodi Morenu conſtituitur in ſingulis locis, in quibus paullò amplior Judæorum datur Eccleſia, adeóque eorum plures in Germania reperiuntur, v. g. in cœtu Francofurtenſi, Wormatienſi, Hildeſienſi, Halberſtadenſi. Alterum ab hoc gradum qui obtinet, vocatur חזן *Chadſan*, i. e. Inſpector Templi ſive Synagogæ ſeu rerum ſacrarum, aliàs dictus quoque שליח צבור, i. e. *nuncius vel Angelus Eccleſiæ*, Germ. Schul-Klopfer. Curam gerit ille, ut ritè procedat liturgia publica, prælegit ſingulis Sabbathis ſectiones ex lege, præeſt quotidie in Templo Eccleſiæ orando & canendo. In tertio gradu qui exiſtit, vocatur רבי *Rabbi* & רב *Raf*, quorum tamen ille excellentior habetur & honoratior eſt, hic paullò inferior. Et hi quodammodò comparari poſſunt Scribis & Legiſperitis veterum Judæorum. Quamvis & ipſos illos titulos & ambitioſa nomina perantiqua eſſe ſatis conſtet ex N. Teſt. hiſtoria; orta tamen ſunt inter Judæos circa Chriſti demum nativitatem. Nam prima antiquitas Prophetis proxima, æque ut Prophetæ ipſi, nullis omninò utebatur titulis. Sic viri Synedrii magni poſt Eſram, Haggæum, Zachariam & Malachiam nudis nominibus ſuis fuêre appellati, pariter omnes, qui hos ſecu-

Digitized by Google

cuti ſunt uſque ad Hillelem. Attigit autem Hillel ferè nativitatem Chriſti, ſenex centum & quinquaginta annorum factus. Hujus filius Simeon (qui non ex levibus conjecturis ille fuiſſe creditur, qui Chriſtum infantem brachiis excepit) primus appellatus fuit titulô *Rabban*, denotante eum, qui doctrinâ, prudentiâ, dignitate ceteris præſtat, & attributô iis tantùm, qui principatum geſſerunt in populo Iſraëlis. Poſt hunc idem prædicatum accepit Gamaliël, Apoſtoli Pauli præceptor, Hillelis nepos: & ſic unâ ſerie per CC. circiter annos quinque alii principes Judæorum fuerunt appellati. Præter ſeptem iſtos nemo ampliùs eô titulô legitur inſignitus, ſed idem cum iis exſpiravit. Primus itaque à N. C. titulus fuit *Rabban*, poſteà prodière tituli *Rabbi* & *Ribbi* & *Rabba*, denotantes Magiſtrum vel Doctorem, & uſitati in terra Iſraëlis ſeu Paleſtina, pro quibus in Babylonia dixerunt רַב רַבָּא מַר מָרֵא מָרִי *Rof*, *Roſo*, *Mor*, *More*, qui pro arbitrio & ex favore hominum attribuebantur, non verò ritibus ſolennibus, ut hodiè inter Judæos adſolet fieri, conferebantur. Raf itaque hodiè æquipollet honori Baccalaureatus, Rabbi autem titulo Magiſtri vel Doctoris; neque aliquis Rabbi fieri poteſt, niſi priùs Raf exſtiterit. Ritus inaugurandi Rabbinum peragitur à Morenu, vel ſi hic abſit, à Rabbino alio manuum impoſitione atque ſolenni in Synagoga proclamatione, v. g. Hunc vel iſtum ob inſignem induſtriam, eruditionem & pietatis ſtudium eſſe dignum, qui inſigniatur titulô Rabbini. Præcipit deinde ſub pœna anathematis, ut quiſque eumdem Rabbinum appellet. Denique in confirmationem rei ac teſtimonium diploma

ſcriptum jam exhibet promoto. Officium Rabbinorum quale hodiè ſit, deſcribit egregiè Chriſtianus Gerſon: Das Amt der beſtallten Rabbinen iſt fürnemlich / daß ſie auch andere zu Rabbinen machen können / und wann ein Jude dem andern etwas ſchuldig iſt / und ihn nicht bezahlen will / muß ihn der Rabbi mit und durch ſeinen Bann zur Bezahlung zwingen. Jtem / wann einer oder eine das Geſetz GOttes / oder der Rabbinen öffentlich übertretten hätte mit Ehebruch / Blutſchande / Verrätherey / und dergleichen / oder hätte die gebürliche Zeit nicht gefaſtet / oder hätte den Sabbaht entheiliget / demſelben muß der Rabbi ordentliche Buſſe / nach Gelegenheit der Perſohnen und Sachen / ordnen und fürſchreiben. Es kan auch keine Ehe gemacht noch wieder geſchieden werden / es geſchehe dann durch den Rabbi oder ſeinen Vollmächtigen. Auch muß er Bericht thun / wann ein Huhn oder Gans wäre hinckend worden / ob man es ſchlachten und eſſen dürffe / oder ob man es den Chriſten verkauffen müſſe / und dergleichen Sachen ſehr viel. Fürnemlich aber muß er aller Geſunden und Krancken / Jungen und Alten Natur und Eigenſchafften wol zu unterſcheiden wiſſen / und ſo es ihm müglich iſt / muß er auch alle Jahr dreymal predigen. Und ob wol der Rabbinen-Stand gar nichts / oder doch ſehr wenig ins Haus und Beutel bringet / iſt doch bey dieſem Volck der Ehrgeitz ſo groß / daß auch ihrer mehr durch Gunſt als Kunſt zu Rabbinen gemacht werden / und wo einer den oberſten Rabbi ein Stück Geldes oder zwantzig gibt / macht er einen viel ehe zu einen Rabbi / als wann er tauſend Stück Geldes verſtudiret

hät-

hätte. Hæc ille in cit. Juden-Talmud / lib. I. c. XXVII. p. 251. & ſeqq. Denique fatentur Judæi, ſe non ampliùs habere Sacerdotes, & hos tamen, qui ſacra adhuc peragunt apud ipſos, Sacerdotes nominant. Fatentur etiam, Majeſtatem divnam nec non Spiritum Sanctum defeciſſe inter ipſos jam tum ſub templo ſecundo. Vide Prolegom. noſtra ad Jacobum Judam Leonem lit. C. col. 1. Et tradunt tamen, eamdem Majeſtatem divinam recumbere etiamnum ſuper manibus Sacerdotum benedictionem Eccleſiæ impertientium, præſertim expiationis die, de quo notatu imprimis digna vide apud Antonium Margaritam, lib. cit. lit. E. col. ult.

PARS SECUNDA,

DE

SACERDOTIBUS

ET

SACRIS EBRÆORUM PERSONIS.

CAPUT I.

De neceſſariis Sacerdotum requiſitis & primò de natalium puritate.

In Sacerdotalis dignitatis candidato apud priſcos Ebræos ſollicitè ante omnia conſiderabatur perſonæ qualitas, in qua primum requiſitum erat natalium puritas: nemini enim eò adſpirare licebat, niſi qui è *Sacerdotali familia*, tribu nempe Levitica, & in ſpecie ſtirpe Aaronica proſapiam duceret, qua de re prima parte egimus, cap. II. Neque qui ex hac ſtirpe ortus eſſet, ſtatim quiſque ad Sacerdotium admittebatur, ſed tantùm qui ex maſculis poſterorum

Aa-

Digitized by Google

Aaronis eſſet genitus, adeò ut excluderentur nepotes ex filiabus Sacerdotum, quemadmodùm in genere ipſe ſequior ſexus à Sacerdotali functione arcebatur. Igitur ſolùm *maſculi ex maſculis ſtirpis Aaronicæ* ſati ſacra obibant munia, & ex his primogenitus ſeu natu maximus poſterorum Eleaſaris Pontifex Max. creabatur, atque ob ætatis prærogativam in ſucceſſione ceteris anteponebatur, veluti Eleaſar natu minori Ithamar, & prout ante legem Leviticam ſimilis conſvetudo ſimile jus primogenitorum obtinuit, de quo parte priori egimus, cap. I. Præthereà nec hoc ſufficiebat, ortum duxiſſe ex maſcula familia ſtirpis Aaronicæ, niſi & *ex legitimo conjugio* natus aliquis eſſet. Eximebatur enim à dignitate illa ortus ex nuptiis ſeu coitu lege ſeu Sacerdotibus ſeu Pontifici vetito, ac proinde à Sacerdotio & Pontificatu Maximo prohibebatur conceptus ex ſcorto vel proſtibulo vili, aut adultera, ex [illegible], quæ repudiata erat à marito, ex idololatra, vel in genere aliena, quæ non erat tribus Leviticæ, ex vitiata vel vi compreſſa, ex proſelyto, ex ea, quæ priùs in matrimonio vixerat cum extraneo, qui non fuerat de poſteritate Iſraëlis, ex fatria leviro renunciata, ex captiva, ex libertina, aut ſerva. Eadem ratio erat, ſi avia aut proavia eſſet talis aliqua iſtarum. Quòd ſi autem Pontificis filius eſſet, ad Sacerdotium ineptus reddebatur, ſi mater ejus parenti nupſiſſet vidua, aut ſi non fuiſſet de familia Sacerdotali, quamvis eſſet de tribu Levitica. Ubi circa id, quod ſupra de ſcorto diximus, notandum, quòd tradunt Talmudici, *Si Sacerdos cùm femella concubuiſſet primâ vice, neque eum profanum fuiſſe redditum, neque prolem illegiti-*

 mam,

mam, *licet femella ſcorti nomen acceperit* ; *ſed ſi ſecundâ vice cum eadem conſueviſſet*, *& ipſum cum ea*, *& filium ex eodem concubitu ſuſceptum profanos redditos*. Quas autem ſupra Sacerdotibus creandis vetitas enarravimus, earum, paucis exceptis, conjugia ceteris Iſraëlitis, etiam Levitis, permiſſa erant, neque niſi ſolis Sacerdotibus & Pontifici Maximo prohibebantur. Ut igitur eô melius de natalium puritate candidati alicujus ſacri miniſterii conſtaret, neve hujuſcemodi inquinamenti ſuſpicio fraudi eſſet alicui, aut ſaltim fama de inquinatis natalibus ſacræ functioni adverſaretur, eorum, quibus ad Sacerdotium adſpirare licebat, nomina parentum, genus, qualitas in certas tabulas referri ſolebant, ſervatas in ipſo templo (qualium mentionem facit Suidas, voce Ἰησοῦς Χριστὸς) unde natalium puritas, qualis ad ſacram functionem atque ſucceſſionem exigebatur, præſto adſereretur. Tales tabulæ vulgò nuncupatæ ſunt *Scripta* nec non *Libri familiæ*; in quibus qui non repireretur, arcebatur à Sacerdotio in perpetuum, quando, utrum natales ejus ſatis eſſent puri, non conſtabat. Hinc Eſræ II. 62. legitur : *Et de filiis Sacerdotum hi quaſiverunt Scripturam genealogiæ ſuæ*, *& non invenerunt*, *& ejecti ſunt de Sacerdotio*, *& dixit Atharſata eis*, *ut non comederent de Sancto Sanctorum*. Quod repetitur Nehem. VII. 64. & ſeq. Ipſe Nehemias c. XIII. 28. 29. *De filiis autem Jojada filii Elerſib Sacerdotis magni gener erat Sanaballat Horonites*, *quem fugavi à me. Recordare Domine*, *DEUS meus*, *adverſus eos*, *qui polluunt Sacerdotium*, *juſque Sacerdotale & Leviticum. Igitur mundavi eos ob omnibus alienigenis*, *& conſtitui ordines Sacerdotum.*

CA-

CAPUT II.

De Corporis habitudine.

Alterum Sacerdotis requiſitum erat legitima corporis habitudo, integra, & omni labe carens: de qua Lev. XXI. 17. expreſſè DEI habetur mandatum: *Quicumque de ſemine ſuo in generationibus ſuis habuerit maculam, non accedat, ut offerat panem DEO ſuo.* Maculæ illæ erant vitia tantùm exteriùs apparentia, ſive eſſent medicabilia, ſive immedicabalia; ſecus, ſi labes eſſet intra hominem, ut, ſi v. g. pulmones corruptionem concepiſſent, ſi ſauciata eſſent viſcera &c. Id eum à ſacro miniſterio non impediebat. Iſtiuſmodi vitiorum corporis in homine ad Sacerdotium nitente obſervatorum, & à certis inſpectoribus ante initiationem ad Sacerdotium exploratorum, à priſcis Ebræis ſequentia enumerantur. *In Capite:* 1. Verticis Capitis concavitas. 2. Convexitas verticis nimium exſurgens, inſtar ovi. 3. Frons ſeu ſyncipuţ faciei ſurperpendens. 4. Occipit cervici ſuperpendens. 5. Caput deorſum adeò amplum & diffuſum, ut etiam colli locum pars ejus occuparet. 6. Calvitium in toto capite. 7. Calvitium in ſyncipite. 8. Calvitium in vertice, tametſi aliàs crinibus circumdaretur. *In aure.* 1. Auris arida & exſangvis. 2. Aures nimis exignæ. 3. Aures nimis turgidæ, inſtar ſpongiæ. 4. Aures nimis langvidæ & pendulæ. 5. Auris altera ab altera diverſa. 6. Cartilago auris lacera vel diſciſſa vel perfo-

 rata.

rata. 7. In aure alterutra cartilago duplex. 8. Aures ſurdæ. *In palpebris & ſuperciliis :* 1. Palpebra perforata vel lacera vel diſciſſa. 2. Supercilia aliquantum pendula. 3. Supercilium tantùm unicum. 4. Supercilia diſſidentia ſive longitudine ſive colore pilorum. 5. Pilorum in palpebris defectus. 6. Denſitas in iiſdem nimia pilorum. 7. Palpebræ non ita, ut par eſt, apertæ, ſed nimium conniventes. *In oculo :* 1. Cæcitas ſive in utroque ſive in alterutro. 2. Lippitudo in alterutro. 3. Viſus obſcurior. 4. Tuberculum. 5. Albugo oculi in nigredinem oculi extenſa. 6. Macula alba intra nigredinis oculi circuitum. 7. Macula nigrior in eadem nigredine expreſſa. 8. Oculi ſuperiùs vel inferiùs, quàm par eſt, ſiti. 9. Oculi omnino rotundi, nec in longitudinem aliquantulum extenſi. 10. Oculi furibundorum inſtar. 11. Oculi majores, quàm par eſt, inſtar vituli. 12. Oculi minores, quàm par eſt, inſtar anſeris. 13. Lachrymæ perpetuò ſtillantes. 14. Humor ab alterutro oculi angulo fluitans. 15. Nictitatio oculorum. 16. Oculi diſſidentes colore, magnitudine, locô. *In naſo:* 1. Nares perforatæ, diſciſſæ vel laceræ. 2. Superior pars naſi inter oculos depreſſior. 3. Naſi medium nimium eminens. 4. Extremitas naſi repanda. 5. Naſus alterutrinque divergens. 6. Naſus vel grandior vel exilior, quàm ferret ceterorum membrorum ratio, ubi menſura erat digitus auricularis hominis illius, de quo fiebat quæſtio, quô digitô ſi naſus eſſet major vel minor, vitium erat. *In ore :* 1. Maxilla inferior ſuperiori prominentior. 2. Lingva impeditior adeò, ut plerorumque verborum prolationi eſſet impar. 3. Os,

quod

quod in prolatione verborum quodammodò occluſum videri poſſet. *In labiis:* 1. Labium perforatum, diſcuſſum vel lacerum. 2. Labium inferius ſuperiori prominentius. 3. Labium ſuperius inferiori prominentius. 4. Os adeò laxatum, ut ſalivam non retineret. *In collo*: 1. Collum adeò breve ſeu depreſſum, ut caput humeris continuum videretur. 2. Collum adeò oblongum, ut humeris videretur eluxatum. *In manibus*: 1. Oſſis manus fractura manifeſta. 2. Uſus dexteræ incommodus. *In digitis manuum & pedum*: 1. Digitorum numerus excreſcens. 2. Digiti alicujus defectus. 3. Digitus alter alteri inequitans. 4. Primi digiti continenter juncti. 5. Caro ex pollicis extremitate extuberantior. *In pedibus*: 1. Claudus. 2. Femur alterum alterô longius vel altius. 3. Oſſis pedis fractura manifeſta. 4. Crura adeò extrorſum incurva, ut genua nunquàm conjungerentur, ſed pedes facilè commiſcerentur, veluti in valgis. 5. Talus extuberantior. 6. Calcaneus ita retrorſum extenſus, ut crus mediô pede inniti videretur. 7. Planta pedis in latum diffuſa inſtar anſeris, ut in plancis & plautis. 8. Pes adeò undiquaque ſibi æqualis, ut à calce ad digitorum extremitates utrinque ac ubique eamdem haberet figuram. 9. Pes à calcaneo ad digitos ita incurvus, ut, arcus inſtar, alterutrinque diſtorqueretur, ut in loripede. 10. Pes excavatus ſeu planta ſic concava, ut ſtans calcaneô & digitorum extremitate inniteretur. 11. Genua ſe mutuo inter eundum pulſantia. 12. Pedis ſiniſtri potior uſus. *In corpore toto:* 1. Corpus grandius, quàm ceterorum membrorum ferret ratio. 2. Pumilionis ſta-

ſtatura. *In dorſo:* 1. Dorſum incurvum. 2. Gibboſitas ex vertebra ſpinæ luxata. 3. Gibboſitas carnoſa. *In ventre:* 1. Venter ſolitô tumidior. 2. Umbilicus prominens & non depreſſior, ut eſſe ſolet. 3. Mammillæ ſuper ventrem, inſtar muliebrium, jacentes, ſeu pendulæ. *In pudendis & vaſis ſeminariis:* 1. Membrum genitale compreſſum, vel contuſum, vel avulſum, vel abſciſſum. 2. Utriuſque ſexus membra, veluti hermaphroditi. 3. Genitalium loci obſtructi, ut non cognoſcere poſſis, utrum mas ſit an femina. 4. Veretrum adeò longum, ut genua ferme attingeret. 5. Teſticulus compreſſus vel contuſus vel avulſus. 6. Teſticulus unicus. 7. Uterque unico in loco. 8. Pars teſticuli exſecta. 9. Scrotum ad genua ferme pendulum. 10. Scrotum percuſſum. 11. Hernia. *In cute & carne:* 1. Nigrities, qualis Æthiopis. 2. Pallor nimius, quaſi caſei. 3. Rubor nimius, qualis coccini. 4. Cutis ex cauſſa interiori vel exteriori decolorata, veluti ex puſtulis, lentigine, cicatricibus. 5. Verruca unica ſeu nævus in facie, etiam minimus, modò ex eo creſcat pilus. 6. Caro ſeu cutis langvida vel pendula. *In ſuperficie corporis:* 1. Scabies ſicca. 2. Scabies humida ſive Ægyptiaca. 3. Immundities. Quibus adduntur 1. Ab ætate provecta tremor. 2. Tremor ab ægritudine. 3. Sudor graveolens. 4. Fœtor oris. 5. Impotentia loquendi. 6. Fatuitas ſive inſania. 7. Epilepſia. 8. Obſeſſio dæmoniaca. Hæc ferè ſunt omnia illa vitia, quæ Sacerdotem ad ſacrum miniſterium reddebant ineptum, modò unicum eorum in ipſo deprehenderetur. Quæ etſi ſingula in lege Sacerdotali

Co-

Codicis Bibliorum expreſſa non exſtant, ſingula tamen apud priſcos Ebræos fuiſſe obſervata, ex multis aliis teſtatur Philo, lib. de Victimis, & lib. II. de Monarchia. Quòd ſi verò quis ex genere Sacerdotali vitiô, ex jam recenſitis, laborans ſacrificium offerre, aut aliud tale miniſterium peragere auderet, actus ille ſacer habebatur illegitimus, ipſe autem adminiſtrans ad flagellationis pœnam protrahebatur. Licebat quidem talibus ingredi limina templi, ſed non tendere ulteriùs: qua de re ita præcepit DEUS Levit. XXI. *Omnis qui habuerit maculam de ſemine Aaron Sacerdotis, non accedet ad offerendum hoſtias Domino, nec panes Deo ſuo; veſcetur tamen panibus, qui offeruntur in ſanctuario, ita duntaxat, ut intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet ſanctuarium meum*; verſ. 21. 22. 23. Ceterùm inter vitia illa fuêre quædam, quæ pro libitu & momentô corrigi poterant, ita ut à munere divino aliquis non excluderetur. Tale erat immunditiès lavacrô facilè ſublata. Fœtorem oris aromate aliquô devoratô corrigebant. Sudore illô gravi, quem hircinum vocant, inquinatum abluebant, itidemque certi aromatis conſperſione purgabant. Talia quoque fuêre præputium, crines intonſi.

C A-

CAPUT III.

De legitima ætate.

Ratione ætatis Sacerdos ritè conſtitui poterat, qui annum exegiſſet vigeſimum, neque tamen hæc ætas indifferenter ſufficiebat: quodſi enim aliquis de Sacerdotali ſtemmate annum XXIII. ſuperâſſet, exploratio fiebat, an pubertatis ſigna in eo conſpicerentur, & an pili pubis excreviſſent. Si excreviſſent, dignus judicabatur, qui poſt XX. ætatis annum Sacerdotale munus reciperet; ſin, tametſi annum XX. aggeret, à dignitate illa excludebatur, & tum demum talis inquiſitio in iſta pubertatis ſigna fiebat; quæ ſi apparerent, trigeſimô quintô demum annô in ordinem iſtum ſacrum admittebatur, ſi verò nulla deprehenderentur, ſpado declarabatur, atque ad Sacerdotium perpetuô ineptus. Illi igitur, qui manifeſta pubertatis ſigna decimô tertiô ætatis annô in pube dediſſet, XX. ætatis annô Sacerdos creabatur, atque ille, qui demum annô XX. pilos pubis eduxiſſet, Sacerdotiô fungi permittebatur annô trigeſimô quintô. Talis vulgò dicebatur apud Ebræos *major*, & contradiſtingvebatur *minoribus*, quomodo nuncupati fuêre, qui vel XIII. ætatis annum nondum expleviſſent, vel poſt eum pubem nondum produxiſſent. Eôdem modô res ſeſe habebat cum eo, qui ſucceſſionis jure in locum demortui Pontificis deveniebat: qui ante pubertatis ſigna, annum nempè XX. vel XXXV. dignitatem illam non

adi-

adipiſcebatur, ſed dabatur illi vicarius, qui intra terminum pubertatis ejus vice fungebatur, dictus *Secundus à Pontifice*, vel *Vicarius Pontificis Maximi*. Levitarum autem alia erat ratio, de quorum ætate legitur Num. VIII. 24. *Hæc eſt lex Levitarum, A XXV. annis & ſupra ingredientur, ut miniſtrent in tabernaculo fœderis.* Sed ſupra Num. IV. 3. & 30. trigeſimus demum annus legitima & ſacro miniſterio idonea ætas illis definitur. Quæ quidem loca ita conciliari debent, ut XXV. annus intelligatur dediſſe initium diſcendi, à quo termino ætatis uſque ad XXX. annum, totô nempe quinquenniô, Levitarum frequentabant ſcholas, diſcentes lectionem, cantum, & quæ ſunt alia; intereà tamen nati apti habebantur ad miniſterium, & accedebant quoque ad juvandos fratres ſuos, erantque occupati in levioribus miniſteriis. Vide Menaſſen Ben-Iſraël, Conciliat. in Num. Quæſt. IV. Abulenſem in c. VIII. Num. Quæſt. XXXI. Seldenum de Succeſſione in Pontificat. lib. II. c. IV. Judæos imitati fuêre priſci Chriſtiani, apud quos eadem ferè ætas in Eccleſiæ miniſtris ſpectabatur, uti inter alia conſtat ex his verbis Juſtiniani: *Presbyterum autem minorem triginta quinque annorum fieri non permittimus, ſed neque Diaconum aut Subdiaconum minorem viginti quinque &c.* in Auth. Nov. CXXIII. c. XIII. Apud Ebræos autem antiquiſſimos idcirco DEUS præcepit perfectos Levitas fieri viros triginta demum annorum, quòd, cùm nondum ædes ſacra nomini ipſius eſſet exſtructa, Tabernaculum & Arca Domini tranſportarentur de loco in locum, quibus oneribus ferendis requirebantur validiores humeri, ho-

hominesque firmiori ætate & præſtantioribus viribus. Quô factum, ut David, poſtquàm Deus ſtabiliturum ſe & fixurum ſedem ſuam Hieroſolymis promiſiſſet, adeoque tranſportatione tali non ampliùs eſſet opus, legem illam Moſaicam tolleret, & ſanciret, ut in poſtremum quilibet XX. ætatis annô, modò quoad cetera idoneus eſſet, in ordinem Levitarum reciperetur. Vide I. Paral. XXIII. 27. Eſræ III. 8. Adde, quòd Davidis temporibus & ſequentibus pluribus etiam perſonis ex gente Levitica ad ſacrum miniſterium fuerit opus, plura & ampliora conſtituta munia, v. g. janitorum, cantorum, & ſimilium. Quemadmodùm verò primitus ante trigeſimum annum nemo agere poterat perfectum Levitam, ſeu omnia & ſingula munia obire, quæ Levitarum erant propria, parili modô ſi Levita quinquageſimum attigiſſet annum, excidebat ordine ſuô, & in illum gradum collocabatur, in quo ante trigeſimum annum conſtiterat, h. e. erat miniſter tantùm & coadjutor ceterorum Levitarum, neque laborabat ampliùs oneribus portandis, ſed duntaxat cuſtodiebat ea, quæ ipſi eſſent commiſſa. Vide Numer. VIII. 25. & 26.

CAPUT IV.

De Animi, vitæ ac famæ integritate.

NOn ſufficiebat ad ſacerdotalem dignitatem aſpiranti, vel jam tum ea fungenti, corpore eſſe purum, niſi & animus & vita omni carerent maculâ: ut

ut eô majus pretium, eôque ſublimior veneratio tanto muneri apud plebem contingeret. Ideò futurus ſive Pontifex ſive Sacerdos coram ſynedrio magno examen cogebatur ſubire, quô de vitæ integritate ſufficientem redderet rationem. Iſtorum animi vitiorum quædam poterant corrigi & pœnitentiâ tolli, quædam perpetuò contaminabant, & à ſacro altari aliquem arcebant. Atque ut I. de conjugio dicamus, vitium, qvô ad ſacra peragenda præcludebatur aditus, erant *nuptiæ illicitæ*, & lege, ſive ſacerdotibus ſingulari, ſeu communi omnibus Iſraëlitis, vetitæ. Talem feminam qui duxiſſet, non permittebatur ad ſacram functionem priùs, quàm ſi in conſeſſum ſynedrii magni evocatus, magnâ populi frequentiâ præſente, illegitimâ conſvetudine iſtâ abſtenturum ſe votô palam profiteretur, & actu ipſô illicitam conjugem extemplò repudiaret. II. Ab altari perpetuò arcebatur *idololatra*, nec minùs is, qui in templo alio, quàm Hieroſolymitano ſacrum aliquem cultum perfeciſſet; tametſi templum illud prorſus ad Hieroſolymitani ſpeciem eſſet exſtructum, & cultus ille vero exhiberetur Numini, imò ſacerdos ipſe non ſponte, ſed ex errore cultum præſtitiſſet. Ibi pœnitentia, quantumvis ſolennior, locum habebat nullum. III. In pari paſſu ambulabat *homicida*, ſive ſpontaneus, ſive invitus & ex errore talis. Hic quidem ad aſylum confugere poterat, at ille, qui voluntariè occidiſſet, tametſi in ipſo conſtitutus eſſet altari, & ſacrificium jamjam perageret, ab eo avellebatur, & ad ultimum ſupplicium rapiebatur ex DEI mandato, Exod. XXI. 14. IV. Eodem in cenſu habebantur *adulter* & *inceſtuoſus*, qui,

tantum abeſt, ut ad altaris miniſterium invenirent aditum, ut ne ordinariam quidem pœnam potuerint effugere. V. Prætereà, ut auctoritati pontificalis dignitatis conſuleretur, etiam ille à ſacro officio ſuſpendebatur, *qui artes exercuiſſet ſordidas ac viliores.* Quam rem ita ex antiquis Ebræorum monumentis explanat Maimonides: *Non conſtituunt ſive Regem, ſive Pontificem eum, qui eſt aut lanio, aut tonſor, aut balneator, aut textor, aut coriarius &c. etiam qui die unicô aliquam ex ejuſmodi artibus exercuerit, minimè idoneus redditur;* Tractatu de Regibus, c. I.

CAPUT V.

De Ritibus initiandi Pontificem ac Sacerdotem.

FInitô coram ſynedrio magno examine candidati ſacri miniſterii, is, in quo labes aliqua ratione natalium fuiſſet reperta, ex ſynedrii ſententia declarabatur illegitimus, & actutùm educebatur è ſocietate fratrum ſuorum, atque ſic pergebat ad domum ſuam, induebaturque habitu nigrô quô perpetuô poſteà utebatur. Viciſſim ille, qui vitiô aliquô corporis tantùm laborabat, permanebat in templo in conclavi, quod dicebatur *cella lignorum*, & gerebat officium carioſa ligna à vermibus purgandi, donec idonea fierent ad ſtruem altaris, fruebaturque portione etiam aliquâ è reditibus ſacerdotalibus. Is verò, in quo nihil illegitimi eſſet repertum, à ſynedrio diſcedebat his verbis: *Benedictus, qui elegit ſemen Aaronis*

nis ad miniſtrandum in ſancto ſanctorum. Inde inſtituebat feſtum atque convivium amicis ſuis, & poſteà conſecrabatur. Vide Jacob Juda Leon. de Templo, lib. II. c. XVIII. Gloſſa ult. ad ſect. 128. p. 109. In inauguratione tum Pontificis max. tum Sacerdotum quatuor potiſſimùm ſolennes & neceſſariæ ſpectandæ veniunt ceremoniæ: Prima eſt *ablutio.* Abluebantur aquâ ad oſtium tabernaculi ſive templi, ut, veluti membra corporis ſordibus purgabantur, ſic animus ab interioribus vitiis praviſque concupiſcentiis luſtraretur, DEOque totus conſecraretur. Secunda eſt *veſtium ſacrarum applicatio.* Induebantur exinde ſtatim ſacrô amictu ipſis propriô. Veſtes ſacræ Sacerdotum fuére quatuor; pontificis maximi octo, de quibus c. ſeq. Eæ in initiatione certô ordine ac ſolenni ritu dabantur. Primò veſtiebantur femoralibus ſupra lumbos conſtrictis; his accedebat tunica talaris, quæ poſteà cinguli crebris plicaturis ſub axillis circumligabatur; denique imponebatur pileus ſeu cidaris. At pontifici inſuper imponebatur pallium, cui ephod ſeu epomis addebatur: tunc induebatur tiara; cui tandem lamina aurea ſeu corona affigebatur. Neque ſatis ritè initiabatur Pontifex, niſi ad eumdem modum per ſeptem continuos dies inveſtiretur. Tertia eſt *unctio,* Ungebantur ſacerdotes oleô certô, ſoliſque ſacris rebus deſtinatô, & à Moſe ipſo ſemel ad omnium ſequentium ſeculorum uſum præparatô, tali confectione: Aſſumſit Moſe ex præcepto DEI myrrhæ exquiſitæ & puriſſimæ ſtateres quingentos (juxta noſtram ponderationem XV. Pfund / 30. Loht) cynamomi aromatici ſtateres ducentos & quinquaginta (præter propter 7. Pfund und

31. Loth) totidem etiam calami aromatici: his addebantur quingenti ſtateres caſiæ, quibus omnibus admiſcebatur olei de olivetis menſura Hin (quæ conſtituit 3. Quartier oder Maas) & cum ſpeciebus iſtis aromaticis coquebatur. Hanc confectionem recondidit Moſe in arcam Domini, ut eâ ungerentur ſacerdotes, quotquot futuri eſſent. Neque illud ſequentibus ſeculis de integro fieri fas erat, ſed perpetuò illud Moſis manu confectum adhibebatur. Iſthôc ungventô nefas erat, & gravi ſub pœna vetitum, cutem hominis, qui non eſſet ſacerdos tangi, neque permiſſum aliô confectô oleô ſacerdotem ungi. Vide Exod. XXXI. al. XXX. 23. & ſeqq. Pontifex autem & Sacerdotes initiandi ungebantur eô per ſeptem continuos dies; eôdemque uncta fuêre tabernaculum Domini, arca DEI, altaria, & candelabra, omniſque ſupellex ad cultum divinum requiſita. Eam unctionem etiam die, non noctu peragi neceſſum erat. Figura ejus ſeu ungendi modus ſollicitè ante omnia obſervabatur, talis quidem, ut, antequàm imponeretur tiaria ſeu pileus, in verticem capitis funderetur oleum illud ita, ut per totum caput deflueret (quod declarabit Pſalmi CXXXIII. 2.) inde mox ungens in fronte novi ſacerdotis uncti in medietate ſeu loco, qui eſt inter oculos ſive palpebras, digitô ſuô ex oleo diducebat figuram X literæ Græcorum, uti paſſim ex vetuſtis monumentis annotârunt Rabbini, Salomo Jarchi, Comment. ad Exod. c. XXIX. 7. Maimonides de Vaſis ſanctuarii, c. I. Obadias bar Tenora, Comment. ad cod. Talmud. de Excidionibus animarum, c. I. Moſe Kozenſis, præceptô affitmativô CLXVI. Nachmanides & Aben Eſdra ad l. c. Exod. Abarbenel, Comment. in

Le-

Legem, fol. 202. &c. hoc eſt, figuram crucis S. Andreæ, quam vocant, quemadmodùm Reges coronæ figurâ ſolebant ungi. De hoc oleo & ritu unctionis plura vide apud Joſephum de Voiſin in notis ad Raymundi Pug. fid. fol. 247. ſeq. Unctio illa ſacerdotum ceſſavit ſub templo II. eò quòd arca Domini eſſet deperdita, adeoque oleum illud ſacerdotale à Moſe confectum, quod cum illa adſervari ſolebat; unde eâ ætate nullus omnino amplius unctionis ſacræ habebatur uſus, ſed ſacerdotes duntaxat veſtibus præter ablutionem & ſacrificium initiabantur. Quamvis Talmudici tradant, quinquaginta circiter annis ante primi templi excidium oleum ſanctum à Joſua rege fuiſſe abſconditum, nec poſteà repertum. Etiam tamen hoc meretur notari; ſub templo primo, cùm Iſraëlitæ ituri eſſent in bellum, ſacerdotem aliquem electum & conſtitutum fuiſſe, qui exercitum Iſraël alloquebatur. Is oleô ſacroſanctô ungebatur, vocabaturque *Sacerdos unctus ad bellum*, & dignitate anteibat Saganem ſeu vicarium Pontif. max. de quo plura D. Wagenſeilius in Sota, p. 842. Quarta & ultima eſt *ſacrificium*, quod unctionem ſequebatur, & totam initiationem ritè perficiebat. Offerebant decimam partem ſimilæ, quæ in ſartagine oleô adſperſa coquebatur, poſteà in holocauſtum Domino incendebatur, & tota cremabatur. Si quis futurus ſacerdos gregarius, nondum tamen eô nomine initiatus, ſtatim ad pontificatum eveheretur, primò ſacrificium ſacerdotis minoris nomine peragebat, dein idem repetebat, tanquàm futurus Pontifex. Unde patet, neminem ad pontificatum perveniſſe, niſi priùs ſacerdotis minoris ritu eſſet initiatus. Hæc de Pontifice &

Sacerdotibus. At Levitarum inauguratio planè alios poſcebat ritus. Primus eſt *luſtratio* : nam & ipſi & veſtimenta eorum lavabantur atque mundabantur, non aquâ communi ac purâ, ſed certâ, luſtrali, quæ erat aqua, cui cineres vaccæ rufæ pro peccatis combuſtæ infundebantur: eâ aliàs quoque adſpergebantur in genere immundi. Secundus eſt *raſio*. Abradebant non caput, ſed reliquum totum corpus. Quod iterum ad puritatem ac munditiem pertinebat. Tertius eſt *ſacrificium*. Offerebant bovem unum & ſimilam oleô conſperſam, bovemque alterum in holocauſtum pro antecedentis vitæ peccatis. Quartus eſt *introductio*. Convocatâ omnis Iſraëlis multitudine, ſiſtebant Levitam coram tabernaculo fœderis, & poſteâ in templo in atrio Iſraëlitarum. Quintus eſt *impoſitio manuum*; quæ fiebat ab ipſis Iſraëlitis ſeu Senioribus populi.

CAPUT VI.

De Veſtibus Pontificiis ac Sacerdotalibus.

VEſtes ſacræ aliæ erant Sacerdotum, aliæ Pontificis maximi, indutæ illis eô duntaxat tempore, quô miniſtrabant & cultui divino vacabant. Levitæ autem amictum proprium habebant nullum, etſi ſæpe veſtiebantur tunicâ lineâ. Sacerdotum vulgarium veſtes ſacræ numerabantur quatuor: *femoralia*, *tunica*, *cingulum*, & *tiara*; quibus Pontifex max. alias inſuper quatuor addebat: *pallium*, *ſuperhumerale*, *pectorale*, & *frontale*. Nunc ordine de iis. Primum locum obtinent

nent *femoralia* ſeu feminalia: quæ erant braccæ lineæ, è byſſo retorta confectæ (eſt autem byſſus retorta, quæ fit ex lino, quod netur, & poſteà duplicatur ac torquetur, ex qua etiam fuêre cortinæ tabernaculi) usque ad genua & poplites deſcendentes, nullibi ſciſſurâ disjunctæ, quibus verenda celabantur, & ſuperior pars ſub umbilico vehementer adſtringebatur, ut eô expeditiores eſſent, & ne, ſi quando mactarent victimas, attraherent tauros, arietes &c. portarent onera, etiamſi fortè laberentur & femora revelarent, pateret nudum id, quod opertum eſſet. Femoralia itaque hæc non erant fibulæ locô, nec denotabant caſtitatem ſacerdotalem iſtiusmodi, qualis hodie apud Pontificios Clericis injungitur, uti nugatur Franciſcus Ribera de Templo, lib. III. c. VI. cùm id extra dubitationis aleam ſit, ſacerdotes Ebræorum matrimonia contraxiſſe; ſed inſerviebant ſacerdotum fortitudini, agilitati atque pudori, ſi fortè ſacerdos caderet, & reliquæ veſtes diffluerent. Unde etiam legimus, prohibitum fuiſſe fieri gradus ad altare, ne populus inferior obſcœnas partes aſpiceret. Iſtiusmodi femoralia paganis quoque erant in uſu, dicta illis *campeſtria* & *ſuccinctoria*, de quibus vide Iſidorum de Originibus, lib. XIX. c. XXII. & XXIII. Secunda veſtis eſt *tunica*, quæ aliàs vocatur *linea ſtricta*, & erat interula byſſina, è duplicata tela confecta, ſive tunica talaris interior ſupra femoralia induta, totum corpus usque ad pedes imos tegens, corpori adſtricta, habens manicas, & ipſas circa brachia ſtrictas. Ita de ea inter alia multa Hieronymus: *Solent militantes habere lineas, quas camiſias vocant, ſic aptas membris & adſtrictas corporibus, ut expediti*

ſint vel ad curſum, vel ad prælia, dirigere jacula, tenere clypeum, enſem vibrare, & quocunque neceſſitas traxerit. Ergo & ſacerdotes parati in miniſterium Dei, utuntur hâc tunicâ, ut nudorum celeritate diſcurrant; Epiſt. ad Fabiolam, Tom. III. p. 59. Uſus ejus Levitis ſub Agrippa rege æquè ac ſacerdotibus, ſed contra fas permittebatur, úti tradit Joſephus, Antiq. lib. XX. c. VIII. Tertiò tunica hæc accingebatur circa pectus paullò axillis inferiùs *cingulô*, baltheô, ſeu zonâ intus cavâ, ita contextâ, ut exuviis ſerpentis eſſet ſimilis, lata digitos quatuor, longa cubitos circiter triginta duos, adeò ut multoties circumplicata & circa pectus revoluta, corporis medium incingeret, reliqua autem pars extra cultum divinum ad talos usque deflueret. Cùm verò in ſacris eſſet miniſtrandum, ne reſidua illa pars propendens ventilata eſſet impedimento, rejiciebatur ea ſuper humerum lævum. Quartò conſideranda venit *tiara*, ſive cidaris, aut pileus, ſive mitra, quæ erat linea tela ſedecim cubitos longa, & ſæpe in orbem replicata, ac conſuta, caputque multòties cingens ac operiens. Hanc alia tela ſupernè integebat usque ad frontem deſcendens & toti cranio adhærens, quæ per ſuperficiem verticis ſuturarum in pileo deformitatem celabat. Hoc capitis tegumentum accuratè adaptabatur, ne inter ſacrificandum delaberetur. Ab his non multum diverſæ erant Perſarum & Corybantum tiaræ, quemadmodùm eas deſcribunt ſcriptores ethnici. Pontificis max. autem pileus (veluti & zona) aliquantum diſcrepavit à ceterorum ſacerdotum tiaris: (1) Enim multis contortis voluminibus capitis ejus partem involvit duntaxat ſuperiorem, nec inferiùs deſcendit,

ne

ne laminæ fronti adnectendæ diſcommodaret. Similis erat pileo Turcico, quem Türckiſchen Bund vocamus. Quatuor prædictæ veſtes Pontifici max. cum reliquis Sacerdotibus erant communes: nam licèt veſtes Pontificis max. paullô ſplendidiores fuerint, molliorcsque & accuratiùs confectæ, imò tiara & cingulum aliquantum à ceteris diſcrepaverint, iisdem tamen appellabantur nominibus. Sed præter memoratas veſtes Pontifex max. aliis ſibi peculiaribus fuit inſignis, cum quibus ſacrum obivit munus: Earum prima erat *pallium*, veſtis oblonga & talaris, ſed exterior ita, ut interiori lineæ ſtrictè reſponderet, confecta non ex duobus aut pluribus ſegmentis, ſic ut ſuturas haberet in humeris, lateribus, à tergo &c. ſed ex uno contexta, aperturam in ſummo habens non transverſam, ſed oblongam, deſcendentem à tergo, & ante usque ad medium pectus, cui ſciſſuræ, ne ea appareret, ornatus cauſſâ fimbria aſſuta erat. Eôdem modô ſciſſa fuit eâ parte, quâ manus & brachia exſerebantur. In extremitate appenſa illi erant mala punica & tintinnabula alternatim, ut Pontificis max. ſonus audiretur, cùm adiret ſanctuarium, non verò, *ut in ſancta ſanctorum totus vocalis incederet*, uti ait Hieronymus, Epiſt. ad Fabiolam. Tom. III. p. 59. Secunda eſt *ephod*, ab Ebr. radice אָפַד quæ ſignificat *cinxit*, dicta Græcis ἐπωμὶς, Latinè *ſuperhumerale*, brevis brevior cubitali menſurâ, ita ut zonam memoratam attingeret, pallio ſuperinjecta, ſago militari ferè ſimilis, humeros tantùm & pectus ornans, ex diverſis coloribus auro intexta atque variegata, infra manicas utrinque conſuta aut duntaxat fibulis connexa, in utróque autem humero Sardonyches au-

ro incluſi fibularum vice epomida adnectebant. In altero iſtorum lapidum, dextri nempe humeri, nomina ſex majorum natu filiorum Jacobi inſculpta erant, videlicet Ruben, Simeon, Juda, Dan, Naphthali, Gad; in ſiniſtra gemma ſex ceterorum, Aſer, Iſaſchar, Sebulon, Benjamin, Ephraim, Manaſſe, idque ideò, ut Pontifex ingreſſus Sancta Sanctorum, nomina populi, pro quo rogaturus eſſet Dominum, portaret in humeris. De his porrò Joſephus: *Ex lapillis*, ait, *quos Pontifex in humeris geſtabat, micabat alter, quoties litatum eſſet, is nempe, qui dextrum humerum occupabat, tantúmque fulgorem emittebat, ut procul intuentibus conſpiceretur præter naturam ſuam & conſvetudinem*; Antiq. lib. III. c. IX. In medio ſuperhumeralis lacuna relinquebatur in pectore, cui pectorale inſerebatur. Ad ſimilitudinem hujus ephod, quod Pontifici ſoli competebat, fiebat etiam alius amictus, ſed lineus tantùm, dictus itidem ephod, quô non ſolùm Sacerdotes & Levitæ, ſed & ex aliis tribubus omnes, qui DEO ſerviebant, & ipſius cultu occupabantur, uti poterant. Ita intelligentur loca 1 Sam. II. 18. *Samuel autem miniſtrabat ante faciem Domini puer, accinctus ephod lineô.* 1 Sam. XXII. 18. *Converſuſque Doëg Idumæus, irruit in Sacerdotes & trucidavit in die illa LXXXV. viros, veſtitos Ephod lineô.* II. Sam. VI. 14. *Porro David accinctus erat ephod lineô.* Tertia veſtis dicebatur *pectorale*, item *rationale*, nec non *pectorale* vel *rationale judicii*, & propriè loquendo nova veſtis non erat, ſed prioris tantùm pars, implens lacunam illam, quam in ephod relictam fuiſſe ſupra diximus. Erat autem pannus brevis, quadrangulus ha-

habens magnitudinem duodecim digitorum, ſive dimidii cubiti in longitudine & latitudine, contextus ex auro, hyacintho, purpura & cocco, duplicatus, ut pondus gemmarum, quod in eo ponebatur, ſuſtinere poſſet. Superhumerali non aſſuebatur, ſed adligabatur: facies enim ejus interior in quatuor angulis quatuor habebat annulos aureos, quibus in ſuperhumerali quatuor alii reſpondebant, qui cum illis copulabantur. Facies exterior habebat in duobus angulis ſuperioribus duos annulos aureos eminentes, quibus catenæ aureæ inſerebantur, quoniam annuli priores interiores non poterant ſoli gemmarum pondus ſuſtinere. Aſcendebant catenæ iſtæ per fiſtulas quaſdam aureas ad humeros, & adnectebantur circulis aureis, qui erant à tergo in ſummitate poſterioris partis ſuperhumeralis, arctiſſimè juxta ſe invicem ſiti. In panno pectoralis exteriori duodecim gemmæ quatuor ordinibus diſpoſitæ fuerunt: in primo ordine erant lapis ſardius, topaſius & ſmaragdus: in ſecundo carbunculus, ſaphirus, jaſpis; in tertio lyncurius, achates, amethiſtus: in quarto chryſolithus, ſardonyx & berillus: quod erat immanis pretii ornamentum. Per illud Pontifex Max. divina reſponſa accepit de anguſtiis & neceſſitatibus totius populi, ediditque judicium de bello & pace, ceteriſque ad ſalutem Reip. ſpectantibus: Si enim lætum optatúmque reſponſum Pontificem oporteret referre, ſingulæ gemmæ incredibilem nitidiſſimúmque de ſe dabant ſplendorem. Joſephus: *Sed mirabilius eſt, quod nunc dicturus ſum. Per duodecim gemmas, quas in pectore Pontifex Max. inſutas pectorali geſtabat, in bello victoriam prænunciare ſolebat DEUS: nam priuſquam*

quàm exercitus ſeſe moveret, tantus fulgor ex iis emicabat, ut toti populo facilè innoteſceret, adeſſe DEUM, opémque & auxilium ſuum allaturum eſſe invocantibus. Quapropter Græci, qui à noſtra religione abhorrent, cùm hoc miraculum pro compertiſſimo habeant, ita ut negari non poſſit, pectorale vocant λόγιον, i. e. *oraculum. Deſiit tàm pectorale, quàm ſardonyx (ille ſcil. in utroque humero ſuperhumeralis) fulgorem emittere CC. annis, antequàm hæc commentaremur, iratô DEO propter legum ſuarum contemtum.* Hæc ille, Antiquit. III. c. IX. Atque hæ gemmæ, ſi veriſimillimam plerumque ſententiam, quæ etiam Lutheri eſt, recipiamus, vocatæ ſunt אורים ותומים, i. e. *Urim & Thummim*, quorum illud *illuminationes* ſignificat, hoc *perfectiones*. Cujus appellati probabilis hæc eſt ratio, quòd gemmæ iſtæ certum & perfectiſſimum reſponſum retulerint, ſi ſplenduiſſent, ac perſpicuam de ſe lucem projeciſſent: quamvis diverſiſſimæ de Urim & Thummim ab aliis foveantur opiniones. Inſcripta erant duodecim illis gemmis ſingula filiorum Jacobi nomina, exceptis nominibus Levi & Joſeph, teſte Joſephô lib. III. c. IX. Levi omittebatur, quòd Sacerdos pro hac tribu non oraret, nec ejus recordari haberet opus, eò quòd Pontifex & omnes Sacerdotes atque miniſtri eorum ipſi eſſent quotidie in templo, & pro ſe non minùs atque pro aliis offerrent preces ac ſacrificia. Joſephi autem locô duabus ſingulis gemmis inſcripta exſtabant duo filiorum ejus nomina Ephraim & Manaſſe, quos Jacobus, ex interceſſione filii Joſephi, in hereditatem benedictionis adoptaverat. Quòd ſi verò plurium Rabbinorum ſequamur ſententias, Urim & Thummim abſcon-

ſcondita fuerunt à Joſia rege in templo priore, nec poſteà reperta in templo ſecundo, quorum tamen vice alii tunc lapides fuêre facti & inditi in pectorale, non quòd eorum adminiculô oracula ampliùs ederet Pontifex, ſed ut conſummatus eſſet ornatus & earum rerum numerus, quas Moſe ad Pontificem inveſtiendum præſcripſerat. Vide Cunæum de Rep. Ebræorum, lib. I. c. XIV. lib. II. c. II. Quarta & ultima veſtis erat *frontale* ſive *lamina*, dicta Ebræis ציץ aliàs *corona ſancta*, *diadema*, *corollarium ſanctum*. Erat ea lamina aurea duos digitos lata, ſemicirculum referens, frontemque ad aures uſque cingens, cui inſculptum erat nomen τετραγράμματον יהוה: adnectebatur ea pileo pontificio. Vide Exodi c. XXXIX. 30. Hæ ſacræ ſunt veſtes, quarum ſi quis Sacerdos ſive vulgaris, ſive magnus, plures aut pauciores adſciviſſet, ſi emplaſtrum vulneri impoſitum inter carnem ejus & veſtes iſtas latuiſſet, ſi veſtes has ruptura deformâſſet, aut ſordes inquinâſſent, miniſterium ejus habebatur irritum, ut tradunt Talmudici, Cod. de Sacrificiis, c. II. immò capitali pœnâ afficiebatur, teſte Maimonide. Dividebantur vulgò in *veſtes albas*, quales fuêre quatuor illæ Sacerdotum vulgarium, & *veſtes aureas*, quomodò appellata ſunt octo Pontificis Max. indumenta: quæ etſi aurea vocantur, quatuor tamen inſuper coloribus erant variegata, nimirum hyacinthô, purpurô, coccô & byſſô. Per aurum intelligitur id, quod in fila deductum eſt. Hyacinthus vocatur heic lana coloris Hyacinthini, qui violaceo atque cæleſti ſimilis eſt. Purpura verò lana eſt nigrantis coloris, quam tingebant ſangvine certi generis piſcis. Coccus, lana tincta vermiculi

cu-

cujuſdam ſive ſangvine ſive pulvere, quam bis tingebant, ſemel cùm rudis eſſet, atque dein, cùm in fila deducta. Byſſus tenuiſſimi & candidiſſimi lini genus eſt. His coloribus ſignificabatur, Pontificem eſſe ſummi elementorum, adeóque rerum omnium Conditoris Sacerdotem, eique ſacrificia offerre, teſte Joſephô de Bello Judaico, lib. VI. c. VI. Colore enim coccus ignem deſignat, hyacinthus aërem, origine autem byſſus terram denotat, purpura mare. Pro illis quatuor Sacerdotalium veſtium generibus exſtructum erat in templo reconditorium quoddam cum ſex & nonaginta capſulis. Cùm enim, ut ſupra parte I. c. IX. audivimus, perpetuò XXIV. Sacerdotum claſſes miniſtrarent in templo, unicuique claſſi quatuor erant adſignatæ capſulæ, & his inſcriptus fuit numerus uniuſcujuſque claſſis: ſinguliſque porro quatuor capſulis adſcriptum exſtitit nomen veſtimentorum, quæ in illis adſervabantur, v. g. uni capſulæ inſcriptum erat *Femoralia:* alteri, *Tunica:* tertiæ, *Cingula:* quartæ, *Tiara.* Hoc reconditorium habebatur in camera intra atrium Sacerdotum verſus Orientalem templi plagam ſita, quæ nuncupabatur *Conclave Pinehas veſtiarii.* In ea plura ædificata erant cubicula, in quibus ſe veſtiebant Sacerdotes, ibidemque finitâ hebdomadâ miniſterii ſui eumdem ſacrum ſuum amictum exuebant, &, antequàm è templo diſcederent, recondebant. Videatur Ezechielis caput XLIV. 19. & Codicis Talmudici de Sacrificio aſſiduitatis c. V. ſect. III. Bartenora in Cod. Talmud. de Siclis, c. V. ſect. I. Neque Sacerdotibus cum ſacris iſtis veſtibus licebat dormire; ſed ii, qui per hebdomadam ſuam pernoctabant in templo,

plo, antequàm cubitum irent, exuebant & complicabant eas, & adponebant capitibus ſuis, operiebantque ſe amictu ſuô vulgari, veſtibus nempe profanis. Pontificis autem Max. veſtes adſervabantur in camera quadam extra atrium Sacerdotum à latere templi meridionali ſita, quæ dicebatur *camera adſeſſorum*, nec non *camera ligni*, in qua etiam Pontifex Max. habitabat. Videatur Codex Talmudicus de Menſuris, c. V. ſect. I. Porro pro veſtibus Sacerdotalibus, quæ vel uſu erant detritæ, vel caſu laceratæ atque ſordidæ redditæ, ædificata erat camera in templo, in qua illæ adſervabantur, ut fierent inde panniculi, qui incenderentur in candelabro, & ellychnia in lampadibus, docente Maimonide. Denique notandum, ambulâſſe Sacerdotes in templo nudipedes, non tàm ex conſvetudine Orientalium populorum, quàm ex reverentia ſacri loci, uti tradit R. Moſe Gerundenſis. Quare DEUS Exod. III. 5. præcipit Moſi, *ut ſolvat calceamentum de pedibus ſuis*, additque rationem, *quoniam locus, in quo ſtas, ſanctus eſt.* Adde Joſuæ c. V. ult. Hinc cùm ſemita, per quam aſcendebant ad altare (quamquàm non fuerit per gradus diſtincta) eſſet elevata, obliqua, atque ob pingvedinem de carne victimarum, in altari ſubindè incenſarum, per ſemitam illam defluentem, valde lubrica & præceps, ne Sacerdotes nudipedes, portantes ſuper altare ad ſacrificia membra victimarum itemque ligna, vacillarent aut fortè laberentur, ſed certiùs figerent pedes, ſemitam illam ſemper conſpergebant ſale. Videatur Maimonides in tract. de Sacrificio Aſſiduitatis, c. VI. ſect. III.

CA-

CAPUT VII.

De Tonſura Sacerdotum.

Poſtquàm de veſtibus Sacerdotum, quantum fieri potuit, breviter tractavimus, reſtat, ut jam de capillitio eorumdem aliquid dicamus. Illud non permittebatur eis promiſſum aut intonſum: qui enim apud Ebræos in luctu fuerunt, nutriebant capillum & diſcooperiebant caput, deponendo mitras, galeros, & alia capitis ornamenta; quod proindè Sacerdotes in divino officio occupati imitari prohibebantur. Hinc illud Levit. X. 6. *Capita veſtra nolite nudare*, Onkelos exponit: *Capitis veſtri ne nutriatis comam*, & rurſus illud Levit. XXI. 10. *Caput ſuum non diſcooperiet*, idem ϖϑϱφϱϊζει: *Capitis ſui non nutriat comam.* Cui interpretationi adſtipulantur quoque Arabs & Rabbini ferè omnes. Igitur ultra triginta dies comam nutrire Sacerdoti non licebat, neque, qui ultra tempus illud nutriret, ad ſacram functionem admitti poterat. Pontifex Max. autem quâlibet Sabbati veſperâ tondendus erat, utpote cujus præſentia in ſanctuario non per vices, ſed aſſiduè neceſſaria erat. Unde hic ſingulis tondebatur hebdomadis; Sacerdos vulgaris tantùm intra XXX. dies ſemel, aut, ſi ordo miniſtrandi in templo intra triginta dierum ſpatium ipſum non tangeret, tonſuram etiam ulteriùs differre poterat. Tonſionem illam opus erat fieri forpice, quâ circumcirca crinis demeteba-

tebatur, & pilus capiti æquabatur, ut nec nimis eſſet promiſſus in morem mulierum aut lugentium, nec nimis in cranio reſectus. Nam veluti intonſi crines ſacerdotibus erant illiciti, ita viciſſim omnino radere caput prohibebatur illis. Ezech. XLIV. 20. *Caput autem ſuum non radent, neque comam nutrient, ſed adæquando adæquabunt cinnos capitum ſuorum.* Ad quem locum S. Hieronymus: *Perſpicuè demonſtratur, nec raſis capitibus, ſicut ſacerdotes cultoresque Iſidis, nos eſſe debere, nec rurſus comam demittere, quod propriè luxurioſorum eſt, barbarorumque & militantium, ſed ut honeſtus habitus facie Sacerdotum demonſtretur.* Licebat tamen Sacerdoti, luctus cauſſâ, more Ebræorum conſvetô, alere comam: extra quem caſum ſi quis promiſſos haberet crines, ſacramque functionem ita obiret, actus quidem ſacrificii non profanabatur, ipſe verò Sacerdos verberibus plectebatur, uti pluribus docet Maimonides de Vaſis Sanctuarii, c. IX. Tonſuram hanc Vet. Teſt. Sacerdotum quomodo imitata fuerit priſca Eccleſia Chriſtiana, vide apud Gratianum, diſtinct. XXIII. c. XXI. & XXII.

CAPUT VIII.

De Officio Pontificis max. Sacerdotum & Levitarum.

IN quinque potiſſimum miniſteriis officium Pontificis max. & Sacerdotum conſiſtebat; quæ recenſet Abulenſis, comment. in Num. c. XVIII. quæſt. III. Primum eſt *immolatio ſacrificiorum*, quæ fiebat

extra tabernaculum in altari holocauſtorum in atrio tabernaculi, poſt ædificatum templum in atrio Sacerdotum. Vitulam autem rufam extra caſtra comburebant. Secundum eſt *oblatio panum propoſitionis* ſuper menſam, quæ fiebat in exteriori parte tabernaculi ad latus ejus ſeptentrionale. Tertium *compoſitio lucernarum in candelabro*, quæ fiebat in eadem parte tabernaculi ad latus meridianum è regione menſæ propoſitionis, & quotidie peragebatur mane & veſperi. Quartum *oblatio thymiamatis*, quæ fiebat in altari aureo, quod erat ante ſancta ſanctorum, itidemque quotidie mane & veſperi peragebatur. Quintum eſt *introire ſancta ſanctorum*, ad aſpergendum ſangvinem hirci. Ultimum hoc miniſterium proprium erat Pontificis maximi, reliqua tam ejus quàm Sacerdotum. Introibat autem Pontifex in ſancta ſanctorum ſemel duntaxat in anno, die nempe expiationis, ſeu X. die menſis ſeptimi. Neque ante ædificatum templum in tabernaculum quotidie ingrediebatur Pontifex max. ſed ſabbatis tantùm & Kalendis, & feſtis diebus, teſte Joſephô de bello Judaico, lib. VI. c. VI. Sacra officia ut inter ſe ritè diſpertirentur Sacerdotes, in conclavi ad latus meridionale atrii Sacerdotum ſito (in quo perpetuò etiam conſeſſus ſynedrii magni agitabatur) quotidie diluculô conveniebant induti habitu ſuô ſacerdotali, ibidemque varia miniſteria illô die obeunda fortè inter ſe diſtribuebant. Erant prætereà quindecim inſigniores præfecturæ, eæque non ambulatoriæ, ſed fixæ, quas ordine recenſent Talmudici, cod. de Siclis, c. V. Primus dicebatur *Præfectus ſuper tempora*. Obſervavit ille attentè diluculum matutinum; quô offerri oportebat ſacri-

ſacrificium aſſiduitatis. Præſente igitur illô vel ipſe vel miniſtrorum aliquis altâ voce clamabat: *Adeſte Sacerdotes ad miniſterium, & Levitæ ad ſuggeſtum, & Iſraëlitæ ad ſtationem.* Secundus erat *Præfectus ſuper janitores*, die Thorſchlieſſer; ad cujus mandatum hi manè reſerabant oſtia portarum templi & atrii Sacerdotum, eademque veſperi claudebant. Idem hic præcipiebat Sacerdotibus, ut, cùm portæ aperirentur, buccinis clangerent: quod, niſi ille expreſſè conceſſiſſet, haud licebat. Tertius erat *Præfectus ſuper cuſtodes templi*, die Thorhüter / quibus in variis templi locis per noctem vigilias agere incumbebat. Hic ſingulis noctibus cum facibus incenſis incertâ horâ circumibat, (de quo ſupra part. I. c. II.) &, ſi appropinquaret ad cuſtodem aliquem, dicebat: *Pax ſit ſuper te!* quòd ſi verò hic dormiret vel taceret, eumdem baculô, quem manu ſua geſtabat, percutiebat & probè dedolabat; immò, ſi videretur, mandabat ſuis miniſtris, ut dormitantis tegumentum incenderent & comburerent. Quartus erat *Præfectus cantorum.* Hic tantùm ſeligebat cantores, qui hôc vel iſtô die tali munere debebant fungi. Quintus nuncupabatur *Præfectus cymbali & ceterorum inſtrumentorum muſicorum*, der Capellmeiſter. Ille cantores eorumque ſocios à præcedente Præfecto jam ſelectos, ſuper ſuggeſtu cantorum in convenienti ordine collocabat, & inſtrumenta muſica huc vel illuc ritè diſponebat. Sextus erat *Præfectus ſortium*, qui quotidie projiciebat ſortes inter Sacerdotes, pro diſtribuendis inter ipſos miniſteriis ſacris, qua de re ſupra dictum. Septimus erat *Præfectus turturum*, qui pro certo pretio, quod ipſe determinabat, vendebat in ipſo templo turtures

 iis,

iis, qui ad ſacrificium lege præceptum haberent illis opus. Octavus erat *Præfectus teſſerarum*. Hic pretia ſtatuebat, pecuniam accipiebat pro vino ſacro, oleo & ſimila ab iis, qui vel libamina vel ſacrificia offerre tenebantur ex lege. Acceptô igitur pretiô dabat iis teſſeras, quibus apud Præfectum libaminis oſtenſis potiebantur illi pro neceſſitate ſua vel vinô ad libationem, vel ſimilâ & oleô ad minchas. Horum duorum Præfectorum, ſeptimi & octavi, munia tempore Chriſti ad fœdiſſimum quæſtum & ἀισχροκερδίαν fuêre traducta. Hinc legimus Marc. XI. 15. *Ingreſſus Jeſus in templum cœpit ejicere eos, qui vendebant in templo, & menſas argentariorum* (i. e. Præfecti teſſerarum & ejus miniſtrorum) *& ſellas vendentium columbas* (i. e. Præfecti turturum & ſervorum ipſius) *ſubvertit*. Nonus erat *Præfectus libaminis*, qui teſſeras à Præfecto teſſerarum erogatas accipiebat, & pro iis elargiebatur vinum, ſimilam, oleum. Decimus erat *Præfectus aquarum*. Curabat hic fieri ciſternas, traduci aquas fontanas per canales ac tubos in urbem, ut aquæ affatim ſuppeterent toti Iſraëli adſcendenti Hieroſolymas ad feſta majora. Undecimus erat *Præfectus ægrotantium* i. e. Phyſicus templi & Medicus Sacerdotum ac Levitarum, qui tempore miniſterii ſui in templo incidiſſent in morbum; quod ſæpe fiebat ex frequentatis corporis, pedum ac manuum in frigida lotionibus, ex vigiliis, ex tenui veſtitu, qui conſtabat tunicâ ſive induſiô aut veſtibus aliis, quod ambularent quotidie ſuper pavimento diſcalceati, ut ſupra dictum. Duodecimus erat *Præfectus ſuper piſtores panum propoſitionis*. Decimus tertius erat *Præfectus ſuper artifices operis ſuffitus*, qui & colores

res ipſius & aromata ingredientia atque admiſcenda cognoſcebat. Decimus quartus erat *Præfectus ſuper hyacinthum, purpuram, coccum bis tinctum & byſſum*, itemque ſuper artificia nendi, fila duplicandi, colore tingendi & texendi, velaque acu pingendi, quæ ſcil. neceſſaria erant ad veſtimenta Pontificis max. variasque templi cortinas. Decimus quintus erat *Præfectus ſuper linum & lanam operis veſtium ſacerdotalium*, ex cujus præcepto ac diſpoſitione texebantur & conficiebantur variæ Sacerdotum veſtes. Tantum breviter de Sacerdotibus.

Levitarum officium erat ſervire Sacerdotibus in miniſteriis templi, in omnibus, quæ illi juberent, & in parandis iis, quæ ad ſacrificia erant neceſſaria. Dividebantur in XXIV. claſſes, quælibet per dies octo à ſabbato usque ad ſabbatum fungebatur ſacris. Functionem autem illam non ordine, ſed ſortitione claſſes hæ ſuſcipiebant. Præſto itaque erant Levitæ miniſterio Sacerdotum, eorumque juſſa exſpectabant in exedris & veſtibulis atrii Sacerdotum, nempe in loco purificationis, ubi labra erant ænea ad ablutionem Sacerdotum & victimarum, &, ſi fortè canere juberentur, etiam locum ſacrum ingrediebantur, ac, ſi tempus poſceret, prope altare conſiſtebant. Ceterùm ad quinque illa miniſteria ſacerdotalia ſupra recenſita Levitis accedere non licebat, ne quidem altare, aut vaſa ſanctuarii vel ſummis digitis attingere, multô minùs introire in ſanctum ſanctorum, idque omne ſub excidii pœna. Vide Numer. XVIII. Unde jam intelligimus, quare Dominus interfecerit Uſam, II. Sam. VI. 7. quòd manus ad arcam extendiſſet calcitrantibus bobus & eam inclinantibus. Uſa enim Le-

vita, cùm Sacerdos non eſſet, nequaquàm poterat tangere arcam: ideò è veſtigio exſpiravit, paſſus pœnam prædictam Num. XVIII. Hanc veram cauſſam mortis Uſæ reddit Joſephus, legum & hiſtoriæ Judæorum ſcientiſſimus, Antiquit. lib. VII. c. IV. Expoſitionem autem illam impugnat Abulenſis, comment. ad l. c. Samuelis, quæſt. X. eò quòd Levitis utique liceret tangere arcam, quando illam portare jubebantur Num. IV. 15. *Cùmque involverint Aaron & filii ejus ſanctuarium & omnia vaſa ejus in commotione caſtrorum, tunc intrabunt filii Kahath, ut portent involuta, & non tangent vaſa ſanctuarii, ne moriantur.* Hinc aliam affert cauſſam mortis Uſæ, quòd nempe inhoneſtè & irreverenter arcam tetigerit; ſed reſpondetur: Cùm permiſſum id tantùm fuerit Levitis, arcam velo involutam vectibus portare, vetitum autem omnino, tangere, Uſa dupliciter peccavit, & quòd tetigerit, & quòd nudam tetigerit, ſiquidem arcam involutam tunc non fuiſſe, ex contextu patet. Præterea notandum, ne vectibus quibem innixam aut veſtibus involutam arcam tempore Uſæ Levitis licuiſſe tangere: præceptum quippe illud de transportanda arca humeris & manibus Levitarum valebat tantùm eâ tempeſtate, quâ per deſertum iter faciebant Iſraëlitæ, & cùm nondum haberent templum; at poſtquàm Deus requiem populo, fixamque & perpetuam habitationem ſuam Hieroſolymis conſtituiſſet, David ex mandato divino etiam hoc ſub excidii pœna prohibuit, ne Levitæ ampliùs arcam portarent. Vide I. Paral. XXIII. Sebaſtianum Münſterum ad l. c. Samuelis, & Franc. Riberam de Templo, lib. III. c. III. p. 206.

CAPUT

CAPUT IX.

De Juriſdictione tum ipſius Pontificis & Sacerdotum, tum aliorum in Pontificem & Sacerdotes.

Pontificis max. juriſdictio poſt legem Leviticam ſtatim non fuit abſoluta: quæ enim in ſacris dijudicanda occurrebant, ex mandato quidem divino omnia & ſingula exſequenda erant à Pontifice; aſt poteſtas forenſis ſeu judicium politicarum cauſſarum Sacerdotes attinentium maximam partem ſtetit penes Concilium LXX. illorum virorum, quod Moſe ex Iſraëlitis coëgit, & in ſuorum laborum levamen adſcivit. Poſteà cùm Judices ad rerum gubernacula devenirent, combinata aliquan-do poteſtas ſacra & forenſis fuit, quod teſtari poteſt exemplum Eli, qui Judex ſimul & Pontifex max. exſtitit. I. Samuel. IV. 18. Deinceps, cum Reges eſſent creati, ad ipſos ferè omnis poteſtas tam ſacra quàm profana devolvebatur, parſque vix minutiſſima Pontifici etiam in ſacris remanebat. Hinc apud Talmudicos legitur: *Rex major eſt ſummô Pontifice, ſummus Pontifex prophetâ, propheta unctô in bellum, unctus in bellum præfectô, præfectus principe, princeps conſiliariô, conſiliarius theſaurariô, theſaurarius ſacerdote vulgari, ſacerdos vulgaris Levitâ, Levita Iſraëlitâ, Iſraëlita nothô, nothus Nathinæô, Nathinæus proſelytô, proſelytus ſervô manumiſſô*; cod. de Documentis Judicum, fol. 84. col. 2. Reges quippe tunc eligebant Sacerdotes atque Levitas, ſuaque cuique in ſacris munia & præfecturas adſignabant, cu-

rabant de inſtauratione ædis ſacræ & vaſorum ibi adhibitorum, feſta, lectiones ſacras, cultum divinum ordinabant ac diſponebant; quod ex pluribus S. Scripturæ locis manifeſtiſſimum eſt. Cùm verò regium inter Iſraëlitas imperium Babylonicâ captivitate eſſet diſſolutum, ipſique exactô diuturnô exiliô in patriam remigrâſſent terram, Pontifices quidem imperiô potiebantur, rebusque ſacris & profanis præerant, ſed non ſoli, ita ut Reſpubl. partim eſſet ariſtocratica, partim oligarchica, donec tandem Haſmonæis ſceptrum in manus traderetur: tunc enim cœpit regiæ poteſtatis & pontificatus conjunctio, adeoque penes Poctificem ſumma erat poteſtas judicium congregandi, controverſiam in medium proponendi, lites dirimendi, ſententiam publicandi, leges præſcribendi, quæ cùm eâ ætate abſoluta eſſet, paullò pòſt frangebatur inſignori Synedrii magni auctoritate. Illius Princeps ſi eſſet Pontifex max. quod aliquando contingere poterat, ſummum etiam geſſit imperium, ita tamen, ut Præſidi ſeu Procuratori Romano in certis caſibus parere cogeretur. Si verò Princeps Synedrii non eſſet Pontifex, quod non raró accidebat, hic etiam ipſius judicio & ſententiis ſubjacebat, ipſiusque edictis parere adſtrictus erat. Erat quidem eô tempore ſacrum quoque Conſiſtorium, in quo ſoli Sacerdotes cum pontifice conveniebant, deliberantes de quibuſdam minutioribus & communioribus ad templum pertinentibus, nec tamen concludere poterant quicquam, ne Sacerdotem quidem initiare ac ordinare, niſi Synedrium id approbâſſet & ratum habuiſſet, ut ſupra parte I. c. VI. prolixiùs dictum. Itaque maxima in ipſos Sacerdotes & Pontificem

tificem aſſeſſoribus hujus Synedrii competiit poteſtas: hi enim, ſi Sacerdos eſſet conſtituendus ſive ſummus ſive vulgaris, in conclave, in quo conſidebant, citabant illum, judicabantque & examinabant de ipſius natalibus, parentum nuptiis, ætate, corporis vitiis, animi vitæque erroribus, exiſtimationis labe, legitima ſucceſſione, & ſimilibus controverſiis. Pertinent huc illa Maimonidis: *Conſeſſus magnus habet ſedes in conclavi lapideo. Nobilior verò juriſdictionis eorum pars eſt, quòd ſedent & judicant de genere ſacerdotali, & diſquirunt de natalibus Sacerdotum & de vitiis eorum. Sacerdos quicumque reperitur natalibus inquinatus, induit veſtes nigras, quibus amictus egreditur ex atrio; quicumque verò reperitur perfectus & legitimus, induit veſtes albas, quibus itidem amictus ingreditur, & ſacrô fungitur miniſteriô cum fratribus ſuis ſacerdotibus.* Hactenus ille, tract. de Introitu tabernaculi, c. VI.

CAPUT X.

De Salario ſeu Reditibus Pontificis max. Sacerdotum & Levitarum.

NUllam ſortem, more ceterarum tribuum, accepiſſe in terra promiſſionis tribum Levi, ex lege Moſis & libro Joſuæ notiſſimum eſt. Ideò non ſolebat ea numerari inter XII. tribus, quia per has diſperſa erat, nec propriam regionis partem aut ſingularem ditionem poſſidebat. Primò autem Levitæ in genere octo & quadraginta urbes cum agris ſuis ad paſtum jumentorum acceperunt. Ex quibus tredecim in ſpecie generi ſacerdotali datæ ſunt. Interim

tamen, ut vitam cum familia ſua ſuſtentarent, pro ſacro miniſterio ex omnibus tribubus Iſraëlis omnes decimas collegerunt ſibi Levitæ, easque in uſus ſuos ſervârunt. Ex his decimis collectis rurſus decimam partem ſegregârunt, eamque in templo repoſuerunt, unde Sacerdotibus deinceps diſtribuebatur in neceſſarios vitæ uſus. Ne verò Levitæ, quorum immenſus numerus, hâc decimarum ſuarum decimatione Sacerdotibus factâ egerent, & depauperarentur, præceptum erat Iſraëlitis, ut poſtquàm decimas pependiſſent Levitis, alterâ quoque vice decimas ſecundas frugum ſuarum, vini, armenti & gregis colligerent, easque in templo comederent, ita ut ad comiſſationem iſtam accedendi liber aditus pateret Levitis omnibus, quotquot eorum res anguſta eſſet domi. Utque eô rectiùs iiſdem conſuleretur, nec quiſquam ullâ premeretur penuriâ, ulteriùs adſtricti erant Iſraëlitæ, tertiô quôque annô præter duas iſtas ordinarias tertiam inſuper decimam omnium rerum ſuarum colligere, & intra ædium ſuarum januas proponere, ad quam poſteà poteſtas eratLevitis accedere,& ad ſaturitatem, comedere. Prætereà ne idem Sacerdotibus obveniret,ne ſcil.acceptis decimis decimarum Leviticarum aliquâ egeſtate domi ſuæ affligerentur, dabantur iis quoque primitiæ, quæ nec erant plus quàm ſexageſima fructum pars, nec minus quàm quadrageſima, ſed inter hos duos terminos eas quiſque pro voluntate ſua metiebatur. Vide de his Hieronymum, comment. ad Ezech. XLV. Tom. V. p. 552. Riberam de Templo, lib. III. c. II. p. 203. Pro decimis & primitiis iſtis adſervandis ædificata erant in templo tria diverſa horrea, quorum mentio fit I. Paral. XXVIII.

13.

13. II. Paral. XXXI. 11. Nehem. X. 38. Malach. III. 10. Denique etiam de ſacrificiis participabant Sacerdotes, & quamvis holocauſtum totum eſſet Domini, cutem tamen de eo accipiebant, mincha verò erat DEI & Sacerdotum. Pacificorum ſacrificium omnium fuit, i. e. DEI, Sacerdotis & offerentium. Ex hoſtiis autem, quæ fiebant pro peccato & delicto, nihil cedebat offerentibus, ſed Domino offerebantur adipes, renes & jecur; reliquam carnem Sacerdotes comedebant. De reliquis ſacrificiis in genere Sacerdoti offerenti dabatur, de pedibus armus dexter, de capite utraque maxilla cum incluſa lingva, de corpore ſtomachus.

CAPUT XI.

De conjugio Pontificis maximi & Sacerdotum.

Inter ſexcenta & tredecim præcepta ex lege Moſis excerpta, quæ totam Judæorum fidem conplectuntur, quibuſque ſervandis per ſalutem ſuam illi adſtringuntur, primum locum obtinet id, quod agit de conjugio, quod violâſſe creditur ille, qui vigeſimô ætatis annô nondum eſt uxoratus, factô initiô termini à quo ab anno XVI. aut XVII. Intra quod ſpatium qui non iniret matrimonium, homicidæ ſimilis exiſtimabatur priſcis Ebræorum; qua de re multa paſſim Rabbini. Videatur etiam Buxtorfius, lib. de Sponſalibus & Divortiis, p. 9. Hinc tritus ille Talmudicorum canon: *Qui fructum ex ſe non edit, adſimilatur effuſori ſangvinum, & qui habitat ſine uxore, eſt ſine bono, ſine lege, ſine benedictione, & ſine pace.*

pace. Qui ſine uxore eſt, non reputandus eſt homo. Vide ampliùs Münſterum, Comment. in Levit. c. XV. Cùm igitur ad ſacrum miniſterium nemo admitteretur ante annum XX. plenè exactum, uti ſupra audivimus, ſequitur, quòd nemo etiam, ſaltim illô tempore, quô memoratus canon inter Judæos fuit circumlatus, ſacerdos creari potuerit, niſi uxoratus. Nunc quales licitæ fuerint uxores, aut rectiùs, quales prohibitæ, videamus. Primò, quæ nuptiæ, omnibus & ſingulis Iſraëlitis erant interdictæ, eædem Sacerdotibus quoque haud conveniebant. Sic nemo Iſraëlitarum ſub excidii pœna ducere poterat matrem, novercam, ſororem, filiam, neptem, amitam, materteram, nurum, aviam, uxorem patrui, idololatram. Aliæ autem ſpecialiter Sacerdotibus tantùm & Pontifici erant vetitæ lege ſacrâ à DEO latâ Levit. XXI. 7. *Scortum & vile proſtibulum non ducent uxorem, nec eam, quæ repudiata eſt à marito.* Ita quidem malè vertit Vulgatus Latinus, ubi Pontificii expoſitores diſquirunt de differentia inter ſcortum & vile proſtibulum. At in Ebræa veritate textus habet: *Scortum aut profanam non accipient.* Ita Onkelos: *meretricem & profanatam.* L X X. Interpretes: *γυναῖκα πόρνην καὶ βεβηλωμένην.* Pet *ſcortum* autem, ex mente veterum Judæorum, intelligitur ea, quæ vim paſſa fuerat, neque aliàs maritô ſuô prohibebatur, non autem, quæ fornicata erat ſponte ſub marito ſuo, hæc enim lapidanda erat. Per *profanam* ſignificatur (1) ea, quæ nata eſt ex repudiata à Sacerdote, (2) quæ de tribu Levi non eſt, (3) quæ errore ab alio quàm ſuo marito cognita eſt, (4) quæ priùs in matrimonio vixit cum extraneo, qui non fuit

fuit depoſteritate Iſraëlis, (5) proſelyta, (6) libertina, (7) ſerva. Singularum iſtarum copula quamvis Iſraëlitis permitteretur, Sacerdotibus tamen ſub pœna capitalis ſupplicii interdicebatur. Præter autem iſtas Pontifici max. ad matrimonium prohibebatur vidua: lege enim Moſis expreſſè præcipitur ducere virginem ſive uxorem, cujus virginitas adhuc ſit intaminata atque illibata. Ad hæc requirebatur, ut ſponſa Pontificis nata eſſet ex Sacerdote alio, eaque unica & ſola Pontifici concedebatur ſimul & ſemel: πολυγαμία verò aliis indulta ipſi negabatur, teſte Gemarâ Babylonicâ in cod. Talmud. de fratriis, c. VI. fol 59. col. 1. Adde Maimonidem, tractatu de Prohibitionibus introitus, c. VI. Quòd enim II. Paralip. XXIV. 3. binarum Jojadæ Pontificis uxorum mentio fit, id intelligendum de altera poſt alterius ſive mortem ſive repudium ducta, aut de pluribus ſimul ductis, antequàm in pontificatum ſuccederet: in quo caſu Pontifex polygamus eſſe poterat, easque, quas ante pontificatum duxerat, retinere, ſed tantum usque ad veſperam feſti Expiationis, quô die unam duntaxat retinebat, ceteris repudii libellô ejectis. Hæc de Sacerdotio Ebræorum & Sacerdotibus ſacrisqus perſonis proponere viſum nobis fuit. Ubi ex Rabbinis, qui tam inſignem materiam peculiari commentariô pertractâſſet, unicum habuimus Jehuda ben Elai, cujus hac de re ſcriptum vulgo *Jus Sacerdotale* nuncupant Judæi; è Chriſtianis verò neminem.

FINIS.

I N-

INDEX
LOCORUM SCRIBTURÆ
Illuſtratorum & Explicatorum.

Genesis.

cap.	*vers.*	*pag.*
I.	6, 7, 8.	466
II.	1.	614
VIII.	20, 21, 22.	22
XIX.	27.	557
XXII.	2.	471. ſ.
	9.	456. ſ.
XXXI	19.	472. ſ.
	45.	32
	51.	33
XLIII.	32.	486
XLVI.	*ult.*	486

Exodus.

III.	45.	181. 735
VIII.	26.	486
XII.	45.	363
XXIV.	45.	637
XXVII.	6, 8, 9, 15, 18, 33.	169. 176
XXVIII.	2, 4, 34.	178. ſ.
	39.	190
	40.	192
XXIX.	27	419
	40. ſ.	560
XXX.	1, 3.	307. ſ.
XXXII.	15.	486

XXXVI.

cap.	*vers.*	*pag.*
XXXVI.	8,9.	169
XXXIX.	2,3,5,8,24,39.	176.178.ſ.
	LEVITICUS.	
I.	4.	407
	14.	428
II.	13.	559
V.	7,8.	420
VI.	11.	631
VII.	2.	560
VIII.	7,9.	178. 190
	29.	419
X.	1,2.	317
	6.	736
XIV.	4.	528
XVI.		437
	4.	166.192
	8, 10.	500
	12.	567
XVIII.	21.	464
XX.	2.	464
XXI.	7.	748
	10.	736
	17.	713
XXII.	19,20,27.	364
XXIII.	27.	437
	NUMERI.	
III.	4.	317
IV.	3.&30.	719
VIII.	24.	719
XV.	3.ſ.	560

XXI.

cap.	*vers.*	*pag.*
XXI.	5.	194
	8, 9.	291
XXVI.	61, 62.	317
	DEUTERONOMIUM.	
XIV.	1.	199
XV.	21.	365
XVIII.	10.	464
XXII.	5.	177
XXXII.	42.	203
	JOSUA.	
V.	2, 3.	117
	ult.	181. 735
IX.	29.	316
	JUDICUM.	
I.	6, 7.	251
VI.	25.	275
XI.	31, 39, 40.	456. *ſ.*
	I. SAMUELIS.	
II.	18.	730
V.	4.	531
VI.	4, 11.	521
XV.	4.	631
	22.	7
	29.	29
XIX.	13.	473. 474
XXII.	18.	730
	II. SAMUELIS.	
VI.	7.	141
	14.	730
VIII.	18.	641

XV.

Digitized by Google

cap.	*vers.*	*pag.*
XV.	30.	182
XX.	26.	641
	I. REGUM.	
VI.	7.	307
XI.	5.	504
XV.	29.	29
XVIII.	26.	258
	28.	623
	34.	583
XIX.	18	246
XXII.	19	614
XXIII.	6.	583
	II. REGUM.	
II.	23.	205
XVII.	16.	275
XX.		510
XXIII.	10.	464
	11.	513
	I. PARALIP.	
IX.	31.	553
	II. PARALIP.	
XVIII.	18.	614
XXIV.	3	749
	ESRÆ.	
II.	62.	712
VI.	9.	560
VII.	22.	*ib.*
	JUDITH.	
X.	3.	202

cap.	vers.	pag.
XII.	7, 8.	223
XVI.	10.	202
	11.	186

ESTHER.

II.	2.	571

HIOB.

I.	20.	199
XXI.	5.	251
XXXI.	26, 27.	246
XXXIX.	37.	252

PSALMI.

II.	12.	246
XXIV.	10.	614
XLI.	8.	132
LVI.	8.	614
L.	8.	7
LI.	18.	7
LVIII.	6.	132
LXVIII.	13.	614
LXIX.	31.	7
LXXII.	9.	250
XCIX.	6.	639
CIII.	21.	614
CVI.	37.	467
CXIII.	7.	250

PROVERBIA.

XXV.	20.	377
XXVI.	8.	45

CAN-

CANTICUM.

cap.	*vers.*	*pag.*
VII.	1.	186
VIII.	6.	466

JESAIAS.

I.	9, 24.	614
	18.	389
III.	16.	186
	17.	199
	18.	186
	20.	132
	26.	256
XV.	2.	199
XVIII.	2.	621
XXIV.	1, 2.	336
XXV.	9.	614
XXIX.	4.	250
XLV.	12.	614
XLVII.	1, 5.	250
XLIX.	23.	250
LII.	2.	250
LXV.	11.	613 ſ.
LXVI.	17.	521

JEREMIAS.

II.	22.	376. ſ.
VII.	18.	553
	29, 31.	199. 464 ſ.
VIII.	22.	106
XXXVI.	6	78
XXXVIII.		510

cap.	vers.	pag.
	EZECHIEL.	
VI.	13.	275
VIII.	14.	621 ſ.
	16, 17.	543
XVI.	10.	186
XXI.	21.	449, 537
XXIII.	20.	515
XXVII.	31.	199
XLIV.	24.	560
XLIII.	10.	737
XLVII.	5.	199
XLVIII.	37.	199
	DANIEL.	
VII.	9.	172
VIII.	10.	614
	OSEÆ.	
IV.	9.	336
	12.	322
	13.	275
VI.	6.	7
	AMOS.	
VIII.	10.	199
	MICHEAS.	
I.	16	199
VII.	17.	250
	MALEACH.	
I.	8, 13. 14.	365

SIRA-

INDEX.

cap.	vers.	pag.
SIRACIDES.		
XXXII.	1, 2, 3.	603 ſ.
MATTHÆUS.		
II.	2.	248
III.	4.	683
V.	13.	560
	22.	466
VI.	7.	258
IX.	13.	7
	25.	342
XII.	7.	7
XVI.	6	691
XXII	20.	479
XXIII	3	691
XXVI.	7.	561
XXVII.	24.	221
XXVIII.	3.	172
MARCUS.		
I.	6.	683
IX.	49, 50.	560
XI	15	740
XIV.	3.	562
LUCAS.		
II.	13.	614
III.	2.	647
VII.	38.	561
XXI.	26.	614

INDEX.

JOHANNIS.

cap.	vers.	pag.
I.	19.	661
XII.	3.	562
XIII.	4. 5.	168

ACTA APOST.

cap.	vers.	pag.
VI.	3.	410
VII.	43.	467
XIV.	13.	386
XVII.	23.	495.
XVIII.	18.	196

I. CORINTH.

cap.	vers.	pag.
X.	18.	597
"	21.	613

COLOSS.

cap.	vers.	pag.
IV.	6.	560

I. TIMOTH.

cap.	vers.	pag.
II.	9.	202

JACOB.

cap.	vers.	pag.
II.	2.	171
III.	6.	466

I. PETR.

cap.	vers.	pag.
III.	3.	202

HEBR.

cap.	vers.	pag.
XI.	4.	7

APOCALYPS.

cap.	vers.	pag.
VI.	2.	172

CATA-

CATALOGUS AUCTORUM:

Eorum qvidem tantùm, qvi in præſenti opuſculo vel inluſtrantur, vel emaculantur, vel notantur, vel ab aliorum lima defenduntur.

A.

A Ben Ezra. 45, 473
Abulenſis. 583
Accurſius. 186, 276
Acta Pontificum. 157, 158
Agellius. 152, 210, 211, 252, 363, 424, 425
H. C. Agrippa. 10, 511
Albricus. 46, & ſeqq.
Alciatus. 593
Alex. ab Alexandro. 79
Alcoran. 486
Ammianus Marcellinus, 71
Ammonius. 59, 93
Angelus Monachus. 557
Anonymus. 70
Apulejus. 174, 187
Ariſtoteles. 391
Arnobius. 5, 56, 293, 367, 398, ſ. 441, 499
Baal-Aruch. 133
Q. Aſconius Pedianus. 58, 65, 402, 610
Athenæus. 612

B.

Badius. 205
Baronius. 507
R. Bechai. 472
Bellarminus. 20
Beroaldus. 71, 425
Beroſus 159
Bodinus. 88
Bombergi laus. 574
Bond. 205
Boſius (Joh. Andr.) 405, 518
Boxhornius. 79, 212, 413
Briſſonius. 211, 239
Britannicus. 205
Buxtorfius. 45

C.

Didacus Nugno Cabezudo. 20
Ludov. Cœlius Rhod. 16, 293
Jul. Ceſar. 90
Calendaria Rom. 67, 72
Calepinus. 408

Joach. Camerarius. 494, 575, 594
Joh. Camers. 288
Guilh. Canterus. 54, 239, 520
Caſaubonus. 79, 133
Joſ. Caſtalio. 236
Joh. Maria Cataneus. 62
Cato Poët. Lat. 6, 7
M. Cato. 593
Cenſorinus. 79
Choulius. 191, 237, ſ. 320, 343, 345, 385, 401, 405, 413, 418, 499
Cicero. 221, 237, 398
Glaudianus. 117, 374
Cluverius. 91
Nat. Comes. 25, 59, 416
Cruſerius. 247

D.

Petrus Danielis. 431, 432
Piccartus laudatur. 495
Demoſthenes. 235
Diodorus Sicul. 143, 147
Dionyſ. Halicarn. 552
Donatus. 187, 368, 410, 543, 607, 635
Jerem. Drexelius. 575

E.

Jac. Ebertus 212
Geverh. Elmenhorſt. 292
Eraſmus Roterod. 414
Euripides. 201

G.

Georg. Fabricius laudatur. 305
Gabr. Faërnus. 410 ſ.
Thom. Farnabius. 167
Feneſtella. 108
Feſtus. 158, 237, 284
Jul. Firmicus. 292
Floccus. 108
Foquelinus. 205
Forcatulus. 135
Nicod. Friſchlinus. 211
Sigiſm. Gelenii Lexicon ſymphonum laudatur. 148
Cunr. Geſnerus. 127
J. Gevartius. 94
Lil. Greg. Gyraldus. 70, 71, 90, 93, 300, 321, 340, 405, 413, 418, 424, 499
Gruterus. 342
Gvido. 287, 543, 608

H.

Theod. Hackſpan laudatur. 228

Dan.

Dan. Heinſius. 70, 71
Nic. Heinſius. 433
Horatius. 95, 201, 404
Hoſpinianus. 300

I.

R. Salom. Jarchi. 528, 633
Joma, Cod. Talm. 181, 389. ſ.
Jornandes. 147. & ſeq.
Iſidorus. 381
Hadr. Junius. 414
Juris Canon. gloſſ. 288
Jus Civile. 169, 175, 185, 276, 448, 539
Juvenalis. 117, 373, 377, 405, 406, 441, 626
Ejus ſcholiaſta. 377 ſ.

L.

Labeo. 25
Lactantius 268
Laërtius. 123
Pomp. Lætus. 108
Lambinus. 79, 508
R. Levi. 45
Joh. Limnæus. 242
Juſtus Lipſius. 32, 101, 153, 157, 399
Livius. 55, 233
Lucanus. 140
Lucilius. 115
Lucretius. 115
Lutatius. 298, 302
Lutherus. 45, 574, 553
Lycophron. 520

M.

Macrobius. 279
R. Moſes Maimonides. 177, 198, 227, 333, 470,
Cl. Mamertinus. 92
Manilius. 93, 94
Paul. Manutius. 75, 76, 413
Martialis. 29, 117, 205, 566, 610
Joh. à Meyen. 393, 513, 604
Cod. Minhagim. 226
Muretus. 239, 258, 410, 411, 414, 525

N

Nonius. 62

O

Ovidius. 176, 220, 243, 433, 534

P

Palmerius. 504
Janus Parrhaſius. 123
Perſius. 9, 205, 289, 307, 357, 377
Ejus ſcholiaſta. 205, 357
Petronius. 515, 525
Phornutus. 302
Joh. Picardus Toutrerianus. 135
Pincierus. 211
Piſcator. 628
Plautus. 80, 81, 176, 185, 251, 504, 593
Plinius major. 116, 132, 138, 371, 528, 533
Plinius junior. 373
Plutarchus. 152, 409, 553
Is. Pontanus. 159
Aus. Popma. 62
Porphyrius. 183, 451, 505 ſ.
Priapeja. 403
Priſcianus. 285
Prudentius. 308, 501. 532

Q

Quinctilianus. 285

R

Nicolaus Radzivil. 557
Del Rio. 557, 616
Rycquius laudatur. 278

S

Sanctius. 584
Q. Serenus Samonicus 511
Alex. Sardus. 38
J. C. Scaliger. 141, 402
Joſ. Scaliger. 94, 424, 634
Elias Schedius. 147, 183, 215, 237, 242, 331. 491
Seneca Philoſ. 237. 556
Servius. 9, 60, 151, 158, 166, 284, 346, 383, 402, 405, 432, 490, 542, 593, ſ.
Sheringham. 553, 147
Guil. Stuckius: 81, 93, 106, 122, 238, 246, 247, 299, 301, 303, 314, 320, 322, 323, 363, 368, 383, 385, 398, 401, 404, 413, 508, 607, 609, 635
SvetonI interpretes. 71
Suidas. 408, 499
Sulla. 530
Sulpitius. 300

T

Taubmannus. 424
Te-

Terentius. 607
Tertullianus. 90, 157
Tibullus. 54, 200
Trebatius. 287
Turnebus. 504
Joh. Tzetza. 439

V

Greg. de Valentia. 20
Valentinus. 205
Georgius Valla. Petrus Valla 371, 13, 236, 377. ſ. 460. ſ.
Varro. 79, 211
Polyd. Vergilius, 303, 633
Virgilius. 24, 54, 60, 79, 97, 218, 233. 239, 252, 299, 309, 406, 432, 480 ſ. 516, 520, 579
Ejus Scholiaſtæ enumerantur. 432
Gerh. Joh. Voſſius, 47, 55, 58, 60, 66, 87, 89, 94, 246, 247. 452, 255. 284, 290, 292, 352, 367, 456, 486, 494, 516
Dionyſ. Voſſius. 332

FINIS.

IN-

INDEX RERUM.

A.

Ablegmina vel Albegmina quid? 441
Abracadabra, Abraxas. 511.ſ.
Abſtinentia Hebræor. à variis rebus in ſacrificii die. 228.ſ.
Acerra quid? 347
Adjiciales epulæ quæ? 599.ſ.
Adipes in ſacrificiis quinam combuſti? 435
Adoleſcere & Adolere quid in ſacris? 433.ſ
Adoreæ ſignificata. 380
Adoro unde dictum. 246
Adramelech forma. 513
Æditui judæorum qui? 664.ſ.
Ægyptiorum ſacerdotum vituperatatio. 125.ſ. raſura 198. litteræ. ibid. Veſtitus linteus. 170
Ærarium in templo Saturni. 357
Ærea vaſa in ſacrificiis. 357
Æs Corinthium. ibid.
Æſculapius, cur ſerpentis figurâ cultus? 290.ſ.
Ætas ſacerdotum Judæorum. 718.ſ.
Agamemnonis victima. 401
Agna & agni quibus immolati? 503
Ago vox ſollemnis, ejuſque ſignificatio. 398
Agon' formula ſollemnis. 401. ſ. 407
Agona, Agonalia, Agonium. 408
Agrorum dii Præſides. 26 veteres ſtudioſiſſimi. 478
Ahenorum uſus. 346
Albæ veſtes ſanctæ. 166. 171.ſ.
Alrunæ quæ & unde dictæ. 159
earum officium. 160.
Altaris & aræ differentia. 299.ſ.
etymon. 301
Ambarvale, Amburbale, Amburbiale, Amburbium. 397
Anamalech forma. 513
Ancilia quid, quot & unde? 112.ſ.
Androgyni. 197
Animalia quæ Mercurio ſacra. 47
varia variis diis immolata. 366.ſ.
quan-

quando & à quo primùm mactata. 455.ſ.
cur in ſacrificiis potiſſimè uſurpata. 478.ſ.
Animalis victima quid? 25 458.ſ.
Annus Candidatorum, miſericordiæ. 213
Anſa aræ dicta. 303
Anſeres templorum cuſtodes. 295
immolabantur. 524
Ἀνθρωποθυσία. 455. ſ.
Antiſtitæ quæ ita dictæ. 150.ſ.
Apex quid? 190
Apollinis varia nomina. 257. 521
Apoſtolorum Conſtitutiones nullius liber fidei. 633
Aprilis menſis feſta. 73. *primò ejus die cur joculari aſtutiâ alter alterum ſupplantet?* ibid.
Aquâ purgârunt ſe Gentes. 219. ſ. *libata.* 582
quænam præ ceteris adhita. 220.ſ. 225. ſ.
Luſtralis. 223.
Aquilæ immolatæ. 522.ſ.
majeſtas, 522
cur inſigne Romanorum, quiſque eius auctor, & quare illa in inſigni poſteà diviſa. 522
Ara ſignum cæleſte. 311
piorum quæ. 538
Aræ quibus diis exſtructæ. 296.ſ.
quomodo differant ab altaribus. 299
etymon. 301. *earum auctor.* 303. *Forma, altitudo, cornua, baſes. ibid. numerus.* 305
profanatio. 306
una ara ſæpe multis diis ſacra. 304
quomodo dedicatæ. 307
earum materia. 307
coronatæ, vittatæ, & picturis decoratæ. 310
Aras tangebant precantes. 255
ponebant verſus Orientem. 244
Arbores ſacræ. 330. *eas earumque umbras quomodo Judæi vitârint.* 332
earum frondes ſacrificatæ. 543
Arboribus olim hoſtiæ datæ. 102
earum fructus varii ſacri-

crificati. 548
Archigalli qvi? 118
Arietes qvibus immolati. 502
Arma diis donata. 568
Aromata ſacrificata. 561
Arvalium fratrum numerus, origo, nominis ratio. 120
Aſch unde. 303
Aſellus qvid? 515
Aſinarii Chriſtiani vocati. 515
Aſini cur Marti & Priapo immolati? 513. ſ.
libido & immenſa virilitas. 514
capitis cultus. 515
Atergatidis etyma, varia lectio hujus nominis & forma. 531
Athanaſius non eſt auctor libri περὶ παρθενίας. 375. ſ.
Aventinus Mons unde dictus collis Dianæ, Murteus, Lauretum, Remurius. 276
Augurum initium, auctoritas; numerus. 119. ſ.
Auguſta Vindel. Urbis inſigne. 332
Auguſti menſis feſta. 75. ſ.
Avium immolatio qvalis? 420. ſ. 521. ſ.
qvibus qvales dii depicti. 529. ſ.
Aulicotia & Aulicoqva exta. 431
Aurinia qva & unde. 158. ſ.

B.

Baalſebub unde? 52. ſ.
Bahrete unde? 148
Barba auctoritas & tonſura. 144
de barbis Ebræorum ſententia. 146
Sacerdotum Germanor. 195
partes, 197. *aureô colore.* 486
Barbata fortuna apud Romanos. 145
Bardi *qvi fuerint?* 142. ſ.
unde dicti? 143, 147
Bargena, Bargina, Barrigena. 162
Bartlingi. 146
Βεβήλων *remotio à ſacris, eorumque nomina.* 234
Belbuch Vandalorum deus. 172 ſ.
Bibendi Magiſtri qvi? 603. ſ.
modi, 609. ſ.

in

in ſanitatem alterius origo. 610. ſ.
Bidental quid? 284
Bidentes unde dicti? 364
Bilis cur in nuptialibus ſacris abjecta? 444
Birota unde dicta? 148.
βωμολόχοι qui? 443
Bona verba dicere qvid? 13. ſ.
Boruſſorum veterum dii. 319
Bos victima praſtantiſſima, qvalitaſque ad ſacrificia neceſſaria. 485, 487. ſ.
Cereri & aliàs aliqvando immolari, vetitus. ibid.
βȣ͂ additum vocibus magnitudinem ſignificat. 493
Bucephali varia etyma. 494
βȣ͂ς ἕβδομος, θύανος 554
Byſſi æſtimatio, Byſſina veſtes, Byſſina verba, Byſſus quid? 169

C

Calcei qvinam conceſſi in ſacris. 182
varii generis. 183
luxui Judæorum inſervierunt. 186
Calculorum uſus poſt ſacrificia. 618
Caliga an calceamenti genus? 183
Calvus convicii nomen. 205
Cameli immolabantur. 517
Camillæ Camilli qvi ita dicti.? 122
Candida veſtis ſacra. 171. ſ. *& ſacrificantium.* 212
Candidati qvi? 213
eorum annus. ibid.
Canes vivi templis incluſi 294. *immolati* 518. *eorum latratus cauſſa.* 519
Cantores Hebræorum qvi? 668.
Capilli in feminis ornamentum. 201. ſ.
feminæ ſtudioſæ. 202
Capillorum variæ forma. 202
Capillos mortuis conſecrandi modus, 200
Capita ſacrificiorum. 443
Capitis apertio honoris ſignum. 242
velatio in ſacrificiis. 239
Capra & capri qvibus immolati. 500
Caprificus cur geſtatus in ſacris Capratina. 216

Captus locus quis. 274
Caſtratio quibus inſtrumentis facta. 115
Capitolii nomen latius, deſcriptio, ubi? 283. ſ.
Cappela, Cappelani. 288
Carcheſia quid? 349
Catonis diſtichorum auctor quis? 6
Caudarum hoſtiarum bona & mala omina. 450
Caviares hoſtiæ, Caviaria quid? 441. ſ.
Cerei in ſacrificiis, funeribus, & in templis Chriſtianorum uſitati. 327. ſ.
Cereris etymon & ſacrificia. 541
Cervæ & cervi immolabantur. 517
Ceſpes ad aras adhibitus & quando? 308. ſ.
Chariſteria quid? 22
eorum diviſio & exempla. ibid.
Chaſidæi qui? 686
Chelydri deſcribuntur. 532
Chlamys quid? 174
Ciconia Concordiæ ſacra. 529
Cimbri unde ita dicti? 148
Cineres in ara poſt ſacrificia relictos qui ab altaribus removerint. 630. ſ.
Cinctus Gabinus. 174, 175
Cingulò exui quid? 175
Cingulum pro dignitate. 176
Cinxia, quare dicta Venus? 38
Circumactio in ſacris explic. 243. ſ.
Ciſtæ in myſteriis. 350
Clamor ſacrificalis quis & quotuplex? 620. ſ.
Clatratus mons Quirinalis dictus. 276
Clitumnus quid fuerit? 371
Clivi ſacri Romæ quot? 276
Clypei etymon. 522
Colores hoſtiarum 369
extorum. 450
Coluber quid ſignificet? 533
Columbæ immolatæ. 524
Columbarii qui? 524
Columnæ Joſephi. 126
Comæ Matronarum nigræ. 202
Comam apud quaſvis gentes ſacerdotib. alere licebat. 194. ſ.
Comburendæ partes in ſacrificiis quid denotârint? 437
Compitalia. 41

Con-

Concubitu an & quando in ſacrificiis Judæi abſtinuerint? 228. ſ.
Confeſtim quid ſignificet? 635
Conjugales dii. 38. ſ.
Conlucationis formula. 285. ſ.
Conſtitutiones Apoſtolorum ſpuriæ ſunt. 633. ſ.
Converſio in ſacris & ejus cauſſa. 243
Cor interdum in victimis defecit. 450
Corda in ſacrificiis ſeorſim cremata, qvomodoqve extracta. 444
Cornix cui ſacra & immolata. 529
Cornua deaurata in ſacrificiis. 388
Corona in mortuorum ſacrificiis. 545
varia ſacerdotum. 193
Victimarum. 315
Diis laribus datæ. 554
Victimarum. 386
Coronandi varius modus ſacrificantes. 214
Coronati variis frondibus ſacrificantes. 214
Corporis qvalitates in ſacerdotibus Judæorum. 713
Cortina qvid? 349
Corvus cui ſacer. 529
Corybantum etymon, ſaltatio, galea, vociferatio, clangor. 119
Cothurna qvid? 350.
Coturnices Herculi ſacræ 529
Coxa qvænam, curqve apud Gentes profectorum potiſſimum. 438
Crateres qvid? eorum uſus. 350
Crinem ſolvebant mulieres lugentes, 201
Crotala, Crotalia qvid? 342
Culter ſacrificalis. 344
eum ſuper tergus victimæ ducendi mos. 381
Cultrarii qvi? 123. ſ. 407. ſ.
Curiæ qvædam templa dicta. 283
Currus arcuatus qvalis? 233
Cybele ac Iſis eadem. 331
Cygnus cui ſacer. 529
Cymbia qvid? 350

D.

Da vox in precibus ſollemnis. 260
Dæmones unde? 90
Dagon forma. 531

Damium ſacrificium qvid? 158
Dapes qvid? 604.*ſ.*
Decembris menſis feſta. 77
Delubrum qvid? 283.*ſ.*
Denicales feriæ. 99
Deorum Ethnicorum multitudo. 86
nomina in precibus ac hymnis varia 256
Dianæ Epheſiæ virginum varia nomina. 151
Dienſtag unde dictus. 461
Digiti ſinguli certis diis conſecrati. 251
Digitus in ſacris admotus. 250
Index. 251
Dii conjugales. 38.*ſ.*
Conſentes. 87
Majorum Gentium. 86.*ſ.*
Communes, Publici, Tutelares, Patrii. 88
Novenſiles. 89
in & poſt puerperium invocati. 40
de diis qvi ſcripſerunt. 86
Diis qvibus Romani ſacrificârint? *ibid.*
Diſcus qvid? 345
Divinatio è lucernis. 334
Dolabra inſtrumentum ſacrificiale. 345
Domna ſacerdos. 152
Donaria varia enumerantur, cum homonymia & ſynonymia. 567.*ſ.*
Donnerſtag unde? 52
Dormire unde dicatur? 446
Druiadarum Germanarum qvænam & unde dictæ? 158
Druidarum etymologia. 132. 148
initia & origo, finis. 134.*ſ.*
qvinam fuerint, cujusqve auctoritatis. 136.*ſ.*
Sacerdotium, ſacrificia, religio. 137
Duco, verbum ſollemne. 398

E.

Ador far dictum? 380
Elephanti immolati. 517.*ſ.*
Embarus es, proverbium explicatur. 19
Emere à Gentilibus ante ſacra eorum Judæis non permittebatur. 227
Ephod explicatur. 179.729
ἐπόπτης. 352
Epulæ ſacrificales. 596.*ſ.*
adjiciales qvæ? 599
poſt parentalia qvales? 607.*ſ.*

Epu-

Epulones qui & quot? 600. *ſ.*
Eqvorum immolatio quibus facta. 509
ἔρδειν quid ſignificet? 11
Ermenſeul qvid? 46
Eſſei ſive Eſſeni qvi? 697. *ſ.*
Euander quis? 113. *ſ.*
Excoriatio victimarum. 422. *ſ.*
Exſeqviæ qvæ? 99
Exta qvomodo diis oblata. 431
  reddere, porricere, &c. 432
  qvid ſint & qvomodo differant à viſcerib. 434
  ex extis divinationis varia nomina. 446
  eorum color. 450
   Læta, triſtia, muta, arguta, regalia, luſtralia, clivia, peſtifera. 451
Extar qvid? 346
Exverriæ. 99

F.

Facere pro ſacrificare. 10. *ſ.*
Fanum qvid? 284
  differt à templo. 284
  ejus etymon. ibid.
Farcimina diis oblata. 442
Farina ſacrificata. 551
Favete lingvis formula qvid ſignificet? 235. *ſ.*
Faviſſa qvid? 223
Februa piacula. 58. *ſ.*
Februarii menſis feſta. 70. *ſ.*
Fecialium etymon, officium. 121
Feles an immolatæ. 521
Femora Veneri eur oblata, eorumqve in Venere exercenda vis præſtantiaqve in feminis. 439. *ſ.*
Femoralia ſacerdotum. 727
Feralia qvæ? 99
Ferctum qvid? 555
Feſta omnium totius anni menſium. 67. *ſ.*
  Judæorum. 78. *ſ.*
Flagrorum carnificina. 622
Flaminicæ diales. 152
Flaminis dialis auctoritas, officia, Flaminum origo, etymon, numerus. 109. *ſ.*
Flammeum qvid? cur in nuptiis uſitatum? 240. *ſ.*
Flores ſacrificati. 544
Fluviis olim hoſtiæ datæ. 101
  dealbata. 362. *ſ.*
Foci origo. 301
Fœderis etymon & ſacrificia. 60

Fontibus olim hoſtiæ datæ. 100.*ſ.*
Fordicalia ſive Fordicidia quæ. 367
Formulæ: ſeu qvô aliô nomine invocari volueris: ſive tu Deus es, ſive tu dea. 258. 260
Fornacalia, Fornax. 379
Fors Fortuna differt à Fortuna. 208
Fortunæ reduci ſacra fiebant olim. 23.*ſ.*
Fratres in ſacrific. qvid? 441
Frugalitas primorum hominum præprimis in ſacrificiis. 537
Frugum ſignificatio. 539
Frumentum ſacrificatum. 550.*ſ.*
Fumus ſacrificiorum, ejuſque etymon. 322.*ſ.*
Fumalia qvid & unde? 328
Futile qvd? 223

G.

Gabinus cinctus. 174
Galerus qvid? 191
Galilæi ſeu Gaulonitæ qvi? 692
Galli vigilantia, cur templorum apicibus ſuperpoſiti, qvibuſqve deorum ſacri. 46
Cybeles ſacerdotes unde dicti, eorumqve caſtratio. 114.*ſ.*
qvinam tales dicantur. 115.*ſ.*
immolati qvibus & cur? 526
Gallinarum in victimas dandarum requiſita. 527
Gaulonitæ deſcribuntur. 692
Gedanum unde dictum? 43
Gehennæ etymon & uſus. 465.*ſ.*
Gemmæ diis donatæ. 573
Genii ſtatuarum regalium. 92.*ſ.*
Germanorum dii. 90.*ſ.*
Reges & principes inter deos relati. 96
crudelitas in mactandis hominibus. 459
Gingras qvid; & unde? 342
Gulielma ſacerdos. 152
Gvodan qvis & unde? 43
Gutti eymon. 349

H

Hagen, Hain, Hamm, unde & qvid? 287
Hamburgi etymon 287
Harpocratis imago. 250
Haruga qvid? 446

Haruſpicina unde dicta. 446
Haruſpicum etymon & ſynonyma. 446
Haud & haut qvando ſcribendum? 140. ſ.
Hecatombæa Diana. 393
Hecatombæon qvis menſium. 393
Hecatombæus Apollo, Jupiter. 393
Hecatombarum etymon. 391
Hepatis bona & mala omina in ſacrificiis. 448
Herbis conſtabant prima ſacrificia. 538. ſ. 540
Hercule an uſæ fuerint in juramentis feminæ? 210
Herculi cur ſacrificatum? 52. ſ.
Herculis ſynonyma varia. 30
ſacra apud Lindum à ceteris longè diverſa. 268
etymon. 516
Hermæ qvi? 44
Hermaphroditorum ſynonyma, & de iis qvid Romanorum & Hebræor. jura. 197
Herodiani deſcribuntur. 700. ſ.
Heroibus ſacrificatum olim. 89
Hircus præmium athletarum & Poëtarum. 480
qvibus immolatus. 500 ſ.
ejus formâ multa dæmonia culta. 501
Hoc age, unde & qvalis formula. 408. ſ.
Hœdi qvibus immolati. 502. ſ.
Holocauſtorum variæ adpellationes. 430
Honoris genera apud Hebræos. 249
Hoſtia unde dicatur? 363.
qvomodo differat à victima. 363
cur ante ſacrificium curata? 401. ſ.
præcidanea & ſuccidanea. 423. ſ.
maxima qvæ? 504
Humana victima. 455. ſ. 458. ſ.
Hymni poſt ſacrificia decantati. 629. ſ.

I.

Janitores Judaorum qvi? 664. ſ.
Janua mortuorum cupreſſô religata. 325
cur coronatæ? 325
earum dii. ibid.
mortuorum cur coronatæ? ibid.
Januarii menſis feſta. 67. ſ.
unde is dicatur? ibid.
Janus in omnibus ſacrificiis invocatus & cur? 259
deorum maximus & cur? ibid.
templorum inventor. ibid.
antiqviſſimus deorum. ibid.
ei omne principium ſacratum. ibid.
ejus etymon. ibid.
Jecoris bona & mala omina in ſacrificiis. 448. ſ.
Jehovah an enunciari debeat? 50. ſ.
Baccho adclamatum. 262
Jejunia Hebraeorum. 78
ἱερεῦ hononyma. 9. ἱερεῖς ἱερευτῆρες, ἱερομνήμονες, ἱεροποιοί. 106
Igniferi. 335
Ignis ſacrificalis unde petitus? 316. ſ.
æternus. 317
omina. 319
divini qvid continere creditus. 318. ſ.
regibus Aſiaticis prælatus. 335. ſ.
Ilicet qvalis formula. 634
Immolare unde & qvid? 381
Imperatores divinos olim capiebant honores. 91. ſ.
Inarculum qvid? 192
Inauguratio Pontificis & Levitarum qvomodo facta. 723. ſ.
Incubare qvid? 446
Index digitus ſalutaris cur? 251
Indice digitô ſilentium indicatum. 251
Indigetes dii qvi & unde dicti? 98
Inferiæ qvæ? 99
Infulæ ſacerdotum. 190.
Initia cur myſteria dicta? 352
Eorum dies. ibid.
Initiandi cruciatus per certos ducti. 352. ſ.

Initiari & Initiati quid? 352
Inomelin quid? 591. ſ.
Inſignia clypeis inciſa. 522
Germanorum. 523
qvanam antiqviſſima. ibid.
in iis qvare cornua galeis addita & tegumenta. ibid.
Io qvanam fuerit 516
Jovis Epitheta varia. 19. ſ. 30. 279. ſ.
ei præcipuè in montibus ſacrificatum. 277. ſ.
Templa varia. 279
Iphigenia ſacrificium. 517.
Irminſul. 46
Iſis ac Cybele eadem. 331
Frugum repertrix 332
Germanis culta. 332
Jubilai etymon. 628
Jugulatio victimarum. 419. ſ.
Julii menſis feſta. 75
Junii menſis feſta. 74 ſ.
Juno dea puerperarum. 26. ſ.

K

Karai ſive Karraitæ qui fuerint qvidqve docuerint? 696.
Κύριε ἐλέησον *Ethnicis in ſacris uſitata formula.* 261

L

Lac cui libatum. 584
Lapidibus ſacrificia poſt immolationem inſcripta. 32. ſ.
Lararium qvid? 275
Lares permarini 41. 42
publici. 98
viales. 286
Lari Picumno ſacrificatum. 275
Laris Epitheta. ibid.
Larium officium. 37
coronæ. 545
Lavabantur infantes olim. 27
Laurus Apollini ſacra. 193
Lectio & preces inter adolendum. 437
Lectiſternia. 616. ſ.
Legiſperiti apud Judæos qvi? 675. ſ.
Leo templis adpictus. 293
vigilantiæ nota. 294
mactatus in ſacrificiis. 516
eſt inſigne Herculis & cur? ibid.
Levitarum ἔτυμον. 128

qvi fuerint. 660. ſ.
officium. 741
Reditus &. ſalarium. 745
Liba ſacrificata. 552. 554
Libamina prima, qvid? 382
Libationum Synonyma, modus, etymon, materia &c. 578
Ligna in ſacrificiis qvalia. 314
Lignatores. 316. ſ.
Limus qvid? 166. ſ.
Lindenſi in ſacrificio maledicta erant & convitia. 268
Lineæ veſtes ſanctæ. 166
Lingva coccinea Hebræorum victimis adligata 389
ſacrificiorum Mercurio ſacra. 444
Linigeri pro Sacerdotibus. 166
Lintei uſus ſacri qvis auctor? 170
Linteum qvid? 167
unde fiat? ib. ejus agitatio. 437
Linteus ſacerdotum amictus è ſindone. 168. ſ.
veſtitus erat ſacrificantium. 212
Linum Indicum, Peluſiacum. 167. ſ.
Litare, litatio qvid? 61. ſ. 451
Litteratæ veſtes. 176
Litterati ſignificatio. 177
Lituus qvid? 235. 341
Lotiones qvare qvomodoqve factæ. 219. ſ.
Lucar, Lucaria, Lucaris pecunia. 286
Lucernæ in ſacrificiis, januis cum lauro adpenſæ, 323
in Judæorum feſtis. 324
in Inferiis, Mortuorum capulis additæ. 326
earum veterum figura. 326
in arboribus ſuſpenſæ, qvare? 329. 333
qvomodo profanati. 286
Luci diis conſecrati. 285. ſ.
à Germanis præ ceteris amabantur. 286. ſ.
Lucina eadem qvæ Juno dea puerperarum. 26
Lucorum delubra. 286
Lucus qvid & ejus etymon. 285

Lugentes tonſi. 199
Luna victimæ. 79
Luneburgum unde dictum? 170
Lupercalia & Luperci. 113.ſ.
Lupi cur Marti immolati? 516
viſus homini noxius, & vice verſâ. 516
Luſtralia vaſa. 340. ſ.
Luſtrati ante ſacrificia polluti. 216
Luſtrationis ſynonyma, ſpecies. ibid.
qvomodo facta. 341
Luteus color qvibus & qvare uſitatus. 187

M

Mactare, Macta hoſtia, Magmentum. 381
Magi vox qvid notet? 123. 133
ſacerdotum fuerunt Ægyptiorum diſcipuli, eorum invidia, officia, mores, genera. ibid.
Magiſtri bibendi qvi? 603.ſ.
Maji menſis feſta. 73.ſ.
Malleus inſtrumentum ſacrificale. 343
Mane fiebant ſacrificia dis ſuperis 80.ſ.
item ab Ebræis. 81
Manes circa veterum ſuperſtitio. 580
Manus cur victimis impoſitæ? 407
earum lotio. 222.ſ.
oſculatio. 246
Martii menſis feſta. 71.ſ.
Martis cognomina. 30
Mazochi Kalendarium. 67
Mel libatum. 584
Meliſſæ, Meliſſeus primus ſacrificulus. 151.ſ.
Menſæ ſacrificales. 345
libatoriæ. 348
Menſes ſinguli diis certis ſacri. 69
Mercurius lucri antiſtes, deus furum & mercatorum. 42
ejus etymon & epitheta. ibid.
Mincha qvid? 550
Minervæ epitheta. 30
Miſſa pro ſtabilienda qvi ſcripſerint. 20.ſ.
qvi contra eam. 21.ſ.
Miſſæ, & formulæ : ite miſſa eſt, *origo.* 633
Mithra ſignificatio. 510
Modimperatores qvi? 603.ſ.

Molæ adſperſio; 379
ſalſæ confectio, ſpecies, ſignificatio. 379. ſ. 551. ſ.
Molech deſcriptio, ſacrificia &c. 464. ſ. 467. ſ.
Moniales conſtupratæ olim muris incluſæ. 155
Mons ſacer qvis & ubi? 276
Montibus, & in iis, ſacrificârunt olim. 102. ſ. 275. ſ. 277.
Moſes an ſummus fuerit ſacerdos? 638. ſ.
Muli immolati. 513
Mulieres qvænam ad ſacerdotium admiſſæ. 151
Mullei calcei? 184
Mullus cur Hecati immolatus? 530
Mures victimæ luſtrales. 521. ſ.
Murrobathrarii vel Myrobathrarii qvi? 185
Muſica inſtrumenta in ſacrificiis. 624
Muſicè vivere quid? 539
Myrtus Veneri ſacra. 544
Myſteria, ſecluſa & opertanea ſacra dicta & cur? 351
qvædam recenſita. 352

N.

Naſiræi qvàm viri tàm femellæ. 679. ſ.
Natales dies qvô pactô veteres celebrârint. 79
Nebride veſtita Baccha & cur? 170
Nebris qvid? 170
Nethinæi qvi fuerint? 662
Niger color triſtis & infeſtus. 172. ſ.
Nitrum qvid, ejuſqve uſus in dealbandis victimis. 375
Noctu qvæ ſacrificia facta. 82. ſ.
Nomina qvando infantibus impoſita. 28
propria multa tàm maſculina qvàm feminina Romanorum & Græcorum, Hebræorum & Germanor. ab animalib. & plantis. 481
Nomiſma, unde? 479
Nonni, Nonnæ. 124
Novembris menſis feſta. 77. ſ.
Novendiale ſacrificium. 99
Numi aliqvot variarum gen-

gentium, eorumque ſigna. 479
dijs donabantur. 573
Nuptias filiarum parentes olim ſacrificiis expetebant. 37.ſ.

O.

Oblationes Hebræorum quô ordine factæ. 435
Octobris menſis feſta. 76
Oleum libatum. 586
Omen quid? 14
Operari pro ſacrificare. 324
Opes quid propriè & antiquitus. 479
Opfer unde dicatur? 12
Ὀργίων ſignificatio & etymon. 352
Origenes caſtratus. 118
Ornamenta varia diis data. 571
Ornatrices. 202.ſ.
Oſculatio manuum. 246
Oſſa an combuſta? 437
Ovatio quænam & unde dicta? 504
Oves quibus ſacrificatæ? 504.ſ.

P.

Pallia ſacerdotalia. 179.ſ.
Palumbi immolabantur. 524
Paraganda. 175
Paraſiti, Paraſition, quid? 551
Paſſeres cur leproſi obtulerint? 528
Patella, Patellarii dii & Lares. 347
Pater patratus quis? 121
Patera quid? 350
Patres quidam, non omnes, dii dicti. 258
Pecudum veteres ſtudioſiſſimi. 478
in obſoletis numis effigies. 479
Pedibus nudis olim erant ſacerdotes. 181
Pediculi coluntur à Barcanis 252
eorum laus. ibid.
Pella quid? 350
Pelles in ſacrificiis ſalitæ. 437
ſuſpenſæ. 445
earum apud Scythas uſus. 445
eæ maximè ad nocturna viſa adhibitæ. ibid.
Peregrinantium religio. 23.ſ.
Pferdt unde? 510
Phariſæi qui? 687.ſ.

Piacula, Piacularia ſacrificia, eorum adpellationes. 56
Piacularia ſacra, piacularis porta. ibid.
Pileatorum origo. 147
Pilei ſacerdotum. 728
Pilorum abſciſſio in hoſtiis. 382
Pinarii qvi? 121
Pinus qvare ſacra? 330. ſ.
Piſces gentiles non Judæi ſacrificârunt. 530
iis cur Syri abſtinuerint? 530. ſ.
Placentæ ſacrificatæ. 552. ſ.
Plantarum dii præſides. 28
Plautus laudatur. 211
Plumarii, qvi? 169
Pocula in ſacrificiis coronabantur. 354
qvibus præcipuè diis epota? 611
Poderis qvid? 174
Pollex, unde dictus, ejus dignitas, dictus ἀντίχειρ. 251
Pollucere qvid? 578
Poma ſacrificata, præmiaqve in certaminibus. 548
Pontifex maximus qvis, ejuſqve officium. 107. 644
apud Judæos cur maximus dictus? 128. 644. ſ.
qvomodo ſe præparârit ad ſacrificia. 229
eum initiandi ritus. 722. ſ.
Pontifices minores, eorum maximus. 108
nomina. 109
Pontificis nomen unde qvidam deducant. 11. 108
Romani officium, auctoritas, eorum numerus. 107
Judæorum officium. 737
Juriſdictio. 743
Salarium. 745
Conjugium. 747
Popæ qvinam. 123. ſ. 389 ſ.
Porci ſacres *qvi?* 364. 505
qvibus immolati. ibid.
iis cur Judæi abſtinuerint? 506
Porricere an ſit bona vox? 431. 432
Porticus qvales Hebræis licita. 282. ſ.

Poſtu-

Poſtulio. 56
Potitii qvi? 121
Pracidanea porca, hoſtia, agna. 424
Praſericula. 223. 349
Præſultor qvis? 122
Precantibus duo prapoſiti & qvare? 256
Precantium geſticulationes. 255
converſio verſus Orientem. 243
τῦ *Precari Synonyma.* 254
Precum in ſacrificiis & federibus exempla. 262
operatio in ſacris magicis, mortualibus &c. libatione. 267
Profani à ſacrif. excluſi. 234
Promethei aſtus in ſacrificiis. 429
Pronuba qva? 151
Propheta Judaorum. 671. ſ.
Propinandi formulæ. 610
Propontifex ſeu Pontificis Maximi vicarius qvis? 656
Proſecari, Proſecta, Proſicia. 430
Προσκυνεῖν, προσκύνησις *explicatur.* 247
Pythagoræ ſymbolum, circumactus adora; *explicatur.* 243

Q

Querculus Quercuus ſerpens. 532
Quercus ſacra Germanis. 330

Rabban, Rabbi, Raf, qvando hi tituli cœperint? 706
Rabbinorum hodiernorum officium. 708
ῥαβδομαντεία. 322
Raptores θεοδύτων, *eorumqve nomina.* 443
Raſi qvi? 203
Raſio pœna adulterorum & aliorum. ibid.
Raſura genera varia. 196
in luctu initium. 198
prohibitio apud Hebræos, 199
turpitudo. 203
Raunen qvid ſignificet. 132
Reges divinos capiebant honores olim. 91. ſ.
Regia dignitas an apud Judæos cum Pontificia conjuncta fuerit? 655. ſ.
Regina ſacrorum qvæ? 152
ῥέζειν *qvid ſignificet?* 11

Rhenus unde ita dictus Germanicè. 27
Rhodienſe ſacrificium. 268. 269
Ritus vox ſollemnis. 208
Romæ divini honores olim tributi. 100
Roſa Veneri ſacra. 544

S.

Sacellum qvid, ejuſqve etymon. 287
Sacerdotales viri ſacrati, ſacrandi qvomodo differant. 106.ſ.
Mulieres. 150.ſ.
Sacerdotes cur vecti ad ſacrificia? 233.ſ.
Sacerdotium vaticinandi ſtudio ut plurimum junctum. 158
ante Legem Levitic. 637
Sacerdotum varia ſynonyma. 105.ſ.
etymon falſum. 106
Ægyptiorum vituperatio 125.ſ.
Judæorum initium & continuatio. 47. 637. 704
diſtinctio, numerus. 128.ſ. 643. 658
cur è Levitis ſumti? 128. 642
Germanorum explicatio. 131.ſ.
Judæorum veſtes. 178. 726 727.ſ.
Pedes nudi. 181. 735
coma. 194.ſ.
raſura. 196. 736
officium. 737
Juriſdictio. 743.ſ.
Reditus & ſalarium. 745
conjugium. 747.ſ.
Sacrarium qvid? 288
Sacra via, Sacravienſes. 9
Sacri homonymia. 9.
Sacrifica perſona varia. 208
Sacrificales epulæ. 597.ſ.
Sacrificantium habitus & veſtes 212.ſ.
corona. 214
Sacrificia Annua ſollemnia. 66.ſ.
cur πέλη dicta. 352
etymon. 8
de iis Gentium qvorumdam opinio. 2--8
homonymia & ſynonymia. 11. 12.ſ.
definitio, deſcriptiones ac diviſio. 13. 16
Species. 13. 15.
ἀπὸ μαντείας exempla. 19.ſ.
re-

revelatio an naturalis an ſupernaturalis? 20. ſ.
Euchariſtici exempla. 22. ſ.
Petitorii exempla. 37. ſ.
Expiatorii exempla. 55. ſ.
annui varia diviſio. 77. ſ.
qvibus facta. 86. ſ.—103
ab iis qvi remoti. 234
Loca. 273
cur ex animalibus potiſſimè facta. 478. ſ.
Sacrum & ſanctum qvid? differunt & conveniunt. 8
Sadducæi deſcribuntur. 693. ſ.
Safirum precantes tenebant olim, & cur? 255
Safirus cui ſacer? 256
Ejus virtus. ibid.
Sal ſacrificatus & cur? 556
ejus epitheta uſuſqve in Judæorum ſacrificiis. 556. ſ. 559. ſ.
Salinum qvid? 347
Saliorum etymologia, numerus, origo, præſul, ſynonym. 112
Saltabant in ſacrificiis. 624
Samuel an Pontifex max. fuerit? 674
Sancire qvid ſignificet. 9
Sanctum Vide ſacrum.
Sangvinis libatio. 580. ſ.
Satura lances, per ſaturam colligere qvid? 539. ſ.
Saturni effigies apud Germanos capite nudô, & cur? 242
ἀνθρωποφαγία. 462. ſ.
Schelm, convitium German. unde? 209
Schemhamphoraſch. beneficio Judæi qvid tribuant? 50
χοινία & ἀποχοινισμένος expl. 234
Scribæ Judæorum qvi. 675. ſ.
Seceſpita qvid? 344
Securis inſtrumentum ſacrificiale. 344
Septembris menſis feſta. 76
Septenarius numerus in ſacrificiis uſitatus. 391
Serpens locis ſacris adpictus & cur? 289
ab Ægyptiis regib. in coronis oſtentatus. 290
videt acutè. ibid.
Theſaurorum cuſtos. 290
Genio ſacratus. 291

Co-

Colitur à qvibuſdam. 292
oblatus in ſacrificiis. 531. ſ.
Serpentes vibuſdam hominib. familiares & in cibum idonei. 531. 534
Sicera qvalis potus. 592
Siclorum Hebraicorum deſcriptio, valor, qvotuplice ſqve. 573. ſ.
Silentium in ſacris magni fiebat. 252
Silicernium qvid? 508
Siſtrum, Siſtrati. 342
Sminthius cur Apollo dictus? 521
Sol Perſarum unus Deus. 510
ejus cultus. 543
Solea, Solearii, Soleati quid? 185
Solitaurilia qvid? 65
Somniorum minas ſacrificiis deprecabantur. 53
Specula diis donata. 572
Spolia diis donata. 568
Spondæa qvid? 339
Spondæus pes unde ita dictus? 255
Sponſi proſperum olim conjugium ſacrificiis expetebant. 37. ſ.
Statuarum regalium genii. 92. ſ.
Strobula qvid? 441
Strophion, Strophus qvid? 192
Strues, Struferarii, Struferctarii. 555
Succidaneæ hoſtiæ qvæ? 423
Sues cur prima victima, quibuſqve immolati? 500. 505
Suffibulum qvid? 175
Sumpulatrices mulieres. 349
Sumpulium qvid & unde? 349
Symbola qvædam Myſteriorum. 353
Sympinium Sympullum, ſympuvium. 351
Synedrium magnum ac minus explicantur. 651

T.

Tabulæ ſuſpenſæ. 569
Talis luſerunt poſt ſacrificia. 618
Taurus qvibus immolatus.
Tectoſages qui? 146
Templa Jovis enumerantur. 279. ſ.

ex-

excrementis non fœdabantur. 290
Templorum in exſtructionibus ſacrificabant. 48
ea ponebantur verſus Orientem. 244
vocabulum generale, etymon. 279
auctores. 879
veterum forma. 281
materia. ibid.
limina gradibus aliqvot evecta. 281
cura qvibus commiſſa. 283
Templum inter & delubrum, fanum, bidental, lucum, ſacellum, ſacrarium diſtinctio. 279. ſ.
unum pluribus diis ſacrum. 280
Jovis Ultoris laudatur. 281
Dianæ cornutum. 282
in ſtricta ſignificatione qvid? 283. ſ.
Tendo, Tentigo, Tentum voces neqvitiæ. 403
Tenſæ etymon & ſignificatio. 402
Ternarius numerus in ſacris freqvens. 390
Terram circa Solem moveri qvidam putârunt. 318
tenere qvid ſit? 398
Tholus qvid. 289
Thuris etymologia, homonymia, ſynonymia, ſacrificium, deſcriptio, confectio &c. 562. ſ.
Θυσίας & ſimilium vocum origo. 539
Tiara quid. 191. 728. ſ.
Tibiarum uſus. 341. 625. ſ.
materia alia in ſacris, alia in ludis. 357
Tibicinis vitam vivere qvid? 539
Tibicinum Romanor. & Hebræor. officium in ſacrificiis. 627. ſ.
Tigris Baccho ſacra. 170. ſ.
Tomacula in nuptiis adpoſita. 509
Tonſorum origo Romæ. 144
Tonſuræ varia genera. 196. 201
Sacerdotum. 736
Tophet qvalis locus & *unde dictus?* 467. ſ.
Trinitas Sancta an Gentibus nota? 391
Tripodes. 348

Triumphatorum habitus ſacrificalis. 213
Triumvirale judicium apud Hebraos. 655
Tubarum uſus, 341
Turcarum lotiones. 223
Turturum immolatio. 524

V.

Vacca qvibus immolata. 488
Vagina cultraria ſacrificalis. 343
Vaſa quibus aqva luſtralis continebatur. 223
ſacrificalia. 339.ſ.
luſtralia. 340.ſ.
calata. 353
Gentilium Judais prohibita. 354
Samia. 358
ſigillata qva? ibid.
Eorum materia. 355
abluta in ſacrificiis & coronata. 354
Coptica. 358
Fictilia. ibid.
Vaties qvi? 147
Vatillum quid? 348
Vehiculis qvinam ad ſacrificia delati? 233.ſ.
Velamenta, Velamina, Velata colus, Velati qvi? 241
ſubjectionis ſignum. 241
Velati qvi olim fuerint? 241
Velatio capitis in ſacrificiis. 239.ſ.
in ſacris etiam hodie uſitata. 242
feminarum & puerorum. 240.ſ.
lugentium, ignominioſorum, regum, in ſacris, unde orta? ibid.
Velleda etymon. 161.ſ.
Venabulum inſtrumentum ſacrificale. 343
Vendere qvid Gentilib. ante eorum ſacra Judais non erat permiſſum. 227
Veneris cognomina. 38
Verba bona, dicere qvid? 13.ſ.
Verbena homonymia, uſuſqve in ſacris. 541
Verres qvibus ſacrificati? 505
Verveces qvibus immolati. 503
Verum apud veteres forma 346
Veſperi qva ſacrificia facta. 82.ſ.
Veſta Gracorum ſacrific. initium, & finem dedit. 152

Veſta-

Veſtalium ſacra arcaniſſima. 156
Veſtes domum è mari ſalvi redeuntes diis pro incolumitate ſuſpendebant. 24.ſ.
albæ, lineæ, ſacræ. 166. 171.212.213.
litteratæ. 176
ſacræ variæ. 177
earum forma apud ethnicos à Judæis petita. 178
ſacræ ſacerdotum Judaicorum, conveniunt pleraqve cum Ethnicis. 178.ſ.
in ſuperûm ſacris purpureæ, in inferûm albæ. 214
diis datæ. 571
ſacerdotum Judæorum. 723.726.ſ.
Viatorum ſacrificia. 42
Victima animalis qvid? 25
qvando multiplicata. 423
votiva, vota. 32
ante aram percuſſa. 415
earum ductores qvi? 122.ſ.
etymon. 363
Ætas. 363
Delectus. ibid.
qvomodo differat ab hoſtia. 363.ſ.
earum circa corpus requiſita. 364
Sexus. 366
color. 369
ornatus. 385
eas ante ſacrificia ſpectabant ſacerdotes. 368
eas ſignandi & explorandi modus. 368
Lectæ & eximiæ qvæ dictæ. 368
eas qvi deducere debuerint, deductioniſqve modus. 398.402
Totæ crematæ. 428.ſ.
qvomodo exenteratæ. 437
earum capita vendita, abjecta, ad expiationem adhibita. 443.ſ.
earum Lingva Mercurio ſacra. 444
Conſultatoriæ. 446
Humanæ. 455.ſ.458
an ante aras ligatæ? 404
Victimarii qvi? 122.ſ. 398.ſ.
Victimas qvi mactârit? 444
Vineæ ſacris epulis legatæ. 609

Vini adfuſio in ſacrificiis. 383
libatio. 587. ſ.
Conſecratio. 590
Virginum Dianæ Epheſiæ varia nomina. 151
Veſtalium initium. 152
primarum nomina, numerus. 152
quæ, quomodoque captæ. 153
ex atrio Veſtæ proceſſus. 153
Gerebant curam ignis & aquæ. 153
Negligentia quomodo punita. ibid.
Sepultura, honor. ibid.
Virginitas quamdiu eis injuncta. 153
Devirginatarum pœna. ibid.
Inceſtus ſuſpicionem quomodo removerint. 154
Defoſſionis illarum auctor, locus, modus &c. 155
Earum ſacra, hydriæ ſacrificia &c. 156
Viſcera, Viſceratio, quid, quænam, unde dicta? 434
quorum animalium ſacrificata. 434
eorum ſynonyma & differentia ab extis. ibid.
Vitta ſacerdotum. 190
hoſtiarum. 385. ſ.
Ungventa & Unctiones, 561
Pontificis judæorum. 723
ejus confectio. ibid.
Volatilia quænam & quibus immolata. 521. ſ.
Votum reddere, ſolvere quid? 32
Urim & Thummim. 732
Urnæ lachrymales. 326

W

Walfarth quid & unde? 287
Wappen unde? 522
Wodan quis & unde? 43

Z

Zarboſtes, ſacerdotes Germ. 147. ſ.
Zernebuch Vandalorum deus. 172. ſ.

In pag. 140. v. penult. pro *lege* pone *lego*. In p. 240 v. penult. pro *du* lege *duo*: p. 384. v. 5. à fine pro *oxemplo*, *exemplo*. p. 427. v. 9. pro *relatione*, *relatio*.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

G. 3. E. 177